BAVDII
AMORES

ELZEVIR. 1638.



William Tibbett

R.W. SMITH.

231

2006

Flemish

1561 – 1613

# DOMINICI BAVDII
# AMORES,

Edente

PETRO SCRIVERIO,

Inſcripti

TH. GRASWINCKELIO,

Equiti.




AMSTELODAMI,
Apud Ludovicum Elzevirium,
CIƆ IƆ C XXXVIII.

*Nobiliſſimo & ampliſſimo viro,*
D. D.
THEODORO GRASWINCKELIO,
*Equiti;*
Cauſſarumque apud Batavos patrono diſertiſſimo.

ILLE *pater venerũ, Venus ipſa, volansq; Cupido;*
*Quem Iocus & blandi compoſuère ſales;*
BAVDIVS *(ah!) læſi reus inſimulatur amoris:*
*Squallidus, & longis hoc probat ipſe comis.*
*Hoc & veſte probat: nec, ut olim, candida læna;*
*Oſtendit mœſtum fuſcior illa reum.*
*Vt nunc ſunt homines, moreſq;, & tempora; quærit*
*Patronum cauſſæ te* THEODORE *ſuæ;*
*Iuſtitiæ veterem, ac pulſæ probitatis aſylum:*
*Qualem dent rebus* DI *ſupereſſe meis,*
*Si ſit opus; clamoſa fori ſed jurgia vito:*
*Conſiliumque placet dive Rudolfe tuum.*
*Tres mihi ſi lites fuerint; dabo, ut una ſuperſit:*
*Et malim plumas, quam dare terga foro.*
*Conſuluiſſe cuti ſatius. Me judice certè,*
*Tertia lis etiam nulla ſuperſtes erit.*
*Vt fracto potius quàm terno Cerberus ore*
*Evomat in noſtros fulmina bruta lares.*
*Lis litem genitura, catenatoſque labores:*
*Hydraque ad hæredes ter-metuenda venit.*
*Tu* GRASWINCKELI *prohibe. Virtute tueri*
*Perge bonos: ſed ſit pœna parata malis.*

*Te nunc privatis faculam mihi poſtulo rebus:*
*Nocte vel in mediâ tu mihi Phœbus eris.*
*Quæ paſſim obtenebrant, cernis* THEODORE *tenebras.*
*Exorere: &, ſi non publica cura vetet,*
*(Nam te [nec fruſtra cœlum blanditur] ad alta*
*Hinc ſpectata fides ingeniumque vocant)*
*Sique pios Manes aliquod modò frigus aduſſit,*
*Ingenii radiis calface Phœbe tui.*
*Hoc age,* BAVDIACI *populo laudentur* AMORES,
*Et tonſum ſolitâ veſte remitte reum.*

D.N.M.Q.E.L.M.

*P. Scriverius.*

*Lugd-Bat.*
III *Id. Iun.*
∞.Iↄ.c.
XXXVIII.

IN-

# INDEX
## AVCTORVM & OPVSCVLORVM,
quæ in hac Rhapſodia continentur,

*Sub titulo* AMORVM *Dom. Baudij.*

DANIELIS HEINSII Allocutio ad Dom. Baudium in morte uxoris. Pag,1.
EIVSDEM Jambi ἀρχαΐζοντες ad eundem. pag. 5.
EIVSDEM Epiſtola ad Hugonem Grotium. pag. 12.
EIVSDEM Cento Virgilianus ad Dom. Baudium. pag. 77.
EIVSDEM Epigramma ad Poſthumum, in obitum Gallæ uxoris. pag. 137.

PETRI SCRIVERII in Baudii amores Epigrammata. pag.14, 65, 67, 68, 135.
EIVSDEM Elegidion ad Marcum Zuerium Boxhorniũ, de ineundo matrimonio, pa.243
ALTERVM ad eundem De pectine plumbeo Baudii. pag. 68.
ELFGIDION ad Theodorum Graſwinckelium, Eq. dedicationis loco in limine hujus libri.

DOMINICI BAVDII Epiſtolæ. pag.15. ad pag. uſque 31.
EIVSDEM Leſſus amatorius, nunc primum editus. pag. 33.
Iterum BAVDII Epiſtolæ. pag.46. ad p. uſq; 50.

EIVSDEM alter Leſſus amatorius. pag. 51.
EIVSDEM Epiſtolæ. pag. 69. pag. 81. uſque ad pag. 96.
Collectanea, de veteribus ac novis Baudii amoribus. pag. 97.
Epithalamia Baudiana. pag. 111.
Tumulus Sævæ, cupidinum matris. pag. 120.
Baudii moribundi Alloquium ad amicos. p. 121.
Ejuſdē CVPIO DISSOLVI. p. 129. PRECES, p. 131.

JOHANNIS CHARGÆ, Itali poëtæ, SENEX RESIPISCENS, pag. 132.

Epitaphium DOM. BAVDII, auctore P. SCRIVERIO. 135.

LÆLII CAPILVPI Cento Virgilianus in Fœminas. pag. 141.

DECII AVSONII Viri Conſularis Cento Nuptialis. pag. 160.

MARIANGELI ACCVRSII, Obſervationes in Centonem. pag. 387.

ÆLIÆ VINETI, JOHAN. BRODÆI, JOS. SCALIGERI, CL. SALMASII, PET. SCRIVRII, } Miſcellanea in eundem Centonem. pag. 393. uſque ad pag. 419.

JVSTI LIPSII Epithalamium feſcenninum. p. 170

ANEXOMENOZ L. Apuleii, aut potius INCERTI. pag. 172.
P. S. NOTÆ in præcedens Carmen. pag. 273.

PER-

PERVIGILIVM VENERIS, auctore ANONYMO, ex recenſione JVSTI LIPSII. pag. 179.

Ejuſdem Poëmatii NOVA EDITIO auctior & emendatior, ex MS. Cl. Salmaſii. pag. 420. Et ad idem

| | | |
|---|---|---|
| PETRI PYTHOEI, | Notæ, Pag. | 193. |
| JANI DOVSÆ, FIL. | | 199. |
| JOHAN. WEITZII, | | 201. |
| CL. SALMASII, | | 427. |
| PET. SCRIVERII, | | 437. |

*Inſeruntur Animadverſionibus Scriverianis Carmina nonnulla* FLORI *& aliorum veterum, ex membranis Cl. Salmaſii.*

CLAVDII SALMASII Epiſtolæ Criticæ ad P. Scriverium. pag. 402. 427. 463.

FLORIDA, ſive potius FLORI poëtæ veteris fragmenta, cum Notis JVSTI LIPSII, pag. 213. PET. SCRIVERII, pag. 216. & pag. 469. P. PYTHOEI. pag. 472.

CUPIDO CRUCI-AFFIXUS. pag. 219. Et in eundem.
JOS. SCALIGERI Notæ, pag. 223.
ÆLIÆ VINETI Commentarius, pag. 227. & pag. 475.
MARIANGELI ACCVRSII Notæ, pag. 481.
PET. SCRIVERII Spicilegium, pag. 485.

EPITAPHIVM AMORIS, ex interpretatione CASPERII GEVARTII. pag. 497.

DESI-

INDEX.

DESIDERII ERASMI Suaſoria de ineundo matrimonio. pag. 245.
EIVSDEM Diſſuaſoria. pag. 274.

THOMÆ MORI, *Qualis uxor deligenda.* pag. 281

DAN. HEINSII Diſſertatio, *An, & qualis viro literato ſit ducenda uxor.* pag. 291.

ANONYMI cujuſdam altera Diſſertatio, *An cœlibem eſſe; an verò viro literato nubere conveniat.* pag. 349.

DE

# DE PERVIGILIO VENERIS,

JVSTVS LIPSIUS LERNUTIO ET GISELINO, *Anno* cIↄ Iↄ LXXIX, *Kalendis Veneris.*

Properate. quod ut magis faciatis,nuncio accepiſſe me nunc nuper Lutetia à Pythœo TROCHAICVM VETVS, cui titulus PERVIGILIVM VENERIS, elegans & ſcitum carmen, & digniſſimum illa ipſa Dea. Plura non addo. Venite, videte, valete. Lugd. Bat.

*Centur.* I. *epiſt.* XXVII.

Ad

## Ad Baudii amores pertinet, niſi fallor, Lipſianus hic aculeus.

*I. Lipſius Guil. Barclayo.* Lutetiam.

Hoc ſcire te volui: ego per te quid N.N. illîc noſter, & quî agat. Scribit ad me, queritur, ſed parum apertè: & ulcus aliquod ſermonum eâ veſte tegi equidem odoror. Si leve curatu, parum eſt: ſin pravum aliquod & * δυσίατον, doleo cauſsâ præclari ingenii, quod ſeſe (ah temere, ah ſtultè) in barathrum & præceps dedit.

*Quis illigatum te triformi*
*Pegaſus expediet Chimeræ?*

Sed meliora opto, faveo, & quà poſſum juvo. Lovanii, III Kal. Sextil. ∞. Iↄ. XCIX.

* *inſanabile.*

---

*I.L. Claudio Boucaultio*, Lutet.

Barclayum ſaluto. ad quem ante biduum dedi, itemque ad N.N. de quo aliqua audimus non volentes. Vale. Lovanii, poſtidie Kal. ∞. Iↄ. XCIX.

*Centur. ad Germanos & Gallos, epiſt.* LVI, & LVII.

Vera

# Vera BAVDII effigies.

Quem legis, & laudas ſi vis noviſſe Poetam,
Verſibus & vita Baudius unus erat.
Vidimus hunc ipſũ qualẽ tibi carmina monſtrant,
Ingenium domini læta papyrus habet.
Talis erat, ſeu cum fluitarent proſpera, ſeu cum
Immeritum premeret ſævior aura caput:
Liber & intrepidus, nec qui concederet unquam
Fortunæ magnis regibus eſſe minor:
Nulli ſponte nocens, & amabilis hoſtibus ipſis,
In quo, ſi noſſes, perderet ira locum:
Infenſus ſceleri: ſed non ut lege ſevera
Viveret, antiquæ ſimplicitatis amans.
Melle madens, & quo non incorruptius alter
Miſcuit innumeris ſeria mille jocis:
Et ſi cuncta ſimul permittis dicere, vates
Teïus arguto miſtus Ariſtophani.

H. GROTIUS.



*Vane pictor, ære credis poſſe reddi Baudium*
*Baudium referre nemo quiverit, quam Baudius*

PERSEVERANTI LAUREA

*Natus 1561.* *Denatus 1613*

# DANIELIS HEINSII ALLOCVTIO AD DOMINICUM BAUDIUM, in morte uxoris.

## DANIEL HEINSIUS BAUDIO SUO S. D.

*Clariſſime Baudi,*

Omnium virtutum regina mihi ſemper viſa eſt conſtantia, quæ in rebus humanis magnum illud & divinitati proximum invexit, NON MOVERI. Stare quippe contra fortunam nemini eſt datum, quam qui animo invicto ictus excipit illius ac frangit. & cum natus ad calamitatem ſit ut homo, ſibi dat quod non accepit. Hæc eſt illa Stoicorum ἀποθέωσις, qua conditionem numinis invadunt, & mortalitatis leges cum divinitate proxime conjungunt. Fortes quidem viri; ſed, ut noſti, qui invidiam multorum ſibi

creant, dum tam alta loquuntur. Nollem etiam leniſſimum affectum, τὴν φιλανθρωπίαν, penitus excluderent: & humano generi hoc negarent, quod ab eo nomen accepit. Utriusque ſummum temperamen in te vidimus. Chariſſimam (ita vocas) uxorem nuper amiſiſti. Commune hoc cum omnibus fuit tibi. Mortalis quippe erat. & hac lege venerat, ut ſic abiret. Reliqua vere ſunt tua. Ægram animi ac corporis, ſuaviſſima adlocutione recreaſti: nullum optimi mariti officium prætermiſiſti: abeunti, qua neceſſe erat, viam quæ ad loca beatorum ducit, quaſi digito monſtraſti. Cætera boni viri; hoc & Chriſtiani & Theologi fuit. Functam his calamitatibus, lachrimis pauciſſimis, ſed quas partim mœror eliceret, partim animi conſtantia inhiberet, proſecutus es. Ita quippe maritum agebas, ut te virum eſſe meminiſſes: ita conſtantiæ ſeveritatem tuebaris, ut humanitatis legem non excederes. Aliquot deinde poſt diebus, funus mortuæ feciſti: & atratus ipſe (quanta conſtantia, Dî boni!) agmen amicorum duxiſti: donec terræ partem ſui reddidiſti. Ex hoc tempore animum firmare ſapientiæ præceptis aggreſſus es, & in uſum tuum promere, quæ diu ante eras meditatus. Videbas quippe ereptam eſſe quæ jam reddi non poſſet. Cæterum præſidia in te ſita, indidem promenda eſſe. Ita tecum tandem & feſtivi-

tate

tate tua in gratiam redire cœpiſti. Munera Deorum, quæ ſolatia humanitatis noſtræ natura eſſe voluit, paulatim etiam adhibere. qualis liquor eſt illius Dei, qui Indorum fines expugnavit. Idque cum judicio & delectu. Neque dubitamus, quin in tantum jam profeceris, ut ſuaviſſimum Deorum, ipſum ſcilicet Amorem, qui vel ultro te invitat, ſenſim ſis admiſſurus Certe quicquid uſquam venuſtatum eſt, cælibatum tuum decet. Cogita cum quanta amœnitate tibi ſit luctandum: quanta tibi in conditione iſta adverſaria parata ſit. Si quæ uſquam eximia eſt forma, libertatem tuam provocat, quæ tutorem jam non novit. Si quæ dos eſt uſquam, quæ contemni non debet; eam occupare ſpe jam potes. Et ut poſſis, imo debeas, domi habes quod reponas: cui plus quadragies Jamborum eſt in arca. Probæ monetæ quidem, quamvis vix in vulgus uſitatæ. Cætera ut excuſes, Baudium aliquem terrarum orbi debes. Quicquid nil agenti tibi elabitur, hominibus perit: qui virtutes tuas a te quidem, ſed in alio expectant. Quare cavendum tibi cenſeo, ne quantum tu ceſſes, omnium interſit. Ætas abit; quæ ne fruſtra elabatur, etiam noctes occupandæ ſunt. Quod futurum brevi jam ſperamus. quare etiam jocari auſi ſumus. Nam cum reliqua quæ dici in luctu ab amicis ſolent, partim tempus, partim tua nobis

præripuerit conſtantia ; plus jam omnes judicabunt eſſe, quod vel ad lepores uſque obduruiſti. Quos, te ſerio ſuadente, publico jam damus. qui nonnullum huic ſcripto, in quo doctam antiquitatem expreſſimus, pretium poſuiſti. Cui editionem imputabis. Vale.

*D A-*

DANIELIS HEINSII

Ad Cl. V. DOMINICUM BAUDIUM, in obitum chariſſimæ uxoris, Jambi ἀρχαΐζοντες.

*Severitatis temperator & joci*
*Venuſte Baudi, cujus imbre nectaris*
*Meroque melle ſcripta perpluit Venus,*
*Et dicta, & omne quicquid eſt uſquam tui;*
*Non tranſmarina, non Pelaſga, ſed Quiris,*
*Remique neptis, ipſave Æneæ parens:*
*Qualisque ſolis ſtat videnda Gratiis,*
*Carens amictus, non venuſtatum tamen;*
*Peculioque corporis dives ſui*
*Privaque laude, non potens odoribus*
*Offuciaque, quam magis plebes amat:*
*Quis advocatus non ut expedit Deus*
*Expectoravit ſpiritum tibi marem,*
*Nervosque mentis, & lubidinem viri;*
*Dum fata mœſtus comparis gemis tuæ,*
*Quam compotivit Aggeruntis Dis pater?*
*Quæ nunc oberrat regna per Proſerpinæ,*
*Sacrosque campos, & Diis gratum nemus;*
*Dilecta tantum, quantum amabitur brevi,*
*Aut Phyllis, aut cenſenda moribus Chloe:*
*Vel ſi quod uſquam myrothecium videt*
*Facetiarum Phœbus aut Dieſpiter;*
*Vel Luna mater: ſive Lucinam velis,*
*Quæ partumeis præſidet puerperis;*

*Fœcundus heros: ſeminisque Baudii*
*Non invidere certus indigentibus.*
*Quæ te ſuävi prole mactabit patrem,*
*Et morſicatim flammeis labellulis*
*Adluſitabit, & columbatim premet,*
*Os illud ipſis ambiendum Gratiis.*
*Amplexibusque vinnulis venuſtulis*
*Et delicatis baſiationibus,*
*Catulliana qualis extitit ſeges,*
*Diſſuaviabit uſque: ſive cum paras*
*Quid muginari dulce, ſive ingratiis.*
*Hac ſpe querelas & ſupercili Chaos*
*Remitte nobis. nec bimater Evius,*
*Curas edaces execratus & gravem*
*Mentis ſenectam, deſit in partes ſuas;*
*Praſtes choreæ, ſeminarium joci,*
*Ludi tribunus, Cypridis coagulum,*
*Et dux amoris, & choragus gaudii.*
*Vergensque primum cymbiis pauxillulis*
*Minutulisque, rem pitiſſando gere:*
*Carcheſiisque littus extremum lege;*
*Dum pectus ægrum vim ſalutarem fugit,*
*Manumque vitat, & favet doloribus:*
*Non immodeſtis, non capacibus ſcyphis,*
*Hylæus olim quos amabat & Pholus;*
*Sed parciore, ſed verecundo Deo.*
*Vt navita olim palmulis radit ſolum,*
*Cautusque vitat impotentia freta,*
*Dum ponit unda, dumque Iupiter pedem*
*Vtrumque poſcit. Sive Rheni deligis*
*Suäve nectar, ſive quod Celtæ ferunt.*
*Ni fors Ibera mavelis, vel Cretica;*

*Cenſor peritus arbiterque non levis:*
*Fugaxque nunquam nec relictor agminum,*
*Bellive inaudax, aut metu vepallidus,*
*Cum Bacchus & res ſtrenuum poſcit virum:*
*Sed innocentis gaudii memor tamen,*
*Et obſeratæ non amicus amphoræ,*
*Lamnæque terris, quam Deus recondidit.*
*Sic flore ſenſim toxicoque Liberi*
*Et hoc veneno faſcinatoris meri,*
*Ceu Marſa abactus Theſſalaque nænia,*
*Inominatus ibit in ventum dolor,*
*Et anxitudo mentis & moleſtiæ.*
*Hac lege noſtram mancupo tibi fidem,*
*Paratus omne quod moves periculum*
*Subire tecum: ſive parcenti manu*
*Stat velitari; ſeu meracioribus*
*Mentem lubido eſt provocare ductibus:*
*Curasque & omne quicquid ægrimoniæ eſt*
*Primo pedatu diſſipare te paras:*
*Eliminatus ut ſtruat mœror pedem,*
*Et ſe relictis migret è præcordiis.*
*Non inficeti combibonis ut vicem,*
*Quem non Camœnæ non venuſtates vident,*
*Xanthique potor intuetur Delius,*
*Vterque Bacchas ante bacchantes eat,*
*Inſaniendo: verum, amabilem in modum,*
*Et qualis olim fertur antiqui ſenis*
*Nataſſe virtus, Theſſalas inter tubas*
*Et civico cruore manantis manus.*
*Aut Sophroniſci comis ut ſuevit puer,*
*Medulla fandi, blanda Siren & Venus,*
*Nil ſcire doctus, omnium gnarus tamen:*

*Quem Cliniæ propago, quem rorans merum*
*Demit ſeveris, & venuſtis adſtruit.*
*Cenſen' quid umbræ fabulæque imagines,*
*Et faſtuoſæ gens gerat Proſerpinæ,*
*Quos Cnoſſii quos Æaci damnet forum*
*Minosque diris additus nocentibus,*
*Curare vivos? An mori virum decet,*
*Et eſſe luci quam trahis ſuperſtitem?*
*Trux & ſeverus adſidet furentibus*
*Mœſtusque ſemper. Occidit ſanguen Iovis,*
*Et tot ſub undas volvit ingentis viros*
*Liquor Scamandri: flevit immanem Hectorem*
*Conjunx parensque. Fluctus ut fluctum trahit*
*Lunæque pergunt interire, ſic abit*
*Mortale ſæclum. lex venit naſcentibus,*
*Necis potiri, cum jubet neceſſitas,*
*Pauſamque vitæ primus involvit dies.*
*Quod ſi benignus ejulatuum, genas*
*Et ora turpi rore commendes miſer,*
*Puerperæque vel ſecundus præficæ,*
*Plangore cuncta mœſtus incendas tuo*
*Leſſuque inani; num minus ſtat atrium*
*Crudele Ditis, & riget ferro domus,*
*Quam triplici cervice perlatrat canis,*
*Damnasque longi Siſyphus moliminis,*
*Et inſolentis Tantali colit furor?*
*Vin' eſſe temet legis æternæ excipem*
*Tuosque tantum? Fors & expedit tibi,*
*Functam labore, nunc fruiſci gaudio,*
*Lætamque divis intereſſe cœtibus;*
*Quæ mille peſtis corpore anclavit ſuo,*
*Necisque mille. Nec potentior lues*

*Vinci*

*Vinci dolentem preſſit Alceidæ manum,*
*Toroſque, & acrem pectoris valentiam,*
*Et diſcolorem exſorbuit vim ſanguinis:*
*Cum triſte munus Œnei partu ſatæ*
*Eviſceravit bajulum cœli virum.*
*Sic usque noctu ſæviebat & diu*
*Qui viſcera olli cæcus ambedit dolor.*
*Quo victa ſæpe, nec potens ſilentii,*
*Imposque fandi, ſed quiritari memor,*
*Feſtivitatis indolem ſtitit tuæ:*
*Vagore vitam flebili evitans tibi,*
*Et ominoſis ejulationibus.*
*Quæ noxia eſſe noxa vatibus ſolet,*
*Bonæque menti non levem fraudem creat.*
*Verum ut relabar ad venuſtates tuas,*
*Orſusque ſocco nil cothurnatum crepem:*
*Sed qualis olim Davus in ſcenam venit*
*Lippum Simonem tangere audax & vafer;*
*Vel quæ talento Pythias mungit ſenem,*
*Cum captat auras & ſubinde humum fugit:*
*Nunc compedum ſolutus & triſtis jugi*
*Liber vagaris, quo ſerenus impetus*
*Et nata magnis indoles mentem trahit,*
*Dotis benignæ candidatus & cliens.*
*Hanc eſſe quippe natio mortalium*
*Ætati agundæ non inutilem autumat;*
*Et jus fateri eſt. ni Trebatius gravis,*
*Conſultus æqui, juris antiqui ſciens,*
*Diſſentienteis oggeris ſententias.*
*Hæc & tepentis ſuſcitabulum foci,*
*Dapisque blandæ præbitrix eſt & meri,*
*Columna vitæ, dulce fulcimen domus;*

*Hoc inſtitores & propolarum manus,*
*Et gens inepta ſarcinatores viri,*
*Copæque avaræ, maximæ vatum cruces,*
*Negant negare: queis, venuſtis verſibus*
*Ineruditam nunquam adiveris manum:*
*Non ſi trecentis quotquot occidunt dies*
*Puris iambis aut trochæorum pede,*
*Amice, places lachrimare neſcias*
*Inelegantes inverecundas aves.*
*Sic ante doctas excubant ſemper fores,*
*Redire certæ, dum Moneta fulſerit*
*Regina rerum, maximi prolis Iovis;*
*Ne forte Divam deſpuas eimodi.*
*Non ut ſeverus, Euclionis in modum,*
*Vivas ſepulti pertinax nomiſmatis,*
*Sed lætus uſu, nec moleſtus promere.*
*Nunc intueri nec pudor nec fas negat,*
*Si quid venuſtum, ſi quid inclutum viget:*
*Genasque & ora virginesque pupulas*
*Coram arbitrari, verbaque elegantia,*
*Et æſtimare ſi quid in ſinu latet;*
*Sententiamque ferre de tot voltibus,*
*Quot Cypris uſquam, Cypridisque por videt:*
*Pedemque figere in puellarum choris*
*Feſtivitatis non peregrinæ virum.*
*Hæc eſſe quidni ſuſpicer nectar tibi,*
*Et lac, & omni dulcius papavere?*
*Si nec leæna nec tibi mammam dedit*
*Hyrcana tigris, nec ferocientibus*
*Septentrionis intonata filiis*
*Immitis unda pectus eduxit tuum:*
*Sed blanda mater, & Camœnarum chorus,*

Fe-

*Feſtivitatis lene momen inſitæ*
*Et dulce flabrum. Cynthius triſteis negat*
*Amare poſſe, nec favet mœrentibus.*
*Liber ſeveros ſemovet thyrſo viros,*
*Aptus choreis & ſuävibus jocis.*
*Putumque nectar lachrimantibus dedit,*
*Fugare curas. hoc trucidat vim mali,*
*Internecatque ſi quid in venis latet,*
*Solvitque habenas & guberna pectoris,*
*Cum lene ſerpit, & cerebri fit potens.*
*Tum mens vagátur, & Iovis tentat domum,*
*Vehitque nubes inter, & vitat ſolum.*
*Tum Spes amica gliſcit: alma Veritas*
*Tinnire docta quicquid in ſolum venit,*
*Fidesque regnat. cornua aſſumit miſer,*
*Abitque turpis in dierectum dolor.*
*Hæc inter arma blanda Liberi patris*
*Humens ſubinde lingua ſuaviter ſeret,*
*Arguta leni rore pellacis Dei,*
*Quem ſentit Indus, & minata vim polo*
*Terræ juventus, Rhœcus & torvus Mimas.*
*Ipſasque voces irrigabimus mero,*
*Vmbramque guttis: quæ ſub ingenti ſpecu*
*Magnæ parentis ſicca temeti jacet.*
*Vovebimusque, terra tam levis premat*
*Caput beatum, quam ſibi vixit gravis,*
*Dum dulce cœli lumen hauſit & diem,*
*Compos doloris uſque & ægrimoniæ.*

## V.C. HUGONI GROTIO DANIEL HEINSIUS S. D.

*Vir Clariſſime*,

Magis in dies ac magis ſæculi hujus virtutes admiror. Nihil vetuſtati debemus, ſed lubentius eam laudamus. neque majora habuit conſtantiæ exempla, ſed minore cum invidia audiuntur. Xenophontem illum Grylli ajunt, cum in re divina filium ætate majorem fortiter cecidiſſe audiviſſet, iterum coronam aſſumpſiſſe, & Deorum ſacris manum admoviſſe. Q. Martium Regem, cum præclaræ indolis adoleſcentem amiſiſſet, eveſtigio a rogo ad curiam ſe contuliſſe, omnes in miraculis habent. Baudius noſter, eo ipſo quo uxorem extulit die, vinum guſtare voluit. Inferias vultu graviſſimo, ſed tamen ſiccis oculis, ivit: neque ut maritus, ſed ut pater aliquis conſcriptus, Senatum petere eſt viſus, cum ſepulchrum uxoris adivit. Omnia ſolatia, quæ exulceratis adhiberi mentibus ſolent, ipſe occupavit. Nihil amicis in luctu reliquit, quod vel imputare illi poſſent. Tantum, graviſſimum vulnus ſuum (ita vocat) publico ad Academiam programmate teſtatus eſt: & invenit cauſam, cur non doceret. Orpheum Apollinis & Calliopes filium ſapienter negat feciſſe, qui uxoris cauſa mortuos acceſſerit:

multa

multa enim eſſe in vivis, quæ levare luctum
poſſunt; modo animus adſit, & quæ virum
magnum ſemper decet conſtantia. Eſt vi-
cina quædam ædibus puella. quam favente
Venere & Gratiarum populo eſſe natam, ſub-
inde contendit. Sed in dote vitium eſt: qua,
me judice, illi, & quidem luculenta, eſt opus.
Eodem quo uxorem amiſit tempore, etiam
languor acceſſit. ὀλιγοχρυσίαν vocant. Ajunt
medici, eruditorum eſſe proprium. Etiam Pla-
toni volunt, Dionem cum peteret, moleſtum
fuiſſe. Facilius e vultu & pallore, quam e ve-
næ momentis eum deprehendas. Hunc pro
cætera conſtantia aliquanto minus fortiter
ferre mihi eſt viſus. Adfui homini: mentem
afflictam erexi. Cætera ajebat poſſe ex animo
deleri: remedio autem & quidem præſenti
opus eſſe. Etiam hoc inventum eſt. quod re
ipſa ſum expertus efficaciſſimum eſſe. Ma-
gnum certe uſum ἡ χρυσῖτις habet. Etiam o-
culos, quod Hippocrates voluit, plerumque
exhilarat. Stabat antea demiſſo vultu ac tri-
ſti: uxorem ejus vivere adhuc crediſſes.
Vix ſpes melior affulſit, reſpirare cœpit,
& conſtanter multa de fragilitate vitæ diſpu-
tare: nemo funus eſſe in ædibus exiſtimaſſet.
Ego nullum officii prætermiſi genus. Jambos
ρχαΐζοντας plus minus ducentos conſcripſi:
quos brevi videbis. & quidem hac lege, ut
& me videas ſimul. Quod, ut ſpero, brevi eſt
futurum. Vale. Lugd-Bat. CIↃ IↃ CX.

AD

# AD RHADAMANTHUM.

## Fictum.

Lenierat torvum culto ſermone Charontem
Baudius, infernis dum veheretur aquis:
Annueratque illi, per ſe non ſtare profeſſus;
Et dimiſſurus, ſi licuiſſet, erat.
Quid faceret? ſiſtens Rhadamantho portitor, inquit,
AUDI hominem, & flecti te patiare, rogo.
Flexanimæ Iudex captus dulcedine vocis
Præcipit illicitas hunc remeare vias,
Sed duo mandantur miſero præſtanda marito.
O medicina gravis! Vnda bibenda viro eſt;
Et conjux repetenda prior: ſitiatque, bibatque
Quantumcunque volet. non prohibentur aquæ.
Sed vetitus liquor ille Dei, qui ſubdidit Indos;
Figit & incertos unde poëta pedes.
Altera crux: tota Galla Tanaquile fruatur.
Sed tamen a chara conjuge languor eat;
Multivola ne mente novos ſuſpiret amores.
Hac iterum in lucem lege redire poteſt.
Jamque in vitales rediiſſet Baudius oras,
Præferret fumos ni Rhadamanthe tuos.

P. SCRIVERIUS.

COR

CORNELIO vander MYLE
DOM. BAUDIUS S.P.D.
Hagam-Comitis.

Ex conſilii tui ſententia, cujus voluntas mihi inſtar legis eſt, effeci ut intelligeres, non tantū me haud deſtitiſſe a petitione muneris Hiſtorici potentiſſimorum Ordinum, ſed e contrario certam obtinendi ſpem concepiſſe, partim favoris tui fiducia ſubnixum, partim quod ſine injuria, certe niſi cum honoris noſtri imminutione, non poteſt alteri quam defuncti Merulæ ſucceſſori Sparta hæc exornanda mandari. Præcipue vero (cur enim bona noſtra non norimus, aut ea publico non applicemus bono?) quia nemo vivit ſub ditione atque imperio Illuſtriſſimorum Ordinum, qui majore animo & feliciore ſucceſſu rem eam effectam dare poſſit. Itaque humanitatis tuæ genium adjuro atque obteſtor per Deum immortalem, per fas Chriſtianæ charitatis, per vinculum ſanctæ Fidei, & quidquid apud gentes venerandum atque antiquum habetur, impone tandem optatum finem diuturnæ exſpectationi, neu me patere longius verſari inter ſacrum & ſaxum ſub ictu creditorū; qui meas aures aſſidue moleſtis vocibus circumſonant, ut defæcato animo ſtudia doctrinæ tractare nequeam. Lentus & miſerandus ille languor, qui me chariſ-
ſima

ſima conjuge orbavit, idem me ſumptibus exinanivit, ut triennali frugalitate non poſſim explere lacunas æris alieni, niſi adventitium aliquod lucrum dexter Mercurius obtulerit. Is tu eſſe potes, ſi ſerio totum Vander-Mylium heroem in gratiam ſummi tui cultoris impendere dignatus fueris. Recte dicebas nuper, Nihil aliud poſſe locare in ſolido, & ad portum bonæ ſpei appellere quaſſatam ratem Baudii, quam opimum aliquod conjugium. ſed procax iſtud genus divitum ac fortunatarum mulierum ſpernit viros fama meritisque celebres, niſi cenſu quoque cenſeantur. Quod ſi tua forti fidelique opera noſtris rationibus hæc acceſſio honoris atque emolumenti facta fuerit, enitar totis viribus ut nulla res & patriæ majori ornamento, & tibi ſolidiori gaudio futura ſit. Sed plane mature facto opus eſt: alioqui cura & ægritudine contabeſcam miſer, aut præceps conſilium ſequi cogar a neceſſitate, quæ legem & rationem omnem frangit infirmatque. Ab urbe Gandavo literas accepi, quibus ſignificatur optimam eſſe ſpem recuperandi laris materni; ſed, ut loquar cum Plauto, *manus noſtræ oculatæ ſunt, credunt quod vident*. Si quid iſthinc obvenerit, id omne in lucro deputabitur. Vale decus & præſidium meum. Datum Lugduni Batavorum x Martii cIↄ Iↄ c x.

GE-

GERARDO IOHANNI VOSSIO
DOM. BAUDIUS S.P.D.

Dordrechtum.

Pecco largiter, amiciſſime Voſſi, & adverſus promiſſi fidem, & adverſus ſacrum hoſpitalis teſſeræ, quod tamdiu ſuperſederim a ſcribendo, cum ſim a te omni genere profuſiſſimæ humanitatis exceptus. Nec me hercule, ſi ſine fuco ac fallaciis more majorum veritas fatenda eſt, non aliam tantæ ceſſationis cauſam prætexere poſſum, quam blandientis inertiæ dulcedinem, & conſtantiæ tuæ in amando fiduciam, qua fretus ipſe ſum in officio fungendo tardior. Non te fugit veriloquium Taciti, pronunciantis *inviſam primo deſidiam poſtremo amari.* Domeſticum exemplum me vides, ne quæram foris. Quum tamen haud queam diffiteri quin culpam commeritus ſim, tamen cauſæ dictionem non meditabor, ne facilitati & indulgentiæ morum tuorum diffidere videar. Illud enim longe ſcio abeſſe ab ingenuo tuo candore, ut quicquam ſequius velis ominari de meo propenſiſſimo erga te affectu; quem, *dum ſpiritus hos reget artus,* ſanctum & inviolatum conſervabo: καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα. neque enim arctiſſimum illud neceſſitudinis fœdus, quod inter nos & animorum affinitate, & communium ſtudiorum vinculo, & mutuis officiis vitæ

ſancitum eſt, eget verborum proletariorum ac publicorum adminiculis, ut vim ac ſtabilitatem ſuam tueatur. Segregabo itaque minime neceſſarium ſermonem, & miſſis ambagibus revertar in viam. Quo magis & naturæ meæ genium excutio, & rerum mearum rationes conſidero, tam magis adducor in eam ſententiam, ut de aliqua conditione nuptiali ſerio diſpiciam. Sed, ne quid te celem, diuturnus uxoris languor, & parum diligens privignæ cura in adminiſtranda re familiari circumvenit me difficultatibus æris alieni, adeo ut duorum annorum frugalitate ac parſimonia vix ac ne vix quidem ſupplere poſſim hanc jacturam, niſi aliunde ἑρμαῖόν τι obvenerit. Sed non ſum tam improvidus paterfamilias, ut incertam ſpem in cenſum referam. Lucro apponendum eſt, ſi quid bona ſcæva objecerit. Ut regrediar unde abieram, nec decipere nympham ullam, nec ipſe decipi cupio. Quocirca bene conſtitutam eſſe oportebit a fortunis, ſi qua huic homini nubere dignabitur. Nec indigni videmur, ſi ſunt ſua præmia laudi, quorum ratio habeatur a non inſipiente marita. Veteribus amoribus meis ex animo volo, nec ullam præoptaverim, ſi ad cæteras dotes accedat etiam copioſus imber qui olim per impluvium defluxit in ſinum Danaës. Nam tute ſatis intelliges, etiam me tacente, quam parum ex utriusque uſu foret famem jungere cum ſiti, & prolem generare in ſpem eſuritionis. quamquam ab importuna pau-

perie

perie nihil mihi periculi erit, ſi quidem animo a curis vacuo ſacra mea unquàm commovere cœpero:

*ἀλλ᾽ ἦ μὲν τοιαῦτα Θεῶν ἐν γούνασι κεῖται.*

Niſi moleſtum eſt, velim aliquid temporis impartiare diſquiſitioni quo loco res ejus ſitæ ſint. nam quin vivat noſtri memor, & non immunis amorum, nullus dubito. D. Polyander, optimus & eximius virorum, haud gravate in partem iſtius officii ſeſe adjungi patietur, ſi hominis humanitatem perſpexiſſe mihi videor. cui quod hoc tempore non ſcribo, benignus ignoſcet. alias hæc culpa reſarcietur. Vale *φίλτατον κάρα, καὶ ἡμᾶς φιλῶν διατέλει.* Kal. Jun. CIↃ IↃ C X.

## GERARDO IOHANNI VOSSIO DOM. BAUDIUS S. P. D.

Dordrechtum.

Quanquam non eſt tam arctæ neceſſitudinis, quæ nobiſcum intercedit, verba ad dimenſum exigere, aut officiorum vices importunius poſtulare: tamen non poſſum diſſimulare quin animi pendeam, ut certior ſim de ſtatu noſtrorum, ſi Veneri placet, amorum. Patrem, qui jam tum conclamatus & plane depoſitæ ſalutis erat, quum iſthic eſſem, tranſmigraſſe ad beatorum ſedem nullus dubito. quippe qui vix unquam

mortalem audiſſe mihi videor animo & ſermone magis obfirmato ad excipiendam humanæ conditionis legem, ad quam omnes nati ſumus, ut denaſcamur. Quanquam in crudo parentis luctu non videtur oportunum tempus de conditione thalami mentionem facere, tamen nihil obſtat quo minus λάθρα περὶ τῆς οὐσίας inquiſitio ſuſcipiatur. αὐτοῦ γὰρ τῶν χρημάτων οὐδὲν ἔξεστι πράττειν τῶν δεόντων. Si mihi adeſſent facultates Themiſtoclis, non deeſſet eadem animi generoſitas. Is malebat generum opibus carentem, quam opes viro generoque deſtitutas. Quanti interſit hodie eſſe εὐπένθερον, ne longinqua exempla quæramus, illuſtre documentum præbet *, cui quidem multa ſuppetunt optanda bonis, nec impar eſt honorificis muneribus, tamen negari non poteſt cum virtuti atque induſtriæ plurimum debeat, nonnihil etiam eſſe quod affinitati & favori Atlantis noſtri queat imputare. ἀλλ᾽ οὐκ ἐμὸν τούτων ἐπιμελεῖσθαι. interim liberi ſumus, nec indigni qui præclaram patriæ operam navare poſſimus. Semper heroicum illud ſpe & ſtudio concupivi,

αἰὲν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων.

In quo magnifico omine deſino, teque χαίρειν καὶ εὖ πράττειν ex animo voveo. Datum raptiſſime XIX Junii CIƆ IƆ C X.

IO-

# JOANNI POLYANDRO DOM. BAUDIUS S.P.D.

Dordrechtum.

Quanquam ego & meo ſenſu & judicio humanitatis tuæ nihil videor peccare adverſus religioſam dignitatem muneris tui, quod tam familiariter amores meos fidei ac prudentiæ tuæ concredere non dubitavi: tamen ne ſordium & illiberalitatis nomine tibi ſuſpectum ſit noſtrum inquirendi ſtudium de cenſu reque familiari ſobolis Remigianæ, ſeu Textoriæ malis; recte & ordine me facturum putavi, ſi ſimpliciter & aperte cauſam iſtius propoſiti ſignificarem. Modica ſorte & inculpata paupertate contentus eſſe poſſum, ut ſi quiſquam mortalium, & hunc fructum cottidie magis ac magis colligere ſtudeo ex tractatu honeſtiſſimorum ſtudiorum, ut mihi bene cum fortuna mea conveniat, & ut inſanis cupiditatibus modum ac frænos imponere queam. Quam multis enim non egemus ad hanc brevem vitæ viam σὺν εὐθυμίᾳ traducendam? Sed ſecluſis ambagibus, & omiſſis in præſens Philoſophorum ſententiis, ſcire debes me partim ob pene triennalem uxoris languorem, partim ob parum fidelem peculioli noſtri adminiſtrationē, incidiſſe in æs alienum, cui diſſolvendo ægre par eſſe poſſit frugalitas & parſimonia trium

aut quatuor annorum, niſi quid adventitii bona ſors, aut opima dos objecerit. Id arcanum ſine ſcrupulo conſcientiæ non ſuſtinet θυμὸς ἀγήνωρ celare, niſi forte ſi qua nympha nobis favore cœli deſtinatur tam amplis opibus ac facultatibus, ut nomina noſtra expedire poſſit haud minore ſuo intertrimento, quã ſi ex læta ſegete manipulus, aut ex uberi vindemia racemus deruatur. Quanquam voto meo pauca ſufficiunt, tamen hoc agendum eſt, ne ſpernantur θεῶν ἐρικυδέα δῶρα: & multis hoc eſt perſuaſum, huic homini ſuo tempore non defuturam luculentam aliquam conditionem. Ego quoque ſpes meas ut non refero in rationes accepti, ſic nec temere tanquam rem vacuam cuilibet aucupanti vel occupanti permittam. Tu vero me tacente ſatis intelligis, quam parum ex uſu utriusque foret τὸν λιμὸν καὶ τὴν πενίαν infelici contubernio invicem ſociari. Quocirca niſi tam bene fundatum ſit patrimonium amicæ, quam unice diligo, ut ſine notabili incommodo noſtris difficultatibus mederi queat, in rem communem eſt ut aliud mihi ſubſidium proſpiciam. Quod ne in eam partem velit interpretari, quaſi quidquam detrimenti ceperit amor ille priſtinus quo juvenculam forma & ætate florentem ſum complexus: teſtor ex animi ſententia me hoc ejus cauſa facere, ne liberos educemus in ſpem egeſtatis atque eſuritionis. In cæteris jubeo eam ſperare, & ſi mihi unctius aliquid obtigerit libenter filium ipſius gra-

gratis admittam in convictus noſtri ſocietatem, ubi ad eum proceſſus gradum venerit, ut cum fructu publicis Academiæ recitationibus intereſſe poſſit. Nec hoc ſolum, ſed peculiari jure diſciplinam ejus commendatam habebo, tanquam ſi ex me natus foret. Id ut ſine fuco & fallaciis nuncupatione verborum teſtor, ita velim ad honeſtiſſimæ matris aures te interprete perferatur: non committam ut vanitatis argui queam, & ejuſmodi officium haud levis erit momenti ad leniendum mœrorem, quo conflictatur ob deceſſum parentis. Vale, vir reverende & mihi multis nominibus chariſſime. Datum Lugduni Batavor. XXIV Junii cIɔ Iɔ c x.

GERARDO IOHANNI VOSSIO
DOM. BAUDIUS S. P. D.

Dordrechtum.

De Remigio mira ſunt quæ memoras, eum tamdiu vivam mortem & mortuam vitam traxiſſe. ſed admirationem meam minuit domeſticum uxoris exemplum, quæ ſtupentibus medicorum filiis ſpiritum jampridem damnatum ultra menſis ſpatium produxit. Ad ſummam, quemadmodum (ut ait ille,)

*— vis improviſa lethi,*
*Sæpe rapit rapietque gentes.*

ita mors interdum venit lento gradu, tardius-

que immortalium opinione. quocirca ſemper in procinctu eſſe debemus ad excipiendam diei decretoriæ legem, quum nemo ſit tam florens ætate ac viribus juvenis, qui ſibi craſtinam lucem auſit polliceri, nec rurſus tam confectus ævo ſenex, aut ab omni ſpe derelictus, quin ei interdum aliquid induciarum detur ad commentandam mortem, hoc eſt ad exercitationem veræ non ſimulatæ Philoſophiæ. Qui nihil aliud toto vitæ ſuæ curſu meditatus eſt quam ut bene moreretur, huic optime conſtat ratio anteactæ ætatis. Sed me mortalitatis & humanæ conditionis contemplatio abripit extra limites argumenti epiſtolici, nec otium eſt jam ſapientia verba funditandi. quanquam ſcio id tibi eſſe non nolenti, apud quem licet nobis hallucinari. Sed ut a leſſo ad luſus, à tumulo ad thalamum, à tædis funeralibus ad nuptiales veniamus, omnino & animus ſuadet, & rerum mearum ratio flagitat ἱμερόεντα μετέρχεο ἔργα γάμοιο, non tantum ad diſcutiendum ſolitudinis tædium, ſed ut rei familiari proſpiciatur. Carere non poſſum ſine multis incommodis conſorte, cui Baudius tanquam animæ dimidium curæ ſit. Cæterum ut ad reverendi viri D. Polyandri curam & diligentiam me remittis, ita eundem optimæ fidei debitorem tibi delego; ſi quid ſigillatim de meo in amoribus ſenſu ſcire deſideras. Quanquam enim quædam ad eum ſcripſi, quæ non ſit ex dignitate noſtra proferre in vulgus, tamen nihil rerum mearum cupio tibi

tibi eſſe clauſum aut obſignatum. Ea porro eſt inter vos animorum conjunctio, is amicitiæ uſus, ut neuter arcanorum alterius expers eſſe debeat: mihi porro nihil æque in votis eſt, quam ut adſciſcar tertius in tam præclari conſortii ſocietatem. Vale cum univerſa familia, καὶ σὺ πράττε ϗ meis verbis ſalute plurima conjugem impartiare δῖαν γυναικῶν. Datum Lugd. Bat. VII Kal. Quintiles cIↄ Iↄ cx.

## GERARDO IOHANNI VOSSIO DOM. BAUDIUS S. P. D.

Dordrechtum.

Doleo ex animo, humaniſſime Voſſi, te tantum oneris ac laboris in gratiã meam ſuſcepiſſe. Nam etſi ſincero affectu nympham illam proſequor, tamen magis liberandæ fidei religione, & veterum repromiſſionum ultro citroque ſtipulatarum memoria adductus ſum, ut conſortium ejus ambire non dedignarer, quam formæ lenocinio, vel divitiarum conditione. Nolim factum, ut duobus viris, quos jure maximi æſtimo, curam iſtius conciliaturæ demandaſſem. Neque enim ſum tam deſertus à bona ſpe, ut ſollicitis precibus, aut diligenti cautione depaciſci debeam, ne Baudium maritum faſtidire velit. Quod ſiccas ſe animas amare ait, ſcio quorſum tendat, nec intercedo, quin Cereri ſe totam voveat, aut ætatem

careat temeto. mihi ſententia dia priſci Cratini magis arridet, quam factis approbavit magnanimi Catonis virtus, quæ ſæpe mero incaluiſſe perhibetur. Stat à meis partibus tota manus Poëtarum, genus hominum integrum vitæ ſceleriſque purum. Non tam parvipendo gloriam carminum, ut aquæ potor eſſe conſueſcam, præſertim in hac ſera ætate. Quocirca ne amplius inducat in animum leges magiſtras ferre ſine populi ſuffragio, ſimpliciter edico me conditionem ejus nihil morari. ſed interim gratias immortales habeo utrique veſtrum, quod tantopere mea cauſa laboraveritis.

*Tam teneor dono, quam ſi dimittar onuſtus.*

Multum item te amo, quod me celandum non putaſti hoc horribile ſecretum. Malignitas obtrectatorum nihil aliud in nobis ſugillare poteſt, quam quod nimis commodus ſũ convivator, & interdum largius adſpergor flore Liberi patris. Sed ut Sertorii miles caudam equinam depilavit ſenſim carpendo, ſic operam cottidie magis magiſque do, ut diligentius vivam, & ad cæteras laudes, quibus fremente invidia clari erimus poſtgenitis, temperantiæ virtutem & ſobrietatis adjungã. Velim eos, qui tam curioſa indagine papulas noſtras obſervant, perpetuum vitæ tenorem atque ordinem conſiderare, & quam aſſiduiſſimus in tuenda publici muneris ſtatione, tametſi interdum, ut eſt ingenium humanitatis, pluſculum ſodalibus & innoxiæ hilaritati

in-

indulgeamus. Didici ex Horatio heroë, is porro autorem habuit Græcum haud ignobilem, cujus tamen nomen mihi jam non ſuccurrit feſtinanti. ſed Horatius bonæ fidei debitor eſt, nec opus habet ſponſore. is me docuit, ſiccis omnia dura Deum propoſuiſſe, nec aliter pelli mordaces ſollicitudines, tranquillitatis tyrannas, quam dulci Lyæo, ſeu Lenæum mavis. Rutgerſium, qui mihi præſto aderat, cum literas tuas accepi, nomine tuo ſalutavi, &, ut ei nihil clauſum aut obſignatum eſſe patior, epiſtolam cum eo communicavi. Miſſurus eſt ad te proximo die Dominico libros de quibus ſecum egiſti. Vale cum lectiſſima conjuge & omni familia. Reverendis viris Polyandro & Lydio plurimam à me ſalutem nunciari cupio. Fac etiam Blyenburgus intelligat me non eſſe immemorem ſui. De amoribus noſtris verbum amplius ne feceris. gaudeo me bona cum nymphæ ejus gratia liberatum eſſe nexu veteris promiſſi, καὶ διπλόου συναλλάγματος, cujus adhuc me nonnulla inceſſebat ſuperſtitio,

*Nunc diis auſpicibus reor & Iunone ſecunda,*

certe defæcato animo potero ad alias, ut ſpero, longe ſplendidiores conditiones adſpirare. Datum XVI. Julii. CIↃ IↃ CX.

Ex

Ex Epiſtola quadam

## AD IANUM RUTGERSIUM.

Dordrechtum.

Necdum animũ deſpondi in amoribus, licet iis me excidiſſe crimineris. Non uno ictu dejicitur quercus, nec ſimplex repulſa, aut potius verecunda nuptiarũ deprecatio, terrere debet ἀγλώοχα θυμὸν conſtantis amatoris, quo minus iterum atque iterum petitor in campum deſcendat. Nuſquam magis quam in tali palæſtra expedit pudorem tanquam ſudorem noxium a fronte detergere. Si Lucretia eſt, faxo dicat ſe nactum eſſe alterum Tarquinium: niſi quod nihil inconceſſum concupiſco, nec aliam vim meditor, quam quæ a flexanima vocis clementer graſſante ſuada proficiſcitur. Utinam tantum adeſſet illa matronarum decus, & vi, clam, aut precario poſſim mereri ejus affatum. Nihil poſthac tam ſerio totisque Baudii viribus aggredi ſtatutum eſt mihi, quam procandi munus. Deducam in actum univerſam Naſonis artem, & aliquid etiam addetur inventis. Vale φίλτατε. Dabam raptiſſime Lugd. Bat. XXIX Januarii, CIƆ IƆ CXI.

PETRO RUBENIO DOM. BAUDIUS S.P.D.

Antverpiam.

Ne ad inania excuſationum diverticula confugiam, ingenue confitebor aſſignandam eſſe oblivioni ac negligentiæ culpam tam diuturni ſilentii. Nam ex eo tempore, quo à vobis diſceſſi, ita mè totum ſibi vindicavit procandi occupatio, ut omnium aliorum vitæ & amicitiæ officiorum fuerim oblitus. Nunc in optimæ ſpei vado conſiſtunt mea vota, & propediem fore ſpero, ut epithalamium mihi conſcribant duo primaria Belgicæ juventutis ornamenta Grotius & Heinſius, quos amore paterno complector, quod & apud poſteros teſtatum iri confido duraturis in perpetuum monumentis. Si nos dignaveris honeſtare aliquo tuæ artis ſpecimine, gratias immortales eo nomine tibi ſum debiturus, & viciſſim à me exſolvetur,

*Quicquid in arte mea poſſum promittere cura.*

Utinam te caperet impetus huc excurrendi! invenies non ineptos induſtriæ tuæ æſtimatores, inter quos ſunt ea duo lumina quæ ante commemoravi. Nec deſunt etiam qui penicilli gloria celebrantur. Michael à Miereveltjampridem à fama notus eſt, & judicio recte ſentientium magnam laudem non ſine lu-

lucro conſequitur exprimendis ad vivum vultibus hominum. Multique alii in his provinciis florent. Sed, ut ſimpliciter dicam quod ſentio, non accedunt ad decus tuorum operum, ſi oculos eruditos habemus, qui talia ſuis pretiis arbitrari poſſint. Non ſum factus ad aſſentandum, nec ea labes cadere debet in generoſum pectus, ſed loquor uti ſentio: non poſſum ſine horrore contemplari monumenta tuarum manuum, quæ vivent quamdiu ars æmulatrix naturæ, & humanitatis genius, in terris celebrabuntur. Sed ut cœpi dicere, totus jam ſum in procando, & *fere ad mille Scazontes effudi in meos amores*, quibus ad vivum expreſſi varios affectus eorum, qui hac amabili inſania tenentur. fortaſſe lucem videbunt non ſine ſuffragatione literatorum, niſi me communis philautia decipit. Tu qui omnia noſtra favore prono complecti ſoles, non ægre feres jactatiunculam, vitium agnatum erectioribus ingeniis; præſertim generi poëtarum, quos ideo arbitror eſſe ſub tutela Phœbi qui Medicinæ præeſt, quod illis non ſit ſana mens, & quod curatoris egere videantur. Accedit nunc eodem amor, ut ſi admoveatur oleum camino, ne quid deſit ad efficiendum poëtam omnibus inſaniæ numeris abſolutum. Negat enim princeps ingenii & doctrinæ Plato, quemquam abſque ſacro furore, Muſarum unquam pepuliſſe fores Poëticas. Sed furor hic optandus eſt omnibus quibus cor ſapit, & acetum acre eſt in pectore,

re,ut cũ ingenioſiſſimo vate gloriari poſſint,
*Eſt deus in nobis, agitante caleſcimus illo.*
*Impetus hic ſacræ ſemina mentis habet.*
Sed jam ſatis eſt ineptiarum, & tempus videtur finiendi nugacem epiſtolam, cum ſolenni formula, ut valeas, nos ames, & ſtrenue rem famamque augeas. Socero totique familiæ ſalutem meo nomine plurimam dicas. Datum Lugd. Batav. XI Aprilis, cIↄ Iↄ cxi.

DO-

DOMINICI BAUDII

# SCAZON,

*ſive*

# LESSUS AMATORIUS,

Ex bibliotheca
PETRI SCRIVERII
nunc primum editus.

*Qualis ſub umbra populi gemens turtur*
*Crudele fatum comparis ſuæ luget,*
*Sedensq; ramo triſte carmen occentat.*
*Non Heſpero ſurgente mœror abſcedit;*
*Nec cum rubens Aurora mane Tithoni*
*Cubile linquit, nox & ipſa, quæ curis*
*Lenimen adfert, tota ducitur flendo.*
*Qualemve leſſum per Cayſtrii ſtagna*
*Fundit propinquus funeri ſuo cygnus.*
*Tales querelas integrare compellor*
*Amore flagrans, ſaucius gravi cura:*
*Vt evaporem qui meis inardeſcit*
*Æſtus medullis. O cor inſcium flecti,*
*Cor obſtinatum, immite, ſævius fluctu:*
*Quouſque tandem tabe confici lenta*
*Sines amantem ſpe metuque ſuſpenſum?*
*Tu quæ puella, quæ tenella adhuc virgo*
*Florem juventæ ſenibus auſa es autumnis*

*Vinclo jugali copulare, ceu quondam*
*Matuta non eſt deſpicata Tithonum,*
*Cur nunc ſenectæ primulo in gradu ſtantem,*
*Senſu haud minorem, viribusque pollentem,*
*Tu penè par ætate, veris expuncti*
*Me ſæva ſpernis, atque deputas probro*
*Tuis quod aſpirare nuptiis auſim?*
*Quid tu tibi ſuperba nympha perſuades?*
*Quæ tumida pectus arrogantia extollit?*
*Nec tu Cypri regina es, attamen Cypris*
*Adonidis flagravit igne paſtoris,*
*Nec diva timuit ſuccubare mortali.*
*Nonne & propago clara patris Anchiſæ,*
*Dea creatus lumen hauſit Æneas?*
*Nonne & Thetis marina, Nerei proles,*
*Dignata ſeſe jungere Æaci nato?*
*At tu proterva deſpicis ſacerdotem*
*Themidis verendæ, Palladisque cultorem,*
*Quem Gratiarum triga, quem novem Muſæ*
*Virûm per ora præpeti vehunt penna.*
*Virtute cœli nomen obtigit nobis,*
*Quod nec ſenectus ulla ſolvet annorum,*
*Nec dente Momus atteret Theonino.*
*Ius non habet Proſerpina in ſacros vates,*
*Quos a ſepulcro maius excipit lumen,*
*Quam ſolis almi quum fruuntur uſura.*
*Non eſt ut unquam morte poſſit extingui*
*Sublimis aura, & igneus vigor mentis,*
*Hæc dona nullis comparanda theſauris;*
*Divina dona, cœlicæque naturæ,*
*Quæ nil caduco ſemini patrum debent.*
*Si parvipendis præ luto refulgenti,*

Præ

*Præ lamina quæ faſcinat virûm mentes,*
*Radix malorum, ærugo peſtilens cordis,*
*Quam terra mater al dito ſinu celat,*
*Vt criminum crudele pabulum tollat.*
*Hæc dona ſi contemnis, & facis flocci,*
*Nil ætheris de portione traxiſti,*
*Sed tota glebæ affixa es, ut pecus brutum,*
*Servire natum corporis voluptati:*
*Cui venter eſt pro numine, & modus vitæ*
*Culina, ſomni, ludus, umbra, nil ſanum.*
*Expers amorum vivis, & venuſtatum,*
*Nec te Cupido, Veneris & Poli germen*
*Afflavit unquam horrore cœlitus flammæ:*
*Senes ſed unctos, Aggerunticos patres,*
*Capuli columina glubere expetiviſti*
*Spe mortis, & ſplendore capta gazarum.*
*Tu quæ videri vis avara doctrinæ,*
*Fœcunda laudum, gravida maſculæ mentis,*
*Averſa probro, caſtitatis exemplum,*
*Maior profana plebe, pone perſonam,*
*Nec honore vano turgidum geras pectus:*
*Faxo involutus vulpe ſub vafra fucus*
*Noteſcat, & te ſæculo lucri ſervam*
*Vixiſſe rumor me canente proſcribit,*
*Notisque frontem inuret uſque manſuris,*
*Dum clara lux fulgebit eruditorum.*
*Ceu raptor ad cadaver advolat vultur,*
*Priusque ſentit qua die ſit eſurus,*
*Odore prædæ illectus, & fame plenus:*
*Sic nidor auri ſuaſit, haud amor ſanctus*
*Vt viva velles mortualibus iungi,*
*Quo more dirus ille rex Hetruſcorum*

*Graſſatus eſſe fertur in ſuos cives.*
*Neſcis inepta quale vulnus infligat*
*Famæ ac pudori ſpreta gens poetarum,*
*Quum ſævus ira detumeſcit Hipponax,*
*Trucique Iambo armatus excitat pugnas*
*Archilochus, & ſe vindicat dolor iuſtus.*
*Hæc cauſſa multis texuit necis ſtamen,*
*Hæc vis Lycamben morte adegit infami*
*Finire vitam, Bupalumque, nec cuiquam*
*Impune ceſſit aſperare crabrones.*
*Quum tela ſtringit entheus furor vatum*
*In fœminas humanitatis oblitas,*
*Æterna durat contumeliæ labes*
*Ritu nec ullo februisque luſtrandæ.*
*Tu dote qua nunc inſoleſcis, O demens,*
*Luctuque noſtro frueris in tuas laudes*
*Fallacis auræ neſcia, & brevis vitæ,*
*Videbis olim pallidam domum Ditis,*
*Ingloriaque oblivione cum gazis*
*Ævo eximeris, nec feres vetuſtatem.*
*At mortua te vivet hoc meum carmen,*
*Quod poſterorum gens amica virtutum*
*Non abſque probro nominis tui volvet.*
*Quin viva vivo tu mihi dabis pœnas:*
*Nam ſi quid eſt in Baudio lacertorum,*
*Marisque nervi, nec vibramus imbelles*
*Telum ſine ictu, non abibis intacta*
*Verſu cruento, qui per ultimas gentes*
*Meam fidem, tuumque perferet crimen.*
*Dirus aget te rumor, & palam dicet,*
*Quum me ad beatas egerit dolor ſedes,*
*Puella cruda, illacrymabilis, torva,*

*Pro poetæ mortis attulit cauſſam.*
*Hæc fama te ſequetur, ac velut tortor*
*Ictu minuto conteret tibi pectus.*
*Tunc ſera flebis, & dolore marceſces,*
*Quum ſpem medelæ ademerit dies ſummus.*
*Ah, ne tibi ſit experirier cordi*
*Quid felle tinctus poſſit impetus vatum!*
*Benignitatis perſequi decus malis,*
*Quam ſæva dici, ignara moris humani,*
*Quam triſtis ut Medea ſæculo tradi.*
*Sed haſce voces auribus cano ſurdis.*
*Nam cur mihi ipſe adulor & creo ludos,*
*Perſuaſionis ebrius mero dulci?*
*Num flexit os evicta fletibus noſtris?*
*Num, quod potens Natura ſexui inſevit,*
*Lacryma ex ocellis ulla fluxit invitis?*
*Quin ſic mei faſtidit, ut nec affatu*
*Dignetur ullo ſublevare mœrentem.*
*Tamne invenuſtus, tamne ſortis abiectæ*
*Videor tibi, crudelis, ut putes crimen*
*Mecum loqui, mecum iugare ſermones?*
*Læſæne maieſtatis argues vatem,*
*Quod ſe tibi dicare ſenſibus totis,*
*Fœlicitatis deputat ſuæ ſummam?*
*Tecum mihi ſit vivere, & mori dulce.*
*Tui carendo vita mortis eſt inſtar,*
*Eſt morte peior. quippe ſpiritus noſter*
*Te ſpirat unam, a teque vita dependet.*
*Si crimen eſt, iam ſat ſuperque pœnarum*
*Dedi arbitratu peſſimi tyrannorum.*
*Quid amplius requiris? en tamen ſupplex*
*Ad genua ſontis ipſe læſus advolvor,*

*Veniam laceſſo, gratiam tuam poſco.*
*Satiare tandem luctibus precor noſtris,*
*Triſtique pone, pone terminos iræ.*
*Vel, ſi ſtat uſque ſæviendo graſſari,*
*Saltem mori concede cui negas vitam.*
*O dura, quis me mentis error invaſit?*
*Quæ vexat Ate? quodve ſidus afflavit?*
*Qui te, mea quæ ſola crimen es cladis,*
*Sic pereo demens, ſic amore væſano*
*Complector, ut nec ars, nec ulla vis poſſit*
*Sanare morbum, qui me ad incitas ducet.*
*Pudet pigetque, vivus ac videns flammam*
*Foveo ſinu, qua deflagrante conſumor.*
*Non trucior halat ignis e ſpecu Ætnæo,*
*Nec vi potentiore peſtilens veſtis*
*Ambedit artus efficacis Alcidæ.*
*Totus favilla ſum, cinisque mox fiam,*
*Ni deſinas iræ, & miſerta ſis noſtri.*
*Quod te per aram humanitatis obteſtor,*
*Per ſiquid unquam pectori tuo charum*
*Blande recurſat, & creat voluptatem*
*Senſu, ſuävis temperatam amaroris:*
*Ne quem potes ſervare, perditum malis,*
*Deſæviendo: iunge nomini mores,*
*Regina cordis atque pectoris noſtri*
MARIA, *quo non dulcius ſonat nomen*
*Sub ſole: te ne* MARTIAM *voles dici,*
*Dum Martis inſtar parricida crudelis*
*Gaudes ovasque cæde: ſæviens ipſo*
*Mavorte peius, & ſorore Bellona?*
*Namque hi per hoſtes irruunt, & armatos,*
*Acieque ſternunt perduellium turmas:*

*Tu-*

*Tu das inermum, das amaſium letho,*
*Dum bella ceſſant, & ſequeſtra pax regnat.*
*Nec morte prompta, ſimplicique graſſaris,*
*Sed more quo tyrannus ille feralis*
*Caligula, patris optimi impium ſemen,*
*Cadi iubebat, ut perire ſe ſcirent.*
*Tamen nihil me contumeliæ laſſant,*
*Tormenta luſum deputo, lucrum mortem,*
*Modo ſi redire in gratiam mihi obtingat*
*Tecum, priuſquam ſolis hoc iubar linquam.*
*Libens obibo, nec gravem moror Parcam,*
*Dum te meum cor, optimam mei partem*
*Complexus ipſo in lucis exitu cernam,*
*Graveſque ocellos in tuo ſinu claudam.*
*O ſi ſepultis ulla manibus cura eſt*
*Supremi honoris, lacrymæque viventum*
*Tangunt beatas, & polo additas mentes,*
*Quam conquieſcent oſſa molliter noſtra*
*Quum vati amico triſte munus impendes?*
*Quum mœſta dices verba lumine haud ſicco,*
*Heic funus eſt amoris haud carens noſtri,*
*Placida quieſcat pace qui gravis nulli,*
*Boniſque gratus vixit uſque dum vixit.*
*Non imus inter huius incolas mundi,*
*Quos fama clarat, & vetat mori virtus.*
*Heu cauſſa mortis extiti pio vati,*
*Nec memet ipſa iudice eſt ut abſolvar*
*A crimine iſto, ni ferat mali culpam*
*Cupido cœcus, & malignitas fati.*
*Meliore flamma dignus, aut erat ſaltem*
*Dignus minore qui flagraret affectu,*
*Vel quem viciſſim amore muneraretur*

*Amata quantum vix prioribus ſæclis*
*Amata vixit ulla: nec fui tanti,*
*Nec eredere unquam mentis impotens quivi,*
*Ex me dolorem poſſe gignier tantum,*
*Vt interiret hoc amoris exemplum,*
*Hoc ſplendidum ſpectamen aureæ gentis,*
*Flos unus, atque ocellus eruditorum.*
*Sed vana rurſus ſomnia hei mihi fingo*
*Ritu Sabino! quin reſumis, o Baudi,*
*Virile pectus, deſinisque ineptire?*
*Quin corde pellis hanc amabilem pœnam,*
*Blandamque peſtem, noxiamque Sirena?*
*Reverte tandem mentis in poteſtatem,*
*Incumbe curis, unde patriæ poſſis*
*Adeſſe rebus, ut decet bonum civem,*
*Virumque fortem: profer in iubar ſolis*
*Præſtans opus, quod proſit alteri ſæclo.*
*Noli pati torpere pectoris dona*
*Gravi veterno, pange vel Sophocleo*
*Dignum cothurno carmen, aut per annales*
*Extende laudem gloriamque virtutum.*
*Vbique latus limes ad decus famæ*
*Pateſcit, & ſe palma denegat nulli,*
*Quicunque mentis tendit ad culmen bonæ.*
*Hoc eſt agendum: ſat ſuperque ſerviſti*
*Dominæ procaci; ferre quæ ſuam ſortem,*
*Iovisque coniux eſſe neſcit invicti.*
*Linquas ſuperbam moribus ſuis nympham,*
*Faſtuque faſtum ulciſcere, & iugi turpis*
*Abrumpe vincla, teque vindices captum.*
*Volo, at volenti obſiſtit impotens ardor,*
*Aliudque mens, aliud Cupido conſuadet.*

*Video proboque ſaniora, ſed quales*
*Equis citatis auferuntur aurigæ,*
*Quum ſe ruens quadriga carcere effudit:*
*Sic me ſine ullo more raptat affectus*
*Fræno reluctans, inſolensque habenarum.*
*Heu, quo receſſit illa priſca libertas,*
*Qua glorioſus extuli caput cœlo!*
*Ego ille cui ſoluta legibus vita,*
*Suique compos iuris, at ſequax recti,*
*Veræque laudi addicta ſemper arriſit:*
*Qui purpuratæ ſervitutis exoſor*
*Non ſum pati dignatus aulicos faſtus,*
*Cliensve limen obſidere magnatum,*
*Qui me nihil debere regibus iacto,*
*Regumque pueris, præter integrum fraudis*
*Cor, & ſupremæ dignitatis obſervans:*
*Nunc vapulo, mulierculæque ſub regno*
*Dimittere ultro ſpiritus mares cogor,*
*Et ad preces decurrere haud viro dignas.*
*Sed quis Gigantum more non perhorreſcat*
*Bellare divis? ille Cypridis natus,*
*Qui fœminæ ſervire adegit Alciden,*
*Idem puer me verſat, & modis miris*
*Vexat, mihique memet eripit totum.*
*Amens amans, extrema fata te tangunt.*
*Non eſt uti par ac ſuperſtes evadas*
*Tanto dolori: quid moraris in vita,*
*Spretus, repulſus, impieque tractatus?*
*Sed quin adhuc laceſſis, & prece adiuras*
*Heram rebellem, ne quid uſquam inexpertum*
*Moriture linquas, aut inultus occumbas?*
*Non tigris illam, non leæna produxit*

*In lucis oras rupe ſub Libyſſina.*
*Sed urbium flos, corculumque amœnarum*
*Fœcunda ſemper Bruga vatibus claris,*
*Virûmque alumna mater eruditorum,*
*Quos inter & nos obtinebimus famam*
*Non pœnitendam, non honoris expertem*
*Fremente Momo: nullus hanc mihi palmam*
*Demet tyrannus, temporumve decurſus.*
*Si diſtributor ille cenſuum Plutus*
*Larem meum largo imbre non inauravit,*
*At eſt abunde Baudioque, Muſisque,*
*Quod mens paratu læta pauculo poſcat.*
*Non fulgor oſtri, non acervus argenti*
*Deducit ægro corpori ardidam febrim,*
*Nec ſordidas cupido deſerit mentes*
*Superata luxu copiisque gazarum.*
*Me celſiores excitavit ad auras*
*Generoſus ardor, indolesque doctrinis*
*Imbuta rectis, artibusque præclaris,*
*Vnde æviterna laus paratur, & nomen*
*Immune lethi, ſorte maius humana.*
*Tali beatus dote, quæ ſuperſcandit*
*Sellas curules, & decus triumphorum.*
*Quæ non redimitur ære. quam Bias ſecum*
*Portabat, hoſtis urbe quum potiretur:*
*Quid cunctor ultra? quin timore ſecluſo*
*Virtute fidens gradior ad meam Divam,*
*Pacemque veneror in graviſſimo caſu?*
*Manſueſcet, ut ſperare fas pium duco.*
*Moviſſe cantu ſaxa fertur Amphion,*
*Senſus ferarum mulſit Orphei plectrum.*
*Sed iuvenis idem triſte præbet exemplum*

Mu-

*Muliebris iræ, quem miſerrimo ritu*
*In fruſta diſcerpſere Thraciæ matres.*
*Tamen ſubire eſt aleam mihi certum,*
*Mœſtasque promere intimo e ſinu voces*
*Sine arte, quales exprimit color veri.*
*O domina, ſi quid ultimæ preces poſſunt,*
*Quas fundo ab imo pectoris penetrali,*
*Si reſidet in te mica mentis humanæ,*
*Necdum clientis exolevit antiqui*
*Dejecta corde prorſus ex tuo cura:*
*Te quæſo ſupplex, applica pias aures*
*Mœſtis querelis, & vocatibus juſtis.*
*Cur me fugis? per haſce lacrymas teſtor,*
*Nihil eſſe quod matrona temnat in nobis.*
*Si ſpes avaras ſector improbus voti,*
*Quod te ambio, tuoque ab igne marceſco,*
*Ceu canus humor a teporibus vernis:*
*Saltem mihi ſermone ſit tuo paſci,*
*Os intueri, pectus illud amplecti,*
*In quo venuſtus fixit, atque honos ſedem.*
*Poſſum tyrannos, gentiumque paſtores*
*Coram alloqui fidenter ore ſublimi.*
*Poſſum ſtilo, vivaque vocis oraclo*
*Pacare vulgus, & feras amica vi*
*Mulcere mentes: eſt ubi viri unius*
*Plus Suada præſtat quam caterva bellantum.*
*Non mole vaſta, non toris lacertorum*
*Fit, ne ſecundo terminentur eventu*
*Præclara cœpta. mens vigoris excelſi*
*Repleta ducit agmen, & regit clavum.*
*Hic ſpiritus vitalis ille per cunctos*
*Diffundit artus corporum ſuas vires.*

*Hic*

*Hic animus æmulator ætheris celſi*
*Res arduas perducit ad bonos fines.*
*At nec Suäda noſtra, nec valet virtus*
*Cor illud incurvare durius ferro,*
*Cui ſors iniqua ſubdidit meos ſenſus.*
*Valete Muſæ, debeo nihil vobis,*
*Sirenes absque fruge, res domum veſtras*
*Auferte, non vos hacce fine conſector,*
*Vt bella Martis horrido canam verſu:*
*Venus, Venus me Marte ſævius vexat,*
*Internaque urget arma. ſi nihil carmen*
*Prodeſt amanti, perditumque non ſervat*
*A limine Orci, nullus hunc moror morbum,*
*Sterilemque paſtum mentis otioſorum.*
*Quærendus eſt mihi aditus ad meam Divam,*
*Sermoque plenus efficace ſuadela,*
*Qui poſſit expugnare pectus hoc ſævum,*
*Crudele, inexorabile, inque manſuetum.*
*Mea vita, rurſus te rogo, precor, quæſo,*
*Adverte mœſtis queſtibus pias aures,*
*Miſerere amantis, mutuumque fac mecum.*
*Non parva ſpero dona, quum maritali*
*Tecum jugari lege fervidus poſco.*
*Sed nec pigendus ipſe, & erubeſcendus*
*Ero tibi vir, o cor, o meum lumen,*
*O luce dulci ſi quid eſt magis charum,*
*Mecum velis tranſigere quicquid annorum*
*Benigna nobis cura deſtinat cœli.*
*Te veneror impotenti amore correptus.*
*Non ſum meus, tu domina mentis es noſtra,*
*Tu ſola fati temperas mei clavum.*
*Hæc vita morsque pendet a tuo nutu.*

Pro te mori, ſi te vicario poſſim
Redimere letho, Vita, non reformidem.
Sic compotem me fauſtitatis æternæ
Deus ille faxit, quem penes poteſtas eſt
Vitæ necisque. te ſuprema mens oro,
Mundi arbiter, tutela gentis humanæ,
Quo proſperante cuncta, Vita, ſuccedunt.
Te, qui jugalis inſtitutor es lecti,
Rex ſancte venerans invoco, & prece obteſtor,
Vt faſtuoſa nympha quæ meos ſpernit
Caſtos amores, nec marita, vel mater
Studet vocari, flectat aſperam mentem
In melius, & ſe mancipet mihi fido
Pioque nexu, nulla quem dies rumpat.
Sic ibit. haud ſunt irritæ preces vatum,
Qui labe purum pectus offerunt aris,
Rectaque lætam conſcientia mentem.

FINIS.

## JANO RUTGERSIO DOM. BAUDIUS S. P. D.

Dordrechtum.

Erat mihi in animo ad vos proficiſci, ſed blanda compede me detinuerunt convivatorum ſodalitates. Forte haud ingratus eveniſſet parentibus tuis noſter adventus. Nam ſtatueram fidem tuam ſecutus cavere ſub periculo meæ exiſtimationis te ſerio & omni ſtudio ac diligentia incubiturum Juridicæ facultati dimiſſis ad tempus literarum amœnitatibus. Quod ſi in animum inducas facere, ſpondeo, promitto, conceptis verbis juro te ſpatio minus annuo ſumma cum dignatione aſſequi poſſe non Perſarum gazas aut atria divitis Craſſi, ſed quod utroque potentius eſt neque purpura vænale nec auro (arrige aures Pamphile) majeſtatem doctoralem. Quid te lætius erit beatiusque? De literis a Principe nihildum actum eſt, *ἀλλ' εὐελπίζειν κελεύουσί με φίλοι ἄνδρες*, ſed non ego credulus illis, iſta ſum captus ab arte. *Περὶ τῆς ἐρωμανίας πάνυ καλῶς ἔστω.* & ut in eam curam toto pectore incumbat * facundus veri præco cum ſua ſibi conjuge, proſecutus eum ſum *plus quadringentis Scazontibus.* *σὺν ἀδρασείᾳ λέγω*, nunquam minus mihi diſplicui, videbis illic ad vivum expreſſas omnes affectuum

* *Is eſt Ioannes Vtenbogardus.*

ctuum formas quibus inquietantur mentes amentium amatorum.

*Quid poſcis ultra? quid laceſſis o Progne,*
*Crudelis, implacata, tigridis proles!*
*Meamne vitam, ſanguiſuga feralis,*
*Haurire quaris? ecce, pronus advolvor*
*Genibus tuis, ut audiam mei fati*
*Suprema iura. Namque tu regis clavum*
*Vita necisque.*

Sed quid hæc ad Edictum Prætoris? Tanti eſſet te huc venire, ut ſimul jocari, & verſus iſtos relegere poſſimus. forſitan & prelo mandabitur neque enim debet tale domini perire munus. Ut ut res cadet, intra duos aut tres dies accipiam fati mei legem: non enim diutius decretum eſt mihi vana ſpe produci. Nam ut ſerio tecum fabuler.

*O dulcis heroina, qua meo cordi*
*Das iura, pro qua ſanguinem libens fundam,*
*Si morte functus te ſuperſtitem linquam*
*Voti potentem namque me mori cogis,*
*Dum mente dura ſupplicantis ah vocem*
*Audire temnis in noviſſimo caſu, &c.*

ſi pergis ultra faſtidire virum talem

*Quem publico favore fama dignatur,*
*Quem principes regumque filii haud temnunt:*

ego te ſuperbiæ tuæ relinquam, nec intercedam quo minus ubertim plores, viduaque permaneas uſque dum regna cœli temperabit Juppiter. καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα. Blyenburgum in cæteris bene de nobis ſperare jubeo, & omnia fidelis amicitiæ officia exſpectare, ſed

ἐκτε-

ἐκτετρέξεται ἐμὸς βίος, quod ad carmen attinet. Illa quam pater Nereus efurcillavit ex ædibus, ambigit an ex ictu ſcorpionis onuſtam celocem geſtitet. Quæ eſt iſta jocandi ſævities? dices. Ego certe non magnopere commoveor. Sed tempus eſt deſinendi ineptiarum, Vale. Dabam cIↄ Iↄ c x.. 11 Kal. Majas, quo menſe malas nubere vulgus ait. tamen Philibert du Bois omen vulgi non metuit. eſt enim intra octo dies ducturus uxorē.

## IANO RUTGERSIO DOM. BAUDIUS S. P. D.

Dordrechtum.

Tam multa ſimul occurrunt quæ cupiam ad te ſcribere, & quæ ſcilicet permagni intereſt tua ſcire, ut principium evolvere non poſſim. Procedit editio noſtrarum Gnomarum, cui titulum fecimus *Moralis & civilis ſapientiæ monita*, ut ſciant cordati lectores ſibi potius deſerendum eſſe vadimonium quam carendum uſufructu tam ſalutaris doctrinæ. Certum eſt mihi feriis Auguſtalibus transfretare in Britanniam Utinam te habeam itineris comitem, & conſiliorum participem! non mediocria in pectore ſtruo, & mea ac majorum meûm virtute fretus confido me futurum apud τὸν κρατοῦντα inter intimæ admiſſionis amicos, & ſpes eſt impetra-

petrari poſſe ab ipſius Majeſtate, ut declaret ſibi gratum fore. Quid non ſperemus amantes, quum ὁ παραγπρεισοδότης nondum recitaverit legem horrendi carminis? Sed emovit veterem morbum mire novus.

*— longæ*
*Ambages: ſed ſumma ſequar faſtigia rerum.*

Quidam ſtudioſus excantatus dulcedine noſtrorum *leſſorum, qui jàm pene in mille verſus excreverunt*, & irritatus indigno Niſæ amore, quæ ſua bona non novit,

*Iovisque conjux eſſe neſcit invicti*,

ſerio teſtatus eſt ſibi maxime in votis eſſe, ut matrem ipſius procari vellem, ſe omni ope effecturum ut voti compos evaderem. Eſt autem fœmina nondum floris attriti, & quæ poſſidet ignotum argenti pondus & auri. Jam enim omnis in hoc ſum. Heinſius Hagæ eſt. Ad **, unde poſſet exſculpi fœcunda virtutum ſeges, quod me non perduxeris, quum apud vos eſſem, id vix omnibus deliciis & ſuaviationibus Grajarum matrum chorus unquam expiaverit. Et audes per literas gloriari apud Heinſium, tecum eſſe locutum. Sed quid iſtæ nugæ ad me, qui tantum Reges & Regum pueros dignos cenſeo, quorum gratiam aucupari velim? Cum Principis Haſſiæ filio aſſiduus accubuus fui. Nuper ſolus in magna menſa cum heroe Mauritio ſum cœnatus, & gratias ei egi ob honorem, iis verbis quæ *— poſſent cœlo deducere lunam.*

Si unquam cauſa fuit idonea cur huc venien-

dum exiſtimares, nunc tempus eſt. infinita enim ſunt quæ tibi volenti erunt audire, & uteris me ſi non prudenti conſiliario, certe fideli amico & honoris tui ſtudioſiſſimo. Quocirca propera, & nos conſpectu tuo beare velis. *Leſſos amatorios* ſtatui edere cum centone Virgiliano pene ducentorum carminum ad τὸν πάνυ Heinſium.;

*O præſtans animi iuvenis, cui carmina ſemper*
*Et citharæ cordi, dulces ante omnia Muſæ.*

Miraberis genium.

*Ite iterum in lacrimas, iterum tentare precando*
*Reginã meditor, neq; enim leve nomen Amatæ.*

Charta deeſt, & jam tempus eſt deſinendi ineptiarum. Vale, & veni. Lugduni Batavorum Kalendis Julii, cIↄ Iↄ cxi.

LES-

# LESSUS AMATORIUS.

*Reverendo viro, & eximio Eccleſiaſtæ,*

JOHANNI UTENBOGARDIO,

DOMINICUS BAUDIUS

Salutem & omnia fauſta comprecatur.

*Facunde Veri præco, cuius ex ore*
*Sophiæ medulla manat, & lepos Suadæ,*
*Vi quæ benigna penetrat intimos ſenſus*
*Turbæ haurientis verba cum ſacro horrore,*
*Penituſque pendet fixa ab ore dicentis:*
*Vt Neſtorem videre cenſeas ipſum,*
*A quo fluebat melle dulcior ſermo:*
*Vel Herculem, quem fama tradit antiqua*
*Duxiſſe plebem compede aurium vinctam.*
*Tu Pſychagogus ille verus es nobis,*
*Dum pectore imo ſacra fundis oracla,*
*Quibus ad ſalutem gens vocatur humana.*
*Caro redempta ſanguine Hoſtiæ illius*
*Quæ nos ab omni labe criminum purgat.*
*Piacularis agnus, innocens idem:*
*Te venerer, ut qui maxime capit dotes*
*Tuas, & illas æſtimat ſuo cenſu.*
*Si noſtra letho Muſa vivet immunis,*
*Et à rogis ſuperſtes hoc erit nomen,*
*Ventura noſcent ſæcla me tibi fido*
*Fuiſſe iunctum amore fratris in morem*

*Sed uror igni neutiquam erubeſcendo,*
*Qui pectus exeſt inſtar alitis ſævæ,*
*Iecur Promethei quæ fodit truci roſtro,*
*Nec dat quietem implacida cura væſano:*
*Sic uſque Amor recurſat, & ſibi totum*
*Me vindicat, mihique ſurripit ſenſus.*
*Non hanc meri ſaliva Maſſici flammam*
*Poteſt levare, non medela Muſarum,*
*Non ratio ſana, non preces amicorum,*
*Nec quidquid uſquam mentibus male affectis*
*Lenimen adfert, mitigatque vim morbi.*
*Quam ſæpe ſum conatus hanc crucem blandam,*
*Hilaremque pœnam, gaudiumqne Sardoum*
*Expectorare! at omnis irritus cedit*
*Labos in auras: namque arundo lethalis*
*Fixa hæret intus in ſinu medullarum,*
*Vnde expedire me nec herba dictamni*
*Valet, nec alius ardor eximet gratum*
*Mentis furorem, donec ulla vel mica*
*Spei fovebit pectus ex amore ægrum.*
*Nunc te per ipſum fas Amoris obteſtor,*
*Per omne ius ſodalitatis antiquæ,*
*Per ſancta Fidei vincla queis iugor tecum,*
*Nobis adeſſe tu patrone dignator.*
*Tu qui efficacis Eloquentiæ thyrſo,*
*Qua fert voluntas, corda flectis huc illuc,*
*Vt alter Orpheus, aut renatus Amphion,*
*Qui trahere ſylvas, ſiſtere amnium curſus,*
*Lenire tigres, ſaxa ſedibus notis*
*Movere dulci carmine, & lyræ pulſu*
*Fama feruntur, quod feram virûm ſtirpem,*
*Nec lege vinctam, more nec bono rectam*

*Fin-*

*Finxere vitæ humanioris ad cultum.*
*Tu qui Periclem fulmine exprimis linguæ,*
*Flexanima Pitho cuius inſidet labris,*
*Sirena, ſenſus quæ meos venenavit*
*Rigoris atro felle, vi tuæ vocis*
*Fac aure prona exaudiat preces noſtras.*
*Non ſæva Circe, non Meduſa nodoſos*
*Innexa diris anguium plicis crines*
*Mulcenda fando eſt, non Iäſonis coniux:*
*Sed nympha, flos humanitatis, & monſtris*
*Averſa tantis. hoc habet tamen Circes,*
*Quod me ſuo ſub jure prorſus addictum*
*Mutavit illo ab Hectore, & viro longe,*
*Qui gloriabar eſſe, quum jugi ignarus*
*Ævum exigebam. nunc paterna Libertas*
*Retro receſſit illa: nec meus fiam,*
*Donec mihi ſe dedat ut ſuus vivam*
*Gravi piaque lege, ceu maritalem*
*Decet pudorem. non Superbi ego proles*
*Lucretiam fœdare adulter attento:*
*Nec Paridis inſtar hoſpitale jus conor*
*Polluere raptu. ſit procul furor talis,*
*Eritque, compos uſque dum mei degam.*
*Spes noſtra caſti tendit ad thori fœdus,*
*Quod ſola mors, quæ cuncta finit, expungat.*
*Quanquam nec ipſa tela mortis exſtinguent*
*Meos calores. quippe temporum victrix*
*Loquetur olim charta poſteris noſtra,*
*Vivetque in ævum laus honosque matronæ,*
*Si fata tali me beaverint ſorte.*
*Tuque auſpicati fide amoris interpres,*
*Ceu ſoſpitator, civicam feres palmam,*

*Quod me dolentem vivere & mori optantem,*
*Vitæ & priori Baudio redonaris.*
*Sin immodeſta vota ſunt nimis noſtra,*
*Mentemque palpo credulus meam lacto,*
*Ritu Sabino ſomnians quod inſanus*
*Volutat ardor blandiens ſuo errori:*
*Si nitor alis arte Dædali factis,*
*Viasque ſector unde adactus eſt præceps,*
*Vitreoque nomen Icarus dedit ponto:*
*Si melior majora quam ferunt vires,*
*Stabilisque deſtinavit ordo Fatorum:*
*Iuvat tamen perire nobili letho,*
*Magnis nec auſis excidiſſe erit probrum.*
*Saltem illa Iuno quæ meum cor amburit*
*Flammis pudicis, ſi ſacrata faſtidit*
*Legis maritæ jura, nec viro jungi,*
*Venerisque poſthac dona noſſe decrevit:*
*Si nomen horret nuptiale, ſi mater*
*Dolet vocari blando ab ore natorum,*
*Quum nec vetet juventa, nec decus formæ.*
*Quin matre fungi poſſit, & patrem pulchro*
*Beare partu: detur hoc mihi munus,*
*Quod comitatis lege nemini debet*
*Probo negari, quodque dant vel ignotis*
*Matres ſeveræ, ac virgines verecundæ*
*Salvo pudore, liceat invicem notas*
*Sociare voces, liceat alloqui charam*
*Fratri ſororem. Chriſtiana nos jungit*
*Certe Fides, pro qua mori haud reformidem.*
*Magnifica verba funditare ſi fas eſt,*
*Sit Baudio jus haud humillimo vati,*
*Quem litterata gens honore dignatur,*

Quem principes, regumque filii haud temnunt,
Videre vultum, cuius igne torretur.
Sit fas amoris dulce crimen amplecti
Culpam fatendo, quod parum potens mentis
Adire lævo tempore auſus eſt divam.
Non adyta ſemper ſupplicum patent votis,
Nec reddit omni tempore è locis ſacris
Reſponſa Phœbus. dexter eſt modus rerum
Occaſionis aucupare momenta,
Ne cymba flumine auferatur adverſo.
Te rurſus oro, obteſtor, & prece adiuro
Per quidquid admirantur & colunt gentes,
Fac animus æger hancce ſpem tui poſſit
Domum referre, quo bono nihil maius
Votis laceſſo: nempe ne ſit irata
Mea lux, quod illam pluris æſtimo ſolam,
Quam quidquid auri nauta ſubvehit noſter
Indorum ab oris unde Sol diem promit.
Fac has querelas, hoſce lugubres leſſos,
Hoc triſte carmen ne gravetur audire
Vultu ſereno, ſenſibuſque tranquillis,
Quod è receſſu mentis, è ſinu cordis
Proferre cogit impotens regi fervor.

„ O DULCIS HEROINA, quæ meo cordi
„ Das iura, pro qua ſanguinem libens fundam,
„ Si morte functus te ſuperſtitem linquam
„ Voti potentem: namque me mori cogis,
„ Dum mente dura ſupplicantis ah vocem
„ Audire temnis in noviſſimo caſu:
„ Cur te coli non pateris à viro tali,
„ Quem publico favore Fama commendat,
„ Quem nullus odit, ipſe Momus agnoſcit

" *Non indecorum ſæculo, nec ignavum*
" *Fovere nomen, indigumque virtutis?*
" *Natura non me genuit ad decus belli,*
" *Nec Martiali laude clarus incedo,*
" *Quanquam ſub iſto pectoris penetrali,*
" *Non timida mens, non degener larem fixit.*
" *Eſt animus acer, natus ad graves curas,*
" *Contemptor horum quæ profana plebs ſperat*
" *Timetque. non me territat pavor lethi.*
" *Non ſordido inquinamur ambitu lucri,*
" *Nec in bonis cenſemus iſta ſinceris,*
" *Quæ cæca Fors plerumque ad improbos defert,*
" *Et unde raro melior extitit quiſquam.*
" *Major Deus majora nos ad exorſa*
" *Spe deſtinavit. nil meis inacceſſum*
" *Obſtabit auſis, vota dum ferens ventus*
" *Recte ſecundet. regia via incedo,*
" *Nec per ruinas, aut cuniculos nomen*
" *Ferale venor. luce conſcia graſſor*
" *Ad Honoris ædem. tu modo ô jubar noſtrum,*
" *O luce chara charius mihi nomen,*
" *O Domina, cujus pendeo omnis à nutu,*
" *Benigna mœſtis precibus applices aurem.*
" *Non terra inhoſpitalis, & carens cultu,*
" *Non gens ab orbe Belgico relegata*
" *Nos procreavit. patria eſt mihi tellus,*
" *Flos atque lumen urbium venuſtarum,*
" *Non indecora Lilla Baudio cive.*
" *Ocellus alter Bruga fœta virtutum,*
" *Humanitatis & Cupidinum ſedes,*
" *Quæ me meamque amare ſuſtinet Muſam,*
" *Te in lucis oras extulit. bono partu*

*Beata*

» Beata Bruga! ſed beatior longe
» Futura, ſi te, ſidus ô meum, fati
» Favor reſervat, efferam caput cœlo.
» Communis eſt natalis ora, iungamus
» Commune fœdus nulla quod dies ſolvat,
» Niſi quum ſuprema meta venerit mortis.
» Non tango ſupplex genua cultor ignotus,
» Nec ignis hic meum recenter invaſit
» Pectus. cor iſtud tu puella, tu virgo
» Quinque ante luſtra (ſcis amica crudelis,
» Scis, & fateri non erit tibi probrum)
» Iam tum ligaſti compede, & tenes vinctum
» Amore, qui me ducet ad patrum ſedes
» Mœrore victum, ni rigoris abſiſtas.
» O dura, ſi te verba noſtra non curvant,
» Quæ corde ab imo ſparſa lacrimis fundo,
» Quibus moveri ſaxa vel feræ poſſint:
» Non Flandra mater, ſed leæna, vel tigris
» Hyrcana te nutrivit in locis ſolis.
» Non es parentis optimi memor proles;
» Quo nullus æque mitis atque manſuetus
» Tranſegit ævum, civis integer fraudis,
» Nec nos amare ſe putavit indignum.
» At tu ſuperba deſpicis tui cultum,
» Nihilque me, nihilque dona Muſarum,
» Nihilque ſancti Amoris arbitrum curas.
» Auresque ſæva claudis ad meos cantus,
» Vt atra ſerpens, aſpis ut venenata.
» Quid? tu magum me credis? abſit hoc omen,
» Tu potius es Medæa, quæ meos ſenſus
» Pervertis. en repulſus, atque deſpectus,
» Spe dirutus, voti reprenſus audacis,

*" Pene ab domo exulare iuſſus, & quid non?*
*" Amore totus ardeo: ſciens, prudens,*
*" Vivus videnſque pereo, nec pedem retro*
*" Referre poſſum. quin & impie acceptus,*
*" Gravique læſus contumelia pacem*
*" Supplex ab ipſa criminis rea poſco,*
*" Manus ſupinas tendo, crimen agnoſco,*
*" Si crimen eſt amare quod ſit excellens*
*" Virtute, forma, dignitate, fortunis.*
*" Quid amplius requirit ipſa maieſtas*
*" Divinæ præter ut colatur, ut toto*
*" Ex corde ametur? utque proximum quo nos*
*" Amore proſequamur? hic ſcopus legis,*
*" Hic cardo cauſæ eſt. tu ne crimini vertes,*
*" Quod lex ſuprema ſancit, approbant gentes,*
*" Mens ſana dictat, omnis ordo conſciſcit?*
*" Tamen remitto cuncta, læſus & ſupplex*
*" Idem fero te iudicem meæ cauſæ.*
*" Quid poſcis ultra? quid laceſſis ô Progne,*
*" Crudelis, implacata, tigridis proles?*
*" Meam ne vitam, ſanguiſuga feralis,*
*" Haurire quæris? ecce, pronus advolvor*
*" Genibus tuis, ut audiam mei fati*
*" Suprema iura. namque tu regis clavum*
*" Vitæ necisque. tu potes repellendo*
*" Donare mortem; ſi miſerta ſis, vitam.*
*" Sed ne diu velis tenere ſuſpenſam*
*" Mentem timoris inter & ſpei luctam,*
*" Abſolve paucis. non enim meum crimen*
*" Tantum eſt, uti perire debeam tortus.*
*" Cur me fugis? cur ſpernis, & facis flocci,*
*" Qui te impotente ardore perditus venor?*

Te

» Te veneror unam, te laceſſo præ cunctis?
» Quid feceris? quæ mente perferes illos
» Qui te oderint, uti mereris, ô Circe?
» Si moriar, ut te tota poſterûm proles
» Diris aget! ut Fama differet probris!
» Nomen tuum ſcribetur inter Harpyias,
» Inter Meduſas & truces Clytæmneſtras:
» Quæque alia ſcenis monſtra gentis humanæ
» Spectanda vates exhibent cothurnati.
» Quæ te manet tum vita! quis dolor tanget!
» Quum te velut bidental exſecrabuntur,
» Strigisque ad inſtar buſtuariæ incedes!
» Si te mei nil miſeret, at cave Numen
» Iuſtum memorque. non eunt in ingratos
» Effuſa ventos caſta amantium vota.
» Nemeſis ſeveras exiget vices tandem.
» Lento gradu divina pœna procedit,
» Sed tarditatem penſat acris uſura.
» Verum ominari læva nolo, nec fas eſt.
» Vtcunque de me tu meres inhumane:
» Vivas beata, floreas bonis oro,
» Tuumque nulla calamitas larem tangat,
» Votis ſed addat plura proſper Eventus,
» Tibique ſemper alma Fauſtitas adſit.
» Quod ſi dolore fractus, & malis impar
» Sedes quietas viſero beatorum:
» Saltem ſepulto triſte munus impendes,
» Lacrimasq; non negabis huic viro, poſtquam
» Fuiſſe dicar, tuque cauſa diceris
» Fuiſſe mortis. non enim tibi tigris
» Admovit uber. ſera tunc memor noſtri
» Lamenta fundes: tunc pigebit irarum,

Tor-

» *Torvique faſtus, quum carendo cognoſces*
» *Ab ore Fâmæ magnitudinem damni,*
» *Quem tu maritum deſpicata ſis, quali*
» *Viro ſit orba & cive gens Batavorum.*
» *Nam morbus hic, & mos malignus afflavit*
» *Suffuſa ſæcula invidentiæ tabo.*
» *Dum clara virtus, atque ſanguis heroum*
» *His fruitur auris, intereſtque viventum*
» *Cœtu, nec umbris occubat, fit ut vulgo*
» *Non æſtimetur, nec favore ſperato*
» *Cenſuque floret: poſt, ubi beatorum*
» *Sedes reviſit unde duxerat ſemen,*
» *Sero Phryges poſt damna callidi fiunt,*
» *Suæque plorant negligentiæ labem.*
» *Sic orbitatis vulnere, & gravi luctu,*
» *Mage quam fruendo multa pars ſciunt tandē,*
» *Quo ſint parentes, quove liberi cenſu.*
» *Tunc dona divûm interpretamur ingrati,*
» *Quũ ſunt adempta. tunc honos venit functis*
» *Cum fœnore auctus, ampliorque mortali:*
» *Tunc vera mentes æſtimatio tangit*
» *Livore pulſo, qui nocere amat vivis.*
» *De patria & parente vatis immenſi*
» *Quis neſcit urbes concitaſſe certamen?*
» *At propria tellus larque defuit vivo.*
» *Non ſic pudor receſſit omnis à nobis*
» *Vt memet auſim comparare cum tali,*
» *Cui patria cœlum, cui pater fuit Phœbus:*
» *Sed æquus olim forte poſterûm candor*
» *Nos proſequi favore non perhorreſcet,*
» *Interque claros referet incolas mundi.*
» *Si cæcus ille Plutus haud inauravit*

No-

» *Noſtros Penateis affluentibus gazis,*
» *Quas gens egena cordis ambit inſano*
» *Flagrans amore laminæ refulgentis:*
» *Nam terra terræ adhæret, & luto gaudent*
» *Mentes avaræ, nilque ſplendidum ſpirant.*
» *Si non renident in mea domo poſtes*
» *Auro ſuperbi, barbaroque conſtructu:*
» *At alia dos, bonumque purpura majus,*
» *Quod Fors nec aufert, nec maligna gens auro*
» *Poteſt apiſci, contigit Dei dono.*
» *Quieta mens, & læta ſors brevi cenſu,*
» *Capaxque virtus quamlibet ſpei magnæ.*
» *Non glorior ſplendore ſtirpis antiquæ,*
» *Nec ſtemma noſtrum fulget inter heroas,*
» *Qui ſanguinem fudere pro ſtatu regum.*
» *Quamvis parentes legere ſi ſit ad faſtum,*
» *Nil melius atque ſanctius meis poſſim*
» *Optare voto. ſed, quod omne majorum*
» *Decus antecellit, ipſe præfero lucem*
» *Genti nepotum ſæculisque venturis.*
» *Dum litteris & artibus bonis digni*
» *Stabunt honores, arduam colet ſedem*
» *Perennitatis fama nominis noſtri.*
» *Nil deſit ut quietis in vado ſiſtar*
» *Præter ſuävem matrimonii fructum,*
» *Sociamque cum qua tranſigam dies lætos*
» *In Numinis timore liber à curis.*
» *Hæc eſt meorum ſumma meta votorum,*
» *Felicitatis unica & ſeges vera:*
» *Deum vereri, conſcientiam rectam*
» *Servare, vitam ducere integram labis,*
» *Munus tueri quod cuique contingit.*

*Nobis*

" *Nobis honeſta Sparta, ſint Deo grates,*
" *Ornanda ceſſit. ſequimur alma Muſarum*
" *Themidisque munia, atque gloriam fandi.*
" *Non ſum repulſa dignus. eſt quod in nobis*
" *Matrona ſapiens optet, eſt adhuc præſens*
" *Virile robur, eſt vegens valetudo,*
" *Quali haud fruebar fervida in juventute.*
" *Nil rodere in me dens poteſt Theoninus,*
" *Nec quidquid uſquam gentis eſt malignorũ,*
" *Quam quod Catonis æmulator intonſi,*
" *Sodalibus delector haud inurbanis,*
" *Conviva comis, nec iocorum inexpertus*
" *Quum lingua rorans flore Liberi patris*
" *Nil humile, nil vulgare promit, ac toto*
" *Patet receſſu ſingere inſcium pectus.*
" *Nil ſentio ſenile (teſtor ultorem*
" *Falſi Iovem cum Venere) nil quod à noſtro*
" *Terrere nymphas contubernio poſſit,*
" *Incana præter menta: cæteræ partes,*
" *Et corpus, & mens muneri ſuo haud deſunt.*
" *Niſi hoc colore deprehendor inſanus,*
" *Quod ipſe mentis laude glorior ſanæ.*
" *Vitium ex amore, crimen eſt tuum, ô dura,*
" *Quæ ſic amantem ſaucias gravi cura.*
" *Miteſce quæſo, pectus indue humanum.*
" *Humanitate proxime ad deos itur.*
" *Crudelitate nil minus decet ſexum.*
" *Fruaris ævi flore dum ſinunt anni,*
" *Iam ver tuum tranſivit, inſtat autumnus.*
" *Adhuc tamen ſuperſit ampla virtutum*
" *Seges, nec ætas obſtat, aut vigor deſit,*
" *Quin te creatus matre parvulus ridens*

*Tuis*

» *Tuis in ulnis dulce ludat Æneas.*
» *O ſi viro contingat huic decus tantum!*
» *( Parcat voventi magna Faſcinus livens )*
» *Tunc celſa cœli templa vertice attingam,*
» *Meæque cedent alta ſceptra fortunæ.*
» *Cur te iuvat fraudare Cypridis fructu?*
» *Cur vidua perdis fragile robur ætatis?*
» *Cur poſterûm ſpes obſtinata fruſtraris?*
» *Nam quid iugali copula queat dici*
» *Magis venuſtum, dulce, mite, iucundum,*
» *Magisq; amœnum? (verba nunc mihi deſunt*
» *Præ geſtienti gaudio ) quid eſt compar*
» *Thoro iugali? quum labore vir functus*
» *Domi reviſit alteram ſui partem,*
» *Rapidoque amore victus ilicet collum*
» *Invadit, & ſe paſcit oſculis mille,*
» *Fruiturque votis, gaudioque conceſſo?*
» *Ritu ferino conjugis carens degit,*
» *Nec ſtirpis ullam poſtumæ meret curam,*
» *Cui cura non eſt ulla tollere hæredem*
» *Dulceisque natos, ſeminarium gentis,*
» *Vitæ decus, Larisque molle fulcimen.*

*Sed me cupido raptat impotens ultra*
*Leges decori, neſcit ardor exſultans*
*Parere frænis, excutitque vectorem:*
*Ceu quum volat quadriga carcere effuſa,*
*Vi fertur axis, ipſe fertur auriga,*
*Nec equos retentat ulla vis habenarum.*
*Tu, vir diſerte, ſolus hunc potes morbum*
*Sanare, ſi me vel beaveris voti*
*Fructu cupito (nam quid eſt inacceſſum*
*Tuæ Suädæ?) vel redemeris captum,*

Cle-

*Clemente tractu, pharmacoque ſermonis.*
*Nam turbidæ medela mentis eſt ſermo,*
*Penetratque ſenſus, influitque in arcanas*
*Animi latebras efficacius telo*
*Quod Parthus acer mittit in ſuos hoſtes,*
*Quum ſæva Marte bella miſcet averſo.*
*Vale atque ſalve Baudii memor vatis,*
*Qui ſe tibi tuæque coniugi fidæ ;*
*Suosque amores corde dedicat toto.*

HUIC MONUMENTO DOLUS OMNIS MALUS ABEST.

# IOCVS

## in præcedentis LESSI AMATORII hæc verba:

» *Non ſum repulſa dignus. eſt quod in nobis*
» *Matrona ſapiens optet, eſt adhuc præſens*
» *Virile robur, eſt vegens valetudo,*
» *Quali haud fruebar fervida in iuventute,*
» *Nil ſentio ſenile (teſtor ultorem*
» *Falſi Iovem cum Venere) nil quod a noſtro*
» *Terrere nymphas contubernio poſſit,*
» *Incana præter menta: cæteræ partes,*
» *Et corpus, & mens muneri ſuo haud deſunt.*

## ANONYMI.

*Prævalidũ Paphiisq; parem ſe luſibus inquit*
*Baudius: ut poſſit fœmina nulla queri.*
*Et ramale ſeni, iuveni quod defuit olim:*
*Armaque Lampſacio ſuſpicienda deo.*
*Sed nequit incanum ſemoralibus abdere mentum.*
*Arguit hoc, iſthic forte latere nihil.*
*Aſſerat hæc Veri præco? ſed callida ſolum*
*Ridet, & hic teſtes poſcit Hyella duos.*

DEC. MAGNI AUSONII
Viri Conſularis

# EPIGRAMMA

## DE MYRONE ET LAÏDE.

*Canus rogabat Laïdis noctem Myron.*
*Tulit repulſam protinus.*
*Cauſamque ſenſit: & caput fuligine*
*Fucavit atra candidum.*
*Idemque vultu, crine non idem, Myron*
*Orabat oratam prius.*
*Sed illa formam cum capillo comparans,*
*Similemque non ipſum rata,*
*Fortaſſe & ipſum, ſed volens ludo frui,*
*Sic eſt adorta callidum:*
INEPTE, QUID ME QUOD RECUSAVI ROGAS?
PATRI NEGAVI IAM TUO.

IN

In

# PECTINEM PLVMBEVM,

## Quo utebatur ſenex Baudius,

## PETRI SCRIVERII

## Epigramma.

*Baudius, hei, canos non pectine pectit eburno;*
*Non buxo, multo qui tibi dente datur.*
*Plumbeus acceſſit (proh, improba tempora!) pecten,*
*Vt ſua crinali liberet ora nive.*
*Vt trahat in naſſam, viduoque fruatur amore:*
*Non ut ſollicitas arca flagellet opes:*
*Pignora ſed redimat, ſumptosq; in fœnore nummos.*
*Nam nihil hîc pietas, ingeniumve facit.*
*Argentum plumbo, plumbo venatur & aurum.*
*Res nova: nec numeris cognita, Naſo, tuis.*
*Hæc expugnandis addatur machina nymphis.*
*Ars Arti fuerit non oneroſa tuæ.*
*Quid renuis? nunquid cæci finguntur Amores?*
*Non audax Veneris cæcus & ipſe puer?*
*Hinc mihi cæcorum ſunt omnia plena procorum:*
*Et venit ad partes cæca puella ſuas.*
*Quæ non hæc videat picta tectoria barbæ,*
*Atque emat: hanc cæcam nonne, poëta, putas?*
*Et talem ſibi poſcit Amor, Cythareïa talem.*
*Non amat hæc, uti quæ ratione poteſt.*

*Aliud Eiuſdem,*

AD

## MARCVM ZVERIVM BOXHORNIVM,

## De pectine Baudiano.

*Quod plumbo crines incanaq́ꝫ menta pererret*
*Baudius: hoc mirũ, Marce, iocũq́ꝫ putas.*
*Factum fallendæ iampridem rebar amicæ:*
*Nunc alia, ut mecum cogito, cauſa ſubeſt.*
*Miſerat e plumbo (niſi fallimur) Anglia* nummos,*
*Quam vult debendi Baudius eſſe ream.*
*Plumbeus hinc pecten. Nam ſi fortuna metallo*
*Vatis inauraſſet nobiliore manum;*
*Et Mæcenates, ut oportuit, illa dediſſet:*
*Non ebur excludi ſic pateretur Hymen.*
*Nunc pauper toties totiesque repulſus amator,*
*Deplorat vidui tædia longa thori.*
*Et metuit ſumpto properantes ære Calendas.*
*Has qui pellat aves, nunc ubi Tuſcus Eques?*
*Carmina ſi ſpectes, vel ſolæ ante omnia Gnomæ*
*Per ſe munificas promeruëre manus.*
*Ah, cur tantus amor Phœbi ſine dote remiſſus?*
*Cur collo, & vacuo folle poeta redit?*
*Protulit innumeras hæc una repulſa repulſas,*
*Et ſe reginam quæque puella putat.*
*Spes alit agricolas, ſed non alit illa poëtas.*
*Non reſponſuras quis colat inde deas?*

* Nummi plumbei uſus apud veteres fuit: hodieque novit Anglia.

COR-

CORNELIO vander MYLE
DOM. BAUDIUS S.P.D.

Hagam-Comitis.

Ex literis, quas ad me ſcripſit decus ſæculi & primarius juvenũ Hugo Grotius, multa cognovi quæ plurimum intererat meæ famę atque exiſtimationis non ignorari. Video me per cuniculos non aperta petitione oppugnari, per eos qui præſentem omni ſpecie benevolentiæ ſubdole complectuntur, & palam laudant ut clam ſubvertant. Dabo operam, quantum humanitus fieri poteſt, ut emendata vitæ diſciplina calumnias malignorum in poſterum compeſcam. nam præterita facilius corripi quam corrigi poſſunt. Obhæſimus, fateor, ad Sirenum cantus & Circes pocula, nunc vela retro flectemus ad Bonæ Mentis portum. neque enim unquam viro ſapienti non eſt integra mutatio conſilii in melius. Illud te per jus veteris amicitiæ oro atque obteſtor, ne quid durius in me decerni patiaris reo indefenſo atque inaudito. etiam ad cauſam dicendam ſummorum criminum manifeſti admittuntur, nedum ut nobis hoc commune perfugium excuſandi erroris intercludi debeat. Idem virorum eximius & amicorum intimus Grotius me, ut opinor, apud te purgavit & apud optimum Collegam de hoc itinere quod ſuſcepi

delinitus ſpe accipiendi præſentes nummos ex venditione maternarum ædium. ſic enim ad me ſcripſerat cognatus, nihil deſiderari ad eam rem præter præſentiam. Sed longe aliter coram experior, & vereor ut hoc moleſtum iter fruſtra ſuſceperim cum diſpendio etiam valetudinis, qua jam per triduum uſus ſum minus proſpera, nec adhuc bene convalui. Inter alias cauſas, quæ me moverunt ut in viam me darem, hæc fuit non infima, ut prudenti abſentia ſubterducerem me ab importunis *coniugii diſparis* congratulationibus, quibus cottidie aures meæ circumſonabantur. Ut in meam vitam curioſa indagine livor inquirat, nihil reperiet præter duo bonæ mentis deliquia, à quibus ſedulo poſthac temperabo, & efficiam ut cenſeri poſſim exemplum veteris diſciplinæ. Hujus ego voti has literas teſtes eſſe cupio, ut perjurium mihi exprobretur ſi ſecus fecero. De matrimonio nec inopi, nec inhoneſto mihi ſedulo diſpiciendum erit, nam nec in rem meam eſt ut ſolitarius vivam: nec genius meus pati videtur, ut hoc neceſſario malo carere poſſim. Mihi, dum favor & benevolentia veſtra adſpirare dignabitur, non deerit unde mimum vitæ commode nec ſine gloria tranſigere queam. Plura non addo, niſi me quamprimũ potero ad priſtinam ſtationem eſſe reverſurum. Datum Gandavi IV Decembris, cIↃ IↃ CXI.

NICO-

NICOLAO SEYSTIO DOM.
BAUDIUS S. P. D.

Lugd-Batavorum.

Son arbitror tibi ignotam eſſe cauſam meæ ſubitæ in hanc urbem profectionis, quam vel ex nobiliſſimo Vander-Mylio, vel incomparabili amico Grotio intelligere potuiſti. Scripſerat ad me cognatus, eum qui inhabitat heic ædes maternas paratum eſſe pretium ſolvere, ſed cum nemine alio velle rationes diducere, quam mecum. Ea ſpe inductus iter hoc ſuſcepi, ſed & inops eſt debitor, & ſummus vitilitigator, itaque non habet unde nomen expediat. nec ſi haberet, videtur eſſe paratus ad exhibendum, niſi jure judicioque compellatur. quod & longum eſſet exſpectare, nec res & fama patitur ut diutius heic ſub incerta ſpe morari debeam. Quocirca te per fas humanitatis obteſtandum putavi, ne tantiſper dum abeſſe cogor aliquid durius in me ſtatuatur, cauſa indicta reoque inaudito. Scio enim eſſe nonnullos qui cruentis ſermonibus famam meam miſere proſcribunt, quos poſthac honoratiſſimo vindictæ genere ulciſcar, vitando cane & angue pejus ſcopulos ad quos exiſtimationis meæ navis obhæſit, more quidem multorum magnorum virorum; ſed ego culpam vitare malo, quam auctoritate & exemplo eam ire imi-

minutum. Tu præſidio tuo abſentem amicum tutari ne graveris. non erit tibi opprobrio, ſuſcipere advocationem periclitantis Baudii. Vale, Vir Clariſſime. Scripſi raptim ex urbe Gandavo IV Decembris, cIↄ Iↄ CXI.

## HUGONI GROTIO DOM. BAUDIUS S. P. D.

Hagam-Comitis.

Domum reverſus audivi nuncium perquam optabilem de meis amoribus. Omnia eveniunt ex animi ſententia, nec quidquam deeſt ad votorum ſummam, niſi ut eximam ſcrupulum de pollicitatione matrimonii cum *exoleto iſto propudio, labe & tabe meæ famæ & exiſtimationis. Hanc tu peſtem ac perniciem* ſi amolitus fueris pro dignitate muneris quo fungeris, & pro auctoritate qua merito vales plurimum, ſolidiorem capies gloriam quam

*— diram qui contudit hydram,*
*Notaque fatali portenta labore ſubegit.*

Tam viles perſonæ, tam diobolares victimæ publicarum libidinum non ſunt dignæ obſervatione legum, ut memini aliquando legere in Corpore Juris, ſed locus non occurrit memoria. Quæſo te, ut hiſce literis perlectis ſtatim cures accerſendum *Advocatum vander VVerven,* qui legem horrendi carminis dictet, cujus obnunciatione fulminari poſſit *fatalis*

*talis illa fundi noſtri calamitas.* Hoc ego beneficium tanti faciam, ut nemini plus in vita ſim unquam debiturus. Sed matures oro. nam amanti, & animo cupienti nihil ſatis feſtinatur. Si ullo modo fieri poſſit, effice ut per hanc nunciam, quæ eſt uxor Nerei hoſpitis mei, fiam certior non de tua propenſiſſima erga me voluntate, quæ mihi eſt mero meridie clarior, ſed de mandamento pœnali. Periculum enim eſt in mora. nam propinqua partitudo appetit, ſiquidem paritura eſt. nam permulti dubitant nũ ſit gravida. quod ſi eſt,

*Sublimi feriam ſidera vertice.*

Cuperem inſeri mandato, non eſſe illi ſcorto publice diffamatiſſimo deferendum jusjurandum tempore partionis, nec habendam fidem in deſignando parente tam multorum capitum.

*Cum ſuis vivat valeatque mœchis,*
*Quos ſimul complexa tenet trecentos.*

Ego nihilominus ſponte mea incitatus faciam quod officium humanitatis injungit. ſed cogi Baudium non decet, non oportet à tam proſtituti pudoris ſcorto. Plura non addo, niſi ut totum Grotium explices ad medendum curæ & ſolicitudini

*Quæ me nunc coquit, & verſat ſub pectore fixa.*

Datum Lugduni Batavorum XXVIII Martii, cIↃ IↃ CXII.

## HUGONI GROTIO DOM. BAUDIUS S. P. D.

Hagam Comitis.

Res eſt loquax lætitia, cui vis quædam ineſt cogendi. quocirca contineri non poſſum quin ejus te participem faciam, quem ſcio mea ſolide gaviſurum gaudia. Reverſus domum, ut heri ad te ſcripſi, optata omnia comperi de mea SOPHIA, quæ me abſente ancillam lecti & arcanorum ſociam miſit ad patrem ſcitatum, non oracula Phœbi, nec rogitatum ſuper Priamo, vel Hectore, quorum ſors lamentabilis jam ſatis diu multumque defleta eſt, ſed ſuper noſtra majeſtate, an durius accepiſſem plenam familiaritatis repulſam, & an fera beſtia factus eſſem amiſſa voluntate revertendi. Ego vero oculum mihi exſculpi malim, quam pati ut tam opima conditio elabatur è manibus. Heri profecta eſt Amſtelrodamum ob ſiniſtrum rumorem, qui fertur de quodam mercatore, cujus nomen nec ſcio nec ſcire laboro. Eum ajunt ceſſiſſe foro. quod ſi ita eſt, tacta eſt mea ſperata bolo quinque millium florenorum. Sed magis moveor abſentis deſiderio, quam jacturæ periculo. Nam in tantis opibus, quas conſentiente fama poſſidere dicitur, hoc diſpendium per eſt exiguum, ut ſi ex uberi vindemia racemum demas, aut manipulum.

pulum ex horreo. Ea res magis erit incitamento ne virum eum aſpernetur, cujus cenſus tale nihil metuit,

*Non incendia, non graves ruinas,*
*Non facta impia, non dolos veneni,*
*Non caſus alios periculorum,*

quem ſecum aſportabat Bias quum capta urbe & arce patriam expeditus deſereret. Scripſeram heri literas tibi redditum iri ab uxore mei hoſpitis, ſed iter in hunc diem diſtulit, & ſe ad te ituram eſſe promiſit, ut reſciſcat an à Curia Provinciali reportaturus ſim pauca nuncianda *propudio meo* non bona dicta. Fertur eſſe ἐν ἐδλωῇ. ſed nullus credo, licet illi plurima manet lacryma. ſunt enim quibus non poteſt perſuaderi eam eſſe gravidam, & ego quidlibet credo poſſe cadere falſimoniæ, fraudis & malitiæ in *tam profligatam, perditam atque inteſtabilem fœminam.* Si tamen rumor verus eſt, quaſi dedita opera Juno Lucina videtur voluiſſe factum ut pater γνήσιος καὶ ἀκίβδηλος deprehenderetur *ſtratioticus ille Germanus*, qui me catena ſua πονηροῦ κόμματος decatenavit ab iſto ſcopulo. Ut ut res cadet, nihil mihi evenire poteſt triſtius aut deterius quam quod animo præcepi, & mecum ante peregi. nempe futurum, ut perjurio caput alliget, & ὑποβολιμαῖον obtrudat heroi Baudio. Quid tum poſtea? malo agnoſcere alienum, quam fœtum humanum non ali. Teſtimonio erit me marem eſſe, & viri munia poſſe fungi. Nihil inde abradetur in poſterum meæ

SOPHIÆ, cujus arvo familiari reſervabitur

*Quidquid in arte mea poſſum promittere cura.*

Plura volebam familiarius nugari, quum ſignificavit mihi hoſpita, quæ tibi haſce reddet, ſibi eſſe continuo eundum ad currum. Vale cum uxore, parentibus, ſorore lectiſſima, & cum omni familia. Datum Lugduni Batavorum IV Kal. April. cIↄ Iↄ CXII.

DANIELIS HEINSII

## Cento Virgilianus

## AD DOMINICVM BAVDIVM

*conſcriptus,*

Qui poſtquam ignarus cum ancilla, cum qua tum alii, tum plurimi ſcholaſtici conſuerant, aliquamdiu congreſſus eſſet, ſolus præter exſpectationem prole ab ea eſt donatus.

* Ille ego qui quondã gracili modulatus avena,
* Pauca meo Gallo, ſed quæ legat ipſa Lycoris,
* Expediã dictis. † ſi quid mea carmina poſſũt,
* Muſa mihi cauſas memora, quo numine læſo
* Inſignem pietate virum, † tot adire labores
Impulerit, † Troiæ & patriæ communis Erinnys.
* Illum non populi faſces † nec ferrea iura,
* At ſecura quies & neſcia fallere vita,
* Aonas in monteis † fatis egere volentem.
* Egregiusque animi † Lenæum libat honorem,
* Orpheus in ſylvis, inter Delphinas Arion.
* Creſſa genus Pholoe † (longa eſt iniuria, longæ
Ambages) † non illa colo calathisve Minervæ
Fœmineas aſſueta manus, † nova pectore verſat
Bellatrix, audetque viris concurrere virgo.
* Stabant orantes primi tranſmittere curſum,
* Connubiis arvisque novis operata iuventus.
* Illa ſolo fixos oculos averſa tenebat:

Et

* Et ferruginea ſubvectat corpora cymba.
* Tros Rutulusve fuat, † nunc hos nunc accipit illi
* Nuda genu. † laxis laterum compagibus omnes,
* Deponunt animos, nil magnæ laudis egenteis.
* Quem telo primum, quem poſtremum, aſpera virg
Deiicis? † incedunt victæ longo ordine gentes,
* Quam multa in ſylvis avium ſe millia condunt.
* Advênit qui veſtra dies muliebribus armis
Verba redargueret, † iuvenes, fortiſſima fruſtra
Pectora † (Dii talem terris avertite peſtem!)
* Hæc dum Dardanio Æneæ miranda videntur,
* Se quoque principibus permiſtum agnovit Achivi
* Olli ſerva datur, † Veneris iuſtiſſima cura,
* Per tot ducta viros, † immani corpore priſtis,
* Tithoni prima quot abeſt ab origine Cæſar.
* Connubium vocat: hoc prætexit nomine culpan
* Heu quid agat! quo nunc reginam ambire furente
Audeat affatu? † quis fallere poſſit amantem?
* Abnegat, & meliora Deos ſedet omina poſcens.
* Certum eſt in ſylvis, inter ſpelæa ferarum,
Malle pati. † duri magno ſed amore dolores
Polluto, notumque furens quid fœmina poſſit.
* Ergo iter inceptum peragunt. † fortiſſimus heros
* Optatos dedit amplexus: † quem candida MAI
* Voce vocat, † ſubitaque animum dulcedine movi
* Fortunati ambo. † riſit pater optimus olli,
* Componens, manibusque manus atque oribus ora.
* Nec ſopor illud erat: † potuit quæ plurima virtus
Eſſe, fuit. † feſſos quatit æger anhelitus artus.
* Nec mora, nec requies. † illinc Germania bellum,
* Hinc pater Æneas, vaſto certamine tendunt.
* Teutonico ſoliti ritu torquere cateias,

Su

*uccedunt ſervantq; vices.† amor omnibus idẽ;*
*dem amor exitio eſt pecori, pecoriſque magiſtro.*
*Heic noctem ludo ducunt, † & pocula læti.*
*ndulgent vino & vertunt crateras ahenos.*
*At regina, gravi iamdudum ſaucia cura,*
*Vulnus alit venis. † docuit poſt exitus ingens.*
*Tempus erat, quo prima quies mortalibus ægris,*
*ncipit. † ingeminant curæ, rurſusque reſurgens*
*Poſtquam omnis longe comitum proceſſerat ordo,*
*it ſtrepitus tectis. † ferit aurea ſidera clamor.*
*Ter revoluta thoro eſt. † non heic te carmine ficto,*
*Atque per ambages & longa exorſa tenebo,*
*Matri longa decem tulerunt faſtidia menſes.*
*Caſta fave Lucina, † tuis heic omnia plena*
*Muneribus. † quæ ſit rebus fortuna videtis.*
*nſonuêre cavæ gemitumque dedêre cavernæ.*
*Atque ea diverſa penitus dum parte geruntur,*
*am nova progenies, † cui non riſêre parentes,*
*( Haud ignota loquor ) † cœlo demittitur alto.*
*Dic mihi, Damœta, cuius pecus? † ocyus omnes*
*Diffugimus viſu exſangues. † it triſtis arator*
*Omnis, & agricola. † veluti qui ſentibus anguem*
*Preſſit humi nitens, tumidũ quem bruma tegebat,*
*Defenſi tenebris, & dono noctis opacæ.*
*Cauſa latet: † preſſa eſt inſignis gloria facti.*
*Obſtupuit viſu Æneas, longeque recuſat,*
*Arrectæque horrore comæ. † nec iam amplius haſtæ*
*Credere, nec telis occurrere virginis audet:*
*Atque opere in medio defixa relinquit aratra,*
*ermonum memor, & promiſſi muneris, heros.*
*Nec ſpes libertatis erat, nec cura peculî.*
*Nate Dea, quæ nunc animo ſententia ſurgit?*

Nuſ-

* *Nuſquam tuta fides.* † *tu poſt carecta latebas.*
* *Ne dubita, nam vera vides,* † *mirabile donum*
*Qualia nunc hominum producit corpora tellus.*
* *Non equidem invideo,* † *nec tecum talia geſſi,*
* *Omnia tuta timens.* † *non omnia poſſumus om*
* *Accipe, daque fidem,* † *duri ſolatia luctus,*
* *Ni refugis* † *pacem æternam pactosq; Hymenæos*
* *Adſit lætitiæ Bacchus dator, & bona Iuno.*
* *Sparge marite nuces.*† *nihil heic niſi carmina de*
* *Quicquid in arte mea poſſum,* † *mirabile dictu,*
* *Nulla dies unquam memori vos eximet ævo.*
* *Nec te pœniteat pecoris divine poeta.*
* *Omnia vincit amor.*† *quis enim modus adſit am*
* *Vnum illud tibi, nate Dea* † *ne temne, quod ult*
* *Prædicam, & repetens iterumq; iterumq; mone*
* *Turpis oves tentat ſcabies, & ſæpe ſine ullis*
*Coniugiis, miſeros fallunt aconita legenteis:*
* *Aut impacatos à tergo horrebis Iberos.*
* *Heic quondam morbo cœli miſeranda coorta eſt*
*Tempeſtas.* † *alitur vitium vivitque tegendo:*
* *Signa tibi dicam:* † *deſcendit corpore peſtis:*
* *Peſtis, & ira Deum: morſu depaſcitur artus;*
* *Sacra Dioneæ matri.* † *latet anguis in herba.*
* *Linquere pollutum hoſpitium* † *via prima ſalu*
* *Paſcitur in magna ſylva formoſa iuvenca.*
* *Heic tibi certa domus, certi, ne abſiſte, Penates.*
* *Credimus? an qui amant ipſi ſibi ſomnia fingu*

ADRI

ADRIANO A MATHENES ET
CORNELIO vander MYLE
DOMINICUS BAUDIUS S.P.D.

Hag. Comitis.

Communi officio humanitatis adductus ſum, ut hunc hominem veſtræ benignitati commendarem. Vexat eum importuna bonæ mentis ſoror paupertas, nec auſus eſt magnificus Rector ejus inopiam ſublevare niſi veſtræ commiſerationis ſuffragium accederet, ne liberalitas ipſi fraudi eſſet. Modico ſubſidio contentus erit: non enim animus aut ſors ejus arduas ſpes fovet. Si tamen pluſculum ſeſe diffundere volet veſtra fragilitatis humanæ conſideratio, majorem gratiam vobis habebit, & ego lætabor meas apud vos preces aliquod pondus habuiſſe. quanquam ex quo tempore a jure dicendæ ententiæ in Senatu Academico ſuſpenſus eſt heros Baudius; vix defæcato animo lætari potui. ſed optima ſpes me fovet, futurum ut brevi in integrum reſtituatur. Nam cum iſta *peſte ac pernicie famæ exiſtimationis meæ* ſpondeo, promitto, ſanctiſſime juro, mihi nullam unquam fore conſuetudinem. ita mihi & animæ meæ propitius ſit Deus, quem ex intimo cordis affectu veneror, ut vos diu ſervet incolumes bono publico noſtræque Academiæ. Valete. Datum VII Apríleis pridie natalium meorum. cIↄ Iↄ c XII.

F

## HUGONI GROTIO DOM. BAUDIUS S. P. D.

Hagam-Comitis.

Ex quo à nobis diſceſſiſti profectus ſum Amſtelrodamum rogatu * impulſus, quæ me vehementer obteſtata eſt per literas, ut ſi mihi chara eſſet ipſius fama & exiſtimatio, nuptias inter ſe & * maturandas curarem. Ultro quidem ivit nuptum non adhibitis in conſilium auſpicibus. ſed tamen nihil deſideratur ad ſummam legitimi conjugii præter ſolennes ritus. Ipſe enim eam jactanter agnoſcit pro uxore, ſed pater negat ſe habere quod det. Niſi res nimis palam eſſet, & niſi parvulus aula luderet Æneas, auctor ei eram ut in priſtino ſtatu maneret. Eſt enim juvenis nulla virtute redemptus a vitiis, qui nulla alia ſpe ſolari poteſt ægram animi, quam exſpectatione fœcundæ & opimæ eſuritionis, qua non fiunt pingues in Erethria boves. Sed ut ad ea quæ propiora rebus meis ſunt veniam, a tuo diſceſſu nec patrem τῆς ἀσόφου σοφίας allocutus ſum, nec me conveniendum curavit Mercurii mater, (MAIAM *intelligit*) niſi quod audio eam adhuc paſcere ebrioſas, futiles & furioſas ſpes de matrimonio.

*— ſed prius Appulis*
*Iungentur capreæ lupis.*

Quid mihi auctor es ut faciam? Exſpectem litis

litis eventum? hoc ſpiſſum eſt amanti, cujus animo nihil ſatis feſtinatur. Quanquam hiſce nugis jam longum valedixi, ſaltem inducias pepigi. Cuperem ad me mitti per hunc ipſum nuncium formulam tranſactionis, quã ipſe concepiſti. Spero me effecturum injecto metu majoris malitatis ut cupide ſubſignet, & voluntariam condemnationem ſubeat. Hoc niſi fundamentum præſtruatur, non ſinit θυμὸς ἀγήνωρ, ut viam affectem ad meam DIVAM, quę non intelligit ſua bona. nec ideo tamen demovebor ab amandi propoſito, quamdiu ſpes aliqua ſupererit expugnandi ferreum iſtud pectus. Sed nunc ſero ſapiunt Phryges, & pertæſum eſt occupatiſſimæ inertiæ, quæ me per aliquot menſes mihi ſurripuit. *ποιεῖν δὲ δεῖ οἷς γόνυ χλωρόν.* Vale vir eximie cum lectiſſima conjuge & familia. Datum Lugd. Batavorum 11 Junii cIↄ Iↄc XII.

## HUGONI GROTIO DOM. BAUDIUS S. P. D.

Hagam-Comitis.

### SCAZON.

*Ocelle vatum, cura corque Muſarum,*
*Medulla Suadæ, & officina doctrinæ,*
*Themidis ſacerdos, cultor integer recti,*
*Vir magne, vir mirande, vir ſine exemplo:*
*Quid me putas nunc agere, flos amicorum?*
*Vtrum ne faſtus & protervias harum*

*Adhuc pati, colloque ferre ſervili*
*Captiva vincla reris, an mei juris*
*Traducere ævum? gratulare purgato*
*Morbi ſodali. jam meus, meus vivo,*
*Nec me amplius videbis, ô decus ſecli,*
*Seclo indecorum: non ego ſacramentum*
*Dixi infidele. ſat ſuperque decoxit*
*Egena laudis fama Baudium vatem.*
*Nunc mens, & ætas ſanctioribus curis*
*Seſe ſacravit, unde conſequens ætas*
*Amare & æſtimare nomen hoc poſſit.*
*Sero arborem, quæ proſit alteri ſeclo.*
*Si noſtra navis hæſit ad vadum Circes,*
*At eſt regreſſus ſemper ad bonam mentem:*
*Sanatibusque pœnitentiæ portum*
*Nunquam benigna cura Cœlitum claudit.*
*Nunc* SOPHIA *ſola me tenet ſibi totum,*
*Quæ certa nobis ſigna mutui ardoris*
*Dedit daretque, ſed Cupidini obſiſtunt,*
*Sufflaminantque, frigidamque ſuffundunt*
*Linguæ nocentes, & calumniæ virus,*
*Qua peſte non eſt ulla maior in terris.*
*Hoc triſte monſtrum tu potes procurare,*
*Non mole vaſta, non toris lacertorum,*
*Clavaque ad inſtar efficacis Alcidæ:*
*Sed arte dextra vocis, & precis blandæ.*
*Adhæc parens humanitatis ignarus,*
*Qui præter auri laminam refulgentem*
*Nulla expetenda dona ducit in vita,*
*Ritu ferino barbaroque diſpellit*
*Noſtros amores: nec capit ſuam ſortem*
*Iovisque coniunx eſſe neſcit invicti*

Ple-

*Plebeia nympha, pectus integrum probri,*
*Fraudisque purum, ſed nimis ſolo affixum,*
*Quæ Baudii de portione nil traxit,*
*Sed eſt tamen materia mobilis flecti,*
*Si ſit maritum nacta maſculæ mentis,*
*Qualem parentes protulere me terris.*
*Quippe haud amomum tale naſcitur vulgo,*
*Nec more glandis procreatur e quercu.*
*Sed* SOPHIA *noſtra mora vivit, & neſcit*
*Tanta æſtimare dona, ni poëtarum*
*Perfuſa aceto nomen aſſerat factis.*
*Hoc tu potes præſtare, lux iuventutis,*
*Si nos favore duxeris tuo dignos:*
*Nil illa Magno denegabit Hugoni.*
*Sed & parentis ira vi tuæ Suadæ,*
*Meoque tandem amore victa miteſcet.*

Ita quidem & reor, & (veri ſi quid mens augurat) opto, quoniam tu mihi auctor es ut in amore pertendam, & ſignum ad bene ſperandum extollis. alioqui dicam grandem impegiſſem μελλοπενθέρῳ, & natam cum inteſtinis omnibus res ſuas ſibi habere juſſiſſem, nec vetuiſſem multum plorare ſi lacrimis eluere poſſet labem famæ ſuæ adſperſam ex ridicula expoſtulatione de vi & raptu. Nihil habet quod de nobis queratur, niſi forte velit eam intentare accuſationem, quam adverſus Scævolam ſpecimen innocentiæ fertur intentaſſe, Fimbria profligatiſſimę vir audacię, Quod ſcilicet non totum telum corpore receperit. Quã bella materies jocorũ ſuppeditaret, ſi talis cauſa in judicium deduceretur! Sed nunc non eſt

jocandi tempus, & ſatis habeo litium cum una *excetra*, quam audio collocutam eſſe cum uxore tua, & adhuc furioſas illas ſpes fovere de matrimonio, πότε μοι χάνοι εὐρεῖα χθών. Amabo te libera me quamprimum ab *hoc infami ſcopulo*, operum (mihi crede) tuorum eſt. Heri mihi Heinſius noſter adfuit, & rogatu meo adductus, partim ſua ſponte incitatus, recepit in ſe munus colloquendi ſerio cum Feſto Hommio περὶ τῆς ΣΟΦΙ'ΑΣ. is tenet clavum imperii, & patris animum habet in ſua manu. Sed ſumma cum æquitate exſpecto quemlibet eventum, & prope eſt ut malim repulſam, ita me tædet & contumeliarum parentis, & inſulſorum filiæ morum, quæ præter nomen non poſſidet micam ſalis. Illud te rogatum cupio, ut cauſam meam apud Mylium Matheneſiumque ſerio agas, ne diutius τὸν ἄριστον Ἀχαιῶν ὃς οὐδενὸς ἥττων εὔχομαι εἶναι τῶν ζυμμυστῶν patiantur adſperſum eſſe nota, quã humanitate & amore adducti, non odio (ut opinor) inuſſerunt, ut à fatali veterno excuſſus reverterer in viam. Valde item cuperem repeti ab εὐπενθέρου carmen meum ad facundum Veri præconem, quod aſſervavit jam ſpatio longius annuo. Niſi quid tu docte Trebati diſſentis, Heinſius & ego inter nos convenimus de editione. ſed addetur præfatiuncula ne homines ἄμουσοι καὶ ἀπειρόκαλοι nos furere & vaticinari putarent. Rogo ut hæc tibi ſint curæ, & facias me verbo certiorem quid actũ ſit. Vale vir eximie, & nos ama. Datum Lugd. Bat. v Eid. Junias, cIↄ Iↄ cxII.

HUGONI GROTIO DOM.
BAUDIUS S.P.D.

Hagam-Comitis.

Cogor apud te, fidiſſimum & amiciſſimum pectus, exonerare conceptum animo dolorem ex inſigni injuria qua ſum læſus indignum in morem ab iis quos minime oportebat. Nam ex honeſta conſcientiæ fiducia poſſum jure gloriari me nemini mortalium, qui guſtum aliquem humanitatis & honoris habeat, juſtam cauſam præbuiſſe cur me odiſſe debeat. Pridie Kal. Quinctiles vocatus ſum in Senatum ut cauſam dicerem qua fiducia ſubnixus Theſes Politicas defendere auderem, quaſi ſcilicet alterius fori ac territorii non noſtræ juriſdictionis res foret. Dixi ſalvis auſpiciis ea quæ. ſed priuſquã reſpondere volui, quum magnificus Rector verba facturus oſtenderet mihi locum ubi conſiderem, negavi, forſitan temere, ſed tamen negavi me poſſe ſalva dignitate ex alio loco audire loquentem quam qui mihi eſſet ante aſſignatus, nec ipſis eſſe jus alia de cauſa me vocare in Senatum quam ut ſententiam cum collegis dicerem. Tamen ne ignorarem horribile arcanum quam ob cauſam patres conſcripti veniſſent in Curiam, & an Hannibal eſſet ad portas, aut aliquis nuncius ſuperſtes è clade Cannenſi, propius acceſſi ad ipſũ

*Qui pecori imperitat, quē tota armēta ſequuntur.* ἄγχι σχὼν κεφαλήν. Quærit primum ex me an ſtatuiſſem præſidium & auctoritatem ſuffragii commodare defendendis corollariis periculoſæ aleæ plenis, ut eſt diſputare in ambas partes An religio ſit de ſubſtantia reip. & negare fas eſſe ſubdito privatoque homini ob cauſam religionis arma ſumere contra Principem, & id generis alia. Reſpondi, cauſam non videri cur in hoc atrio libertatis non ſit fas abſque pervicacia ſentire quæ velis, & quę ſentias expromere. Tamen rogatus ut admonerem juventutem ne temere & abſque delectu talibus axiomatis aſſenſum præberet, ſignificavi me facturum, Quæſitum irem eſt an ſcirem Heinſio heroi decretam eſſe Spartam Politicæ profeſſionis, ne falcem immitterem in meſſem alienam. Quidni, inquam, ſcirem? indigna homine dubitatio. πῶς ἂν ἔπειτ᾽ Ὀδυσῆος ἐγὼ θείοιο λαθοίμην? ἀλλ᾽ ὁ μὲν Αἰθίοπας μετεκίαθε τηλόθ᾽ ἐόντας. fama nihil ignorari patitur de inſignibus ad laudem viris. Sed & profeſſori primario τῆς φιλοσοφίας διὰ παραδειγμάτων fas eſſe puto bene mereri de ſtudioſa juventute, &, ut ante jeci, ſalvis auſpiciis ea geruntur quæ pro publica utilitate fiunt. εἷς οἰωνός.

*Hoſtem qui feriet mihi erit Carthaginienſis.*

Suſcipit iterum Rector, querelas ad ſe delatas quod duobus ante diebus in funere amici, cujus funeris caput erat Philibert du Bois tibi probe notus, clauſiſſem latus Pinackeri, quum à ter-

à tergo ſequeretur collega, ſi ſalva majeſtate imperii licet mihi eum ita appellare dum careo jure ſuffragii. Magnum ſane crimen, & funere expiandum. Atqui non ignoras, inquit, qua nota ſis adſperſus, nec tibi locum eſſe ullum inter Ordinarios donec in integrũ ſis reſtitutus. Reſpondi ſatis confidenter, nec pœnitet. Sed caput erat, ſententiam Curatorum & Conſulum non ultra extendi oportere quam ad jus ferendi ſuffragii: non autem ad alia ornamenta dignitatis. Pœnas enim eſſe reſtringendas, & olim Senatoribus ultro ſe excuſantibus ſervatum fuiſſe ab optimo Principum Auguſto inſigne veſtis, & ſpectandi in orcheſtra, epulandique publice jus. Non aliter ſentire ipſos à quibus eſſem notatus, quorum judicium acciperem tanquam ζυμφορὰν θεήλατον & cœlitus immiſſam admonitionem qua duce in viam redirem. Nec me ab eo tempore quidquam admiſiſſe dignum triſtiore ſententia. Subjecit Rector, aliud ſibi eſſe compertum. Sane ſi tam implacabili animo ſunt in me quos ego præcipuos Mæcenates meos ſemper duxi, & ſi tam invíſus ſum Conſulibus ob quædam parum decore geſta, ut mea contumelia lætentur, conſilium ſumam à deſperatione & me ſubducam ex hiſce regionibus aliquo, ubi nec Pelopidarum. ſed reprimo iracundiam. Audi reliqua. Quum eſſem domum reverſus, venit ad me Jacchæus, homo integerrimus, & mihi amicus fraternum in modum, aut omnia me auguria fallunt.

ſunt. ſignificat ex parte Magnifici pleroſque Ordinarios diſputationi interfuturos, ſed hac lege ſi eos omnes præcedere paterer, quum ex auditorio exeundum foret.
*Quãquã animus meminiſſe horret, luctuq; refugit.* tamen & hanc contumeliam
*incolumi Iove & urbe Roma*
concocturum me ſpopondi. Heſterna die graviter apud Rectorem queſtus ſum de inhumanitate non audeo dicere Collegarum, nos tamen fremente invidia Baudius manebimus. Renovavi etiam veteres offenſas, quod me in cauſa deſipientis SOPHIÆ allocutus eſſet tanquam vitæ iratũ, & candidatum patibuli. Sed SOPHIAM iſtam ſuis moribus ulciſcendam permitto, ſi quidem rata habet quæ barbarus parens in me ruſtice & inciviliter deſignavit: nam contrarii rumores ad me deferuntur. nonnulli dicunt eam honorifice & amice de nobis loqui. quod ſi ita eſt, recte & ordine facere ipſam arbitror, καὶ γὰρ τόγε λῷιον εἴη. & tunc paratus ſum omnem præteritorum memoriam fideli amneſtia ex animo delere καὶ μὴ μνηſικακεῖν. ſin talia flagitia probat, nunquam eam ſermone fuero dignatus. Sunt enim qui dicant me ab ipſa proſcindi tam cruentis conviciis, quaſi crimen ſit quod vivam. Sed nunc meliores curæ me exercent, quam otioſæ iſtæ occupationes circa fœmineum ſecu. Sero arbores quas ſpero nec inutiles fore vivo, & profuturas alteri ſæculo. Cæterum ut revertar ad τὸν μεγαλοπρεπῆ, tantum

tum abeſt ut doloris mei ſit miſertus, ut me objurgaverit quod in concione auſus eſſem occupare locum altioris ſcamni non niſi deſtinatum Ordinariis, idque Magiſtratui ſuperbum & arrogans videri, quaſi notam inuſtam contemnerem, & auctoritati Curatorum inſultarem. Quid eſt ſi non hæc contumelia eſt? Sed finem facio, & rogo te ne hæc diſpaleſcant: verum pro jure familiaritatis quæſo reſciſcas περὶ τοῦ σὐπενθέρου an me tam inviſum fatis genuerit mater ut reconciliari in gratiam non poſſim. Pedum viſa eſt via. & carendo magis quã fruendo intelligent *ἣν ἄτην ὅτ' ἄριστον ἀχαιῶν οὐδὲν ἔτισαν.* De *Maja* jam ante ad te ſcripſi. nihil æqui bonique faciet niſi jure judicioque coacta. eſt enim *animal impotens, indomitum.* tu plus effeceris quam diram qui contudit hydram, ſi me *hoc monſtro* liberaveris. Cur non poteſt illi lata fuga indici, quę nihil habet nec in fama nec in fortunis quod deperdat; an quia tam præclara cive reſpublica noſtra, vel Academia carere non poſſit? Vale cum familia, & nos ama. Datum VI Non. Quinctileis, cIↃ IↃ CXII.

## NICOLAO REIGERSBERGIO DOM. BAUDIUS S.P.D.

Hagam-Comitis.

Quod olim magno Senecę fuit Lucilius virorum optimus, hoc tu mihi eris ſi te conditionis non pœnitet. Scribam ad te quidquid ſub acumen ſtyli venerit, & illinam protinus chartis, ubi me impetus ceperit, quæcunque ſe temere cogitationi objecerint. Non defugies opinor auctoritatem; nec intercedes rogationi, ſi bene ingenium tuum novi, qui joca, ſeria noſtra juxta æſtimas, *ὡς ἐκ τῶν Διὸς δέλτων μαρτύν.* Nuper ſcripſi ad Philibertum du Bois, hominem, ut opinor, tibi non ignotum. nam cui non notus Hylas? erant adjunctæ literæ ad Arſenium Scribam plenæ magnificarum pollicitationum; ſed tamen non majora promittam, quam mihi conſcius ſum me poſſe factis abunde præſtare, ſi pergam, ut cœpi, ſacra mea commovere. Petebam ut ei viro traderet Senatusconſultum Illuſtriſſimorum Ordinum, quo me coadjutorem Meurſii laborum in Hiſtoria conſcribenda renuntiarunt. Nam etſi forti viro bonoque civi licet bene mereri de patria, de ſeculo, de literarum gloria etiam, abſque mandato, quum ſit *εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης*: tamen utilius ad ſpem compendii, & honorificentius ad famam eſſe creditur, ſi publi-

licæ auctoritatis auſpicia ſequar, quam ſi neo remigio rem geram. Quocirca velim reciſcas ex eo quid actum ſit. ex Philiberto, nquam, qui pro beneficio à me petiit, ut e parario & ſequeſtro uterer ad compellandum Scribam. Dicitur *noſtra bonæ mentis & ſecundæ exiſtimationis pernicies*, jam per triduum aut quatriduum hærere Hagæ. Sunt qui ajunt eam profectam φίλην εἰς πατρίδα γαῖαν. Utinam illo terrarum delata eſſet, quo monſtra piacularibus ſacris luſtranda amitti deportarique ſolent, ut Pelopidarum neque facta neque nomen audirem. Sed probæ iſtæ merces uſu non conſumuntur, immortales ſunt, vivunt in pœnas hominum, in infamiam ſæculi, in ludibrium ſacroſanctæ Themidis, quæ haud recte dicitur aſſidere ſolio Jovis ſupremi, & regina rerum humanarum divinarumque εὔχεται εἶναι, ſi tot Juſtitiæ antiſtites unicam maleficam Circen, quæ meos ſenſus venenavit, amoliri non poſſunt, ſaltem ut Leidam contagione ſua & ædes meas noxia vicinitate non infeſtet. Detur illi lata fuga per immenſos patris Oceani nympharumque ſororum liquentes campos, detur libera vagandi poteſtas per omnia regna Veſtæ matris: dum oculis meis inviſum ſpectrum non occurrat. An non poteſt Academia noſtra carere tali incommodo? Jampridem id pro imperio factum oportuit, ſi tantum ſibi juris vindicarent in beluas λαῶν ἡγήτορες ἠδὲ μέδοντες, quantum εἰς ἀρίστους ἀχαιῶν. Neſcio quæ tempeſtas

peſtas nobis impendeat, nihil certe animus præſagit boni, niſi quod τὸ καλὸν παρ' ἐμοὶ, & patria eſt ubicunque via fortis virtute ſua rectique conſcientia involutus ætatem degit. Video hoc agi, ut contumeliis haud tolerandis ἀγλώσσῳ θυμῷ, adigar ad deſpiciendum pedum viam, & quærendam haud inglorii atque inopis exilii ſedem. παρ' ἐμοίγε καὶ ἄλλοι οἵ κέ με τιμήσουσι, μάλιστα δὲ μητίετα Ζεύς. Nos fremente quantum eſt invidorum clari erimus, & olim forte cum Themiſtocle gloriabimur, *perieram niſi periiſſem*. Qui mortem non horret, non multum reformidat rumuſculos malignorum, qui per cuniculos oppugnare malunt famam & dignitatem heroum, quam divinas eorum dotes venerari, & amicitiam officiis elicere ac promereri. Nulla alia offenſione ſum nonnullorum odia conſecutus, quam inculpata libertate promendi quod ſentio, & nimia quadam morum ſimplicitate. Malo decipi, quam diffidere iis qui benevolum vultum & affectum præ ſe ferunt. Nemini bono juſtam cauſam præbui, cur me debeat odiſſe, niſi candori & ingenuitati bellum indicat. Si fama noſtra paululum hęſit ad cantilenas Sirenum, ſi interdum virtus incaleſcit flore Liberi, commune hoc vitium mihi eſt cum priſco Catone, illud cum maximis viris. quibus ego tamen auctoribus nolo culpam defendere, ſed optimus eſt erranti portus mutatio conſilii in melius. Omnis jam in eo ſum, ut ſanem offenſas officiis. Interim ab amiciſſimis viris, & mi-

& minime fucatis mihi obnuntiatur, aliquid adhuc triſtius parari. Sed ſolatur me illud τίς ἐστὶ δοῦλος τοῦ θανεῖν ἄφροντις ὤν; Quam putas mihi grave & moleſtum accidiſſe, quod ſerio monitus ſum à Magno affine tuo, quem primarium ſæculi juvenem audeo dicere, non debuiſſe me niſi communicato cum Collegis aut Magiſtris noſtris conſilio literas mittere ad *. Ego vero vitam mihi eripi malim, quam ut hac in parte culpam ullam agnoſcã, & miror tam cordatum virum rapi in aſſenſum tam ſiniſtræ interpretationis. Nullos æque omni obſervantia complector, aut magis mea cauſa velle & poſſe ſcio, quam Dominos Curatores. Sed tamen non ita contemptim judicandum eſt de præclaris ingeniis, & luminibus Academiæ, quibus ſæculum illuſtratur, ut curatoris indigere cenſeantur. Datus eſt mihi tutor, quaſi rebus meis ſupereſſe non poſſim. adſperſus ſum nota ob quædam haud ſatis decore geſta. Plerique putant hanc labem non alia conditione deletum iri, quam ſi inſulſum pecus uxorem duxero, cui præter SOPHIÆ nomen nihil adeſt humani cordis. An ideo pereundum erat Pompejo Magno, ſi Lucullus non eſſet luxurioſus? Ego invitam cogere non poſſum ut velit eſſe conjux invicti Jovis, & tanti non eſt ut vel illi vel furioſo parenti ſupplicem. Dos tamen non eſſet adſpernanda, niſi marita foret, & poſſet abſque muliebri capite contingere. Poſtquam * reverſus fuerit, perſuaſu amicorum decretum

eſt

eſt mihi jacere noviſſimam aleam, & exquirere an mecum lege fidelis καὶ ἀδόλου ἀμνηστείας paciſci velit. Paratus ſum ex animi ſententia conceptis verbis jurare μὴ μνησικακεῖν: dum & ipſa levitatis culpam agnoſcat, & parentis furias non approbet. Si tergiverſabitur, relinquam illam ulciſcendam ſuis moribus, & aliam conſortem invenero quæ melius intelliget ſuam felicitatem. Non tam inviſus cœleſtibus auras vitaleis carpo, ut conditionem reperire non queam. Jam de ſucceſſore proſpectum eſt, ſi hæc Amaryllis Alexin deſpexerit. Non adeo exarui ex amoribus & humoribus, ut bona mea ſapienti fœminæ venditare non poſſim. etiamſi tam inſipienter circa SOPHIAM deliraverim, ut mihi Socratica fides objecta ſit, καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα. ὁ γλυκὺς ἔρως me admonuit relictum eſſe apud nobiliſſimum D. Vander-Mylium *Carmen Hipponacticum.* Rogo te, ut arrepto tempore id ab eo poſcas. nullum aliud habeo exemplar, nec indignum eſt, quod à candidis talium amœnitatum amatoribus inſpiciatur. Si genus Æneadum hujuſmodi quidpiam exſculpſiſſet, ſæculum eorum jactantias pati non poſſet. In primis ſcire cupio, an ante ferias Auguſtaleis diſcuti poſſit mea lis cum *excetra.* Vale, & Grotio heroi totique familiæ plurimam à me ſalutem nunciato. Datum Lugduni Batavorum XII Kal. Sextilis, CIↃ IↃ CXII.

*Sequun-*

# Sequuntur aliquot Excerpta & Epiſtolę de veteribus ac novis

# BAVDII AMORIBVS.

## *Ex epiſtola quadam* DOM. BAUDII

## AD MAXEMILIANUM VRIENDTIUM.

Si inter graves curas, & (ut invitus audio) inter moleſtas lites, juvat memoria repetere ſpatium præteriti tem-
poris, recordari potes Anno cIɔ Iɔ LXXXIII
Lambertum Danæum hominem Gallum, nec
obſcuri nominis Theologum, habitaſſe in
ædibus Domini de Borlut, ſive de Boucle.
Utebatur ejus menſa & convictu virgo ho-
neſtis parentibus orta, & ornata bonis mo-
ribus, cui nomen ISABELLA HARDE-
WINIA, nunquam delendum ex animo meo.
Neque enim meminiſſe pigebit ejus, quam
fore mihi conſortem divini humanique juris
auguria multa portendebant, *ἀλλὰ μοῖραι κρα-
τερώτεραι τῶν ἀνθρωπίνων βουλευμάτων ἄλλην ἐτήρουν μοι
γυναῖκα. Fatum eſt* enim etiam *in partibus iſtis,
Quas ſinus abſcondit*, ſi credimus Satyrico. Ne
longis ambagibus te morer, etſi garrula res
eſt amor, ibi te primum vidi, & protinus ma-
gni æſtimare cœpi vividam atque erectam in-
dolem mentis tuæ.

# IUSTUS LIPSIUS DOM. BAUDIO S. P.

Middelburgum.

*Binas à te literas vidi: patiare ut ad utraſque uno reſponſo defungar. Prioribus agebas de Legatiuncula ad Navarrenum. quo fundamento, mi Baudi, aut qua ſpe? Nunquam id factum: & ut in tua perſona novum exemplum Ordines inſtituant, cave credas. Tu hoc & alia mereris, ſed male res humanas noſti, ſi merita in his talibus appendis potius quam fortunam. Illa eſt, quæ eligit, evehit, cæca ſpe aut nulla mente. Quo ergo literæ, aut prudentia? ad te ipſum, & hæc interna. interdum & ad externa, ſed cum voluit potentior illa Diva. Haud libens hæc talia efferam apud adoleſcentes & teneros, ne abſterreã: te ſpero firmum jam eſſe in meliore iſta via. Hoc unum te moneo, ne præcipitent te tuorum vota, pia, ſed improvida: qui ad lapſum ſæpe impellunt, dum cogunt feſtinare. Ne ſperne honores, ſed nec avide appete: & qui eo minorem te putant quia cares, tu eos habe pro minutis. At vivendum tamen eſt: ſane. & omnino huic rei eligenda aliqua via. Illa Advocationum tibi diſplicet: quæ tamen directus ipſe limes hodie ad civiles dignitates. Ineamus aliam, & vel de Profeſſoria hac conditione cogitemus (in quam opera mea nunquam deerit) vel de aliqua Nuptiali: hic dico, ut legas tibi, cui formam dederit pulcherri-*

*ma*

*ma illa & ſimul valentiſſima Dearum. Nam cui Venus ſola faverit, ſpinturnicium & nugæ. Ego ita cenſeo, & fidele conſilium tibi do: abjicienda vana rerum, nihil calide nimis appetendum, quia omnia in tempore vehet hic aut alius veſper. De Aula, ſi ſapis, nihil cogita. hic fumus, & perſeveranti in ea, funus. Apud nos nunc quidem anguſta loca, & reſtricta ob ærarium tenue, quod fraudibus etiam imminutum: ſed in tempore non deſperem, niſi obſtant nobis, quos noſti. Mitigabuntur: ſed die opus eſt. Vale, & ſi quid poſſum pro meo Baudio, ſcito velle. Lugduni Batavorum v Kal. Octobr.* cIↃ IↃ LXXXVIII.

IANO DOUSÆ PATRI
DOM. BAUDIUS S.P.D.

Hagam-Comitis.

Noviſſimis literis abunde cauſam dixiſſe videor, cur una cum Tuningio ad Scaligerum non ſim profectus, quam [e]x æquitati tuæ probatum iri plane confido. [S]ed quoniam animus mihi præſagit fore ut [o]btrectatores ſequius actiones meas inter[p]retentur, quod & antea factum, uti intelli[g]o ex literis, quas ab amiciſſimo homine Tu[r]onibus accepi, viſum eſt à te poſtulandum, [u]t ſi quid incommodæ ſuſpicionis animo tuo [n]on ſponte hæſit, ſed alterius artificiis incul[c]atum eſt, id omne tanquam magiſter unicus [b]onarum artium deleas, ſed non alia lege

quam ſi me probe noſti nec falſum nec fallacem; utique apud te, cui interiorem animum ſemper aperui ſine fuco & fallaciis; inde adeo, quod hunc hominem dignum cenſuiſti quem haberes in numero tuorum. Quod autem homo vaniſſimus vulgo diſſeminavit nō poſſe me hinc à muliercula divelli, quam impotenti amore depeream, id ſi forte ad aures tuas permanavit, tanti non eſt ut refutationē deſideret. Ego me & juvenem eſſe fateor, & affinem earum rerum, quas fert adoleſcentia, ſed (quod pace Faſcini dixerim) non ſum jam aut tam omnium ignarus, ut amorem neſciam, & ejus vias devias, aut tam ab animo infirmus, ut huic immodeſto affectui moderari non poſſim. Cur hic itaque tam diu hæſi; conſilio omnium benevolentium adductus ſcilicet, & auctoritate primarii Nòrmanniæ præſidis, qui ad pericula itinerum illud incommodi adjungebat, perexiguam ſpem eſſe obtinendi quæ vellemus. rationes autem, quibus opinionem ſuam confirmabat, erant ejuſmodi, quę homini etiam impenſe cupienti adferre poſſent curam amplius deliberandi. Ac tametſi peculiaris mihi cauſa erat Auguſtam Turonum proficiſcendi (quod & præſens Belgica ingenuitate profeſſus ſum, cum facillime poſſem ex Hetruriæ diſciplina gratiam officii ſponte ſuſcepti apud vos inire) tamen non exiſtimavi faciundum, ut quidquam cupide nimis attentarem. Cujus ſane conſilii nihil me pœnitet, tametſi iter hoc N.
bene

bene feliciterque evenit. Quem exitum habuerit ejus legatio, ne verbo quidem nobis ſignificavit: quam injuriam hominis cauſa contemptu ulciſcor. ſed qua ex parte res hic communis agitur, vehementer indignor, expertem me habitum fuiſſe iſtiuſce nuntii: niſi quod ad me ſcribit vir clarus Florentius Chriſtianus, eum cum bona ſpe domum rediſſe. quod lætor. Sciam propediem quidquid hujus ſit, & pro virili occaſionem urgebo. Haſce enim literas hic reliqui, cum jam in procinctu eſſem, ut Auguſtam Turonum me conferrem. Inde porro ad Scaligerum cogito, ut conſuadeam homini. adnitar equidem omni gratia, opera atque induſtria. Veſtrum erit admonere quid facto uſus ſit. Efficiam ut intelligas, & quam mea ſponte faveam huic cauſæ, & quam nihil à vobis fruſtra ad me delatum eſſe videatur. Vale Vir obſervande. Datum Cadomi XVII Martii, Anno cIɔ Iɔ XCII.

## CORNELIO vander MYLE DOM. BAUDIUS S.P.D.

Hagam-Comitis.

Heſterna die multus mihi ſermo fuit cum collega recens Haga reverſo, nō ſine libera indignatione, quod ex relatu amiciſſimorum hominum intellexiſſem eum dictitare, nihil eſſe cauſæ cur amplius lacter inani ſpe de obtinendo munere Hiſto-

rici potentiſſimorum Ordinum. jam enim familiarem veſtrum (ſcis quem hoc elogio deſignem) eſſe in poſſeſſione iſtius Spartæ. idque accidiſſe mea potiſſimum culpa, quod rationem petitionis meæ ſecum non communicaſſem. quaſi ſcilicet unus ille ſit promus & condus talium officiorum, à cujus nutu & arbitratu mentes publici conſilii pendeant. Dixi quod ingenuitate naturæ meæ dignum erat, hanc mihi fuiſſe cauſam non communicandi ſecum conſilii, quod nullas in ea re ſuffragii partes obtineret, & ſatis mihi præſidii foret in tua unius fide ac benevolentia. qua fretus certam animo fiduciam concepiſſem, non alii ceſſuram iſtam provinciam quam nobis. & recte atque ordine facturos. ſi qui ſunt competitores, ſi ab irrita contentione deſtiterint. Nam ſi ea ſpes me fruſtrata fuerit, omnino cogar à præſenti neceſſitate conſilium præceps mutuari, quod mihi refrigerato ardore per otium diſplicebit, aut forte dicam cum Themiſtocle, *Perieram, niſi periiſſem.* Quævis vivendi conditio potior eſt homini generoſæ indolis, & ad res altas genito, quam aſſidue divexari ſollicitudinibus haud magni quidem pretii, ſed quæ ſublimes animos de tranquillitatis ſede dejiciunt, ut nihil æternitate dignum meditari queant. Vota mea non ſunt ambitioſa, nec ſupra ſpem mediocrium virorum. Illud unum precibus paciſcor, ut quod reliquum vitæ fata Deuſque adjicient, minimo cum ſtrepitu nec ſine bonorum gra-

tia & approbatione extra importunæ paupertatis aleam poſſim traducere: ut quandocumque ex rebus humanis conceſſero, poſteritas famam nominis noſtri grata recordatione proſequi non dedignetur. Huc ſecundum animæ ſalutem dirigitur ſcopus mearum cogitationum. Nam ut me fortunæ rivus inauret, nec avide nimis deſidero, & fatum meũ magis videtur eſſe capax magnæ gloriæ quam opulentitatis. Interim ſi poſſem in naſſam matrimonii illicere fœmininum aliquod opime dotatum (agnoſcis heic facundiam Supplementi Chronicorum) non aſpernarer dona deorum. Sed ad eam ſpem aſpirare non audeo, quamdiu mihi certamen erit cum hydra moleſtorum flagitatorum, atque adeo (ut nihil diſſimulem) niſi ante tuum in Galliam diſceſſum conſit, quod tamdiu te rogo atque obteſtor, prorſus animum deſpondeo, nec erit ullus uſus ſeræ nimis & intempeſtivæ medicinæ. Scio, & in memoria habeo quæ dici ſolent de captandis occaſionum momentis & temporum oportunitatibus, ſed interim expectando conficior miſer, capitis nives me propinquæ mortis admonent, ætas labitur, ſtudium cum ſpe ſeneſcit, agendi tempora cunctando conſumuntur. Sentio etiã magno cum dolore, neque enim mihi cornea eſt fibra, quam perexigua noſtri ratio habeatur. Adhuc inter extraordinarios accenſeor, non ſine publicæ ingratitudinis exprobratione, & ſuffragii jura nondum habeo inter eos qui nec

ætate, nec doctrinæ inſignibus, nec fama aut meritis ſunt ullo pacto nobiſcum comparandi. Quid? quod tam illiberaliter deducitur de honorario. Sed finem imponam & epiſtolæ, & querelis, quas dolor haud voluntas expreſſit. Vale. Datum Lugduni Batavorum XVII Martii cIↄ Iↄ cx.

## HUGONI GROTIO DOM. BAUDIUS S.P.D.

Hagam Comitis.

Ingentes me tibi gratias & agere & habere par eſt ob utilem, ſalutarem & honeſtam παῤῥησίαν qua me commonere dignatus es per literas, quæ mihi ſunt eruntque tanquam θεόπνευστα ῥήματα καὶ μαρτύρια ἐκ Διὸς δέλτων. Efficiam omni ope conſilioque, favente divina benignitate, ne fruſtra tam fidelem operam concaſtigando amico ob commeritam noxiam ſuſcepiſſe videaris, utque cæteris dotibus, quas in hoc homine ſitas eſſe livor ipſe negare non poteſt, etiam caſtitatis & ſobrietatis gloria adjungatur. Pendet enim ea res ab arbitrio liberrimæ voluntatis, eſtque τῶν ἐφ' ἡμῖν quod ſine ſemi-Pelagianiſmi ſuſpicione offenſaque Theologici Senatus dictum eſto. De matrimonio cave me quidquam putes eſſe facturum quod ſit indignum ſapiente bonoque, nec unquam amplius amplexus in *cloacam* mittam: & poſt-

hac

hac abſtinebo, ut mones, ab iſtis curſitationibus. Interim me famamque meam tibi committo tuæque mando fidei. non erit tibi pudori patrono fiſci ſuſcepiſſe patrocinium Baudiani nominis apud faventes & benignos judices, niſi quod nimium incumbunt ad ſublevandum caducum parietem, & (quod ſine inſectatione humanitatis dixero) corpus cœlo fulminatum. Vale, Vir Clariſſime I v Decembris ex urbe Gandavo, cIↃ IↃ cxI.

EVERARDO VORSTIO DOM. BAUDIUS S. P. D.

Lugd-Batavorum,

Nihil eſt quod faciam libentius, & animo promptiore, quum facultas ſuppetit, quam ut ſublevem fortunas afflictorum, qui fatorum iniquitate magis quam ſuo vitio a paupertate circumveniuntur, quā Petronius appellat bonæ mentis ſororem, ſed SOPHIAM conjugem malim, quam ejuſmodi moleſtam contubernalem. Itaque ut illam mihi propitiam habeam, & hanc res ſuas ſibi habere jubeam, omnis a me labor & aſſiduitas Hiſtoriæ ſcribendæ impenditur. Cujus rei intra paucos dies monumentum publice exhibebo Illuſtriſſimis Ordinibus, quo ſanabuntur, ut ſpero, offenſæ præteriti temporis, & memoria noſtri nominis grato cum benevo-

lentiæ teſtimonio ad poſteros propagabitur. Sed miſſis ambagibus, cauſam cur auſus fuerim haſce ad Magnificentiam tuam literas mittere, melius ex nuncio quam ex me cognoſces. Non eſt indignus quem aliquo ſubſidio fautrix bonorum ingeniorum Academia noſtra proſequatur. Rogo te, ut quod ſine incommodo tuo fiat, munem te & benignũ prębere ne graveris, & ut me tui obſervantiſſimũ ſolito patrocinio tueri conſtanter perſeveres. Datum Lugd. Bat. XVII Kal. Sept. CIↃ IↃ C XII.

## PETRO RUBENIO DOM. BAUDIUS S. P. D.

Antverpiam.

Rogatus ſum a communi amico, & unico artis tuæ admiratore, Bartholomæo Ferrerio, ut filium ſuum, qui fœliciter pro captu ætatis ad penicilli gloriam adſpirat, humanitati tuæ commendarem. Nollo promiſcuis commiſſionibus obſoleſieri gratiam quam apud te mihi eſſe pateris, itaque hactenus morem geſſi deſiderio patris, & antiqui ſodalis ut me internuncio ſcires ipſum beneficio immortali devinctum iri, ſi cum Franciſco Snyders egeris, ut adoleſcentulum non tantum μαθητὴν τῆς ἑαυτοῦ τέχνης ἀλλὰ καὶ συμβιώτην adſciſcere dignetur, ut aſſiduam magiſtro operam navare poſſit. Non parcet parens ulli ſumptui, & infinitum ſe debere utri-

que

que confitebitur. Quum hæc ſcribebam eram occupatiſſimus, alias accuratiores erimus. Elogia Ciceroniana ſoceri tui, viri ad genium humanitatis facti, magna cum voluptate & utilitate legi, præſertim epiſtolam quæ tota Tullianæ dictionis indolem ſpirat. Opinor jam te ex fama audiiſſe *me choro maritorum iterum eſſe adſcriptum.* Contigit uxor prorſus ex animi mei ſententia, imo (ſed penes te pereat hoc horribile arcanum) ſupra votum. Feriis Auguſtalibus, ſi poteſtas data erit, ad vos cum Junone excurram, ut ſerio te admoneam promiſſi, quod ego in præcipua cenſus mei parte deputo. Nam bona nomina non appellando fiunt mala. Bene vale, & feſtinationi ignoſce. Datum Lugduni Batavorum IX Kal. Martias, CIↃ IↃ C XIII.

EPI-

# EPITHALAMIA
## BAUDIANA,
vere nuptialia.

*Nolis, velis, aliter hæc ſacra*
*non conſtant.*

# IN NVPTIAS

*Nobiliſſimi Iuvenis*

ALBERTI A SCAGHEN,

*Et eximiæ Virginum*

THEODORÆ A DUVENVORD.

*Et ſi mens animi curis confecta ſeneſcit,*
*Afflatumque gravi ſidere pectus hebet.*
*Nec juvat ingratas Parnaſſo excire ſorores*
*Vnde nihil metimus præter inane ſophos.*
*Fluxaque ſectando pellacis præmia famæ*
*Virtutum ſolidas dilapidamus opes.*
*Carpitur interea melioris floſculus ævi,*
*Dumque loquor rapidis paſſibus hora fugit.*
*Cor tamen exſtimulat vis blanda potentis amici,*
*Flagitat & Genii munera proſper Hymen.*
*Scaghius in leges accingitur ire maritas,*
*Vincirique ſacra compede geſtit amans.*
*Ille ſolutus amans defixus inhæret in una,*
*Quam ſibi jure pio perpetuoque dicat.*
*Tam lætum-ne jubar patiemur abire ſilendo?*
*Non patitur pietas, non data rite fides.*
*Ingenium ſupplebit amor, mera ſæpe voluntas*
*Averſum evaluit pacificare Iovem.*
*Surge anima, & mœſto pauſam interpone dolori,*
*Sunt dicenda bono proſpera verba die.*
*Publica dum fremitu conſpirant vota ſecundo*
*Pars ero gratantis quantulacunque chori.*

Non

*Non hîc ingenii ſpecimen ſpectatur & artis.*
*Vrgeor imperio, vim prece ſuada facit.*
*Scaghius, eximio cultum mihi fœdere nomen,*
*Inſtat, & effugio non ſinit eſſe locum.*
*Illius auſpicio libet inſanire licetque,*
*Sic mos majorum, ſimplicitasque jubet.*
*Non ſua majeſtas Veneri conſtabit honorque,*
*Si Charitum deſit triga, licensque Iocus.*
*Ergo agedum facili ſpecta hæc Floralia vultu,*
*Quæ tuus invitum ſcribere adegit amor.*
*Felix conjugio juvenis, cui tanta parantur*
*Gaudia, ſed Nemeſin diſce timere gravem.*
*Fortunamque tuam reverenter habere memento:*
*Sæpe piis etiam Livor obeſſe ſolet.*
*Quanquã quid metuas ne te male Faſcinus urat?*
*Non cadit in miſeros iſta maligna lues.*
*At tibi nunc inſtat ſeries immenſa laborum,*
*Queis vigor Herculeus vix ſupereſſe queat.*
*Heic Rhodus, en ſaltus. gravis adverſaria ſurgit,*
*Nec ſudoris egens pugna patranda venit.*
*Nil tibi quod Bavara deducis origine gentem*
*Proderit, aut Comites quod numerantur avi.*
*Sublimes Batavûm Comites, qui nomine & actis*
*Fortibus implerunt ſolis utramque domum.*
*Nobilitas alibi decus & ſua lumina ſervat,*
*Spernit imaginibus cedere diva Cypri.*
*Nec parcit titulis, dedignaturque triumphos,*
*Sola poteſt virtus his ſupereſſe malis.*
*Eheu quantus adeſt miſero labor! at ſine magno*
*Nil hominum generi vita labore dedit.*
*Nympha minas intentat atrox, & cruda laceſſit*
*Prælia: nunc vires, nunc age prome virum.*
*Illa*

*Illa quidem totis in te conatibus ibit,*
*Suadet enim occiduæ virginitatis honos:*
*Agnatusque pudor, primæque injuria culpæ,*
*Quæque rudes animos virginis ira decet.*
*Forſitan & curvos in vultum diriget ungues*
*Si perſtes properans ultima noſſe bona.*
*Verum ubi nequidquam vires effuderit omnes.*
*Graſſari incipiet fraudibus atque dolis.*
*Mulcebitque ferum palpo, cauſasque morandi*
*Nectet, & obvolvet gaudia lachrymulis.*
*Sed quid opus mõſtrare modos, memoremq; monere.*
*Non novus ad ſignum miles & arma venis.*
*Artibus his teneras natura induſtria mentes*
*Format, ut ardentes acrius urat amor.*
*Non iuvat ex facili victoria Marte redempta,*
*Plebeamque famem præda parata ſapit.*
*Nil ſine vi Pertunda poteſt, nil Perfica patrat.*
*Hac Veneri Martem dote placere ferunt.*
*Sic rigidas olim virtus Romana Sabinas*
*Condocuit patribus conciliare viros.*
*Tu quoque vi perfringe Lares, aditumque ruinæ*
*Quære. ſed Harpocrates dicere plura vetat.*
*Non decet hæc velo recludere ſacra levato*
*Quæ cuſtos operum nox monet ipſa tegi.*
*Mars amat inſidias, furto lætantur amores,*
*Deprendique dolet iuſta pudensque Venus.*
*Cætera præſentes peragent ſine iudice teſtes,*
*Lampſaciique labos, ingeniumque patris.*

*At tu ſuperba flore vani nominis*
*O virgo, virgo, non diu lætaberis*
*Honore tali. næniam canas licet*
*Charo pudori, venit ultimus dies,*
*Nox inſtat atra. flete virginum chorus,*
*Æqualis una gente de veſtra minor*
*Sui redibit, ite funus exſequi,*
*Viroque multa comprecemini mala,*
*Qui iure ſævo, bellica velut manu*
*Venale pignus, filiam matri rapit.*
*Vobis puellam, tale uti decus ſua*
*Buſiris atrox immolet libidini.*
*Ridetis? at non ſic abibit ſi Themis*
*Rite invocata curat humanas vices,*
*Pœnam parem luetis, ut periculo*
*Diſcatis olim quam ſit infandum ſcelus,*
*Ridere mortes, funerique illudere.*

# IN NVPTIAS

*Viri nobilis*

OTHONIS A SEVENTHER,

*Et lectiſſimæ virginis*

BESTEN A BRIENEN.

*Invocata tot diebus nox adeſt optatior*
*Luce quauis, nox marito quæ iugabit fœdere*
*Par amantũ, queis iuuentus noſtra paucos fert pares*
*Sponſus & cenſu beatus, & decoro ſtemmate*
*Clarus exſtat, & per artes extulit caput bonas,*
*Vnde claritudo laudum ſurgit, & verax honos.*
*Nympha virgines Sycambras inter, ut lunæ jubar,*
*Fulget inter noctis ignes, & minora ſidera.*
*Sive majorum vetuſtas intueri origines,*
*Sive ſtat mores modeſtos, ſive formæ gratiam.*
*Brinionis fama claret ore, Corneli, tuo*
*Poſteris narrata ſeclis. ſed decus natalium,*
*Copias, opes, & amplæ ſortis indulgentiam*
*Vna virtus antecellit. illa nec dono datur,*
*Nec perit caſu ſiniſtro: præque cunctis dotibus*
*Eminet pudicus ignis, atque honoris indoles,*
*Educata more recto ſub probis Penatibus.*
*Nil parens præſtare natis, ſorsve largiri poteſt*
*Amplius cultu fideli. cultus in mores abit,*
*Diligensque cura vincit omne natura bonum.*
*Sed quid iſta dona proſunt, ô puellarum cohors?*
*Flete quidquid lacrymarum ſævus exprimit dolor.*

*En ocellus illa veſtri floſque vernus ordinis*
*Ilicet vobis peribit, eximetur e choro.*
*Lugûbrem cantate leſſum, quatite funeſtas faces.*
*O miſella nympha, quam me terret horror prælii,*
*Quod tibi maritus ullis abſque fæcialibus*
*Comminatur actus œſtro fervidi cupidinis!*
*Sed propinqui tu pericli (quantus in vita eſt ſtupor!)*
*Vnice ſecura rides, imbre vel ficto rigas*
*Os honeſtum, ne lubido cordis erumpat foras.*
*O miſella nympha, diſce quanta te manent mala.*
*Pugna non exſanguis inſtat, haut recedes integra,*
*Parte ſed tui minuta. victor hanc Feretrio*
*Debet hoſtiam, ſed ultra nil tibi eſt periculi.*
*Non ſequetur mors ab iſto Marte, ſecludas metum.*
*Ni periſſet morte tali mater, haud iſthic fores.*
*Nympha, iam poſtrema lux hæc nomẽ expunget tuũ*
*Virginali de maniplo. nomen hoc inutile,*
*Quo manente gens manere non poteſt mortalium,*
*Virgo, vocem nunc profabor hanc tibi noviſſimam,*
*Cras redibis virgo qualis mater e patris thoro.*

IN

# IN NVPTIAS

*Iuvenis eruditiſſimi*

IOHANNIS KIRCHMANNI,

*Et lectiſſimæ virginis*

EMERENTIÆ COELIÆ,

Clariſſimi Senatoris filiæ.

*Vraniæ ſoboles iterum ſolennia poſcit*
*Munera, & in voces admonet ire bonas.*
*Kirchmannus facilem blanda prece cogit amicum*
*Proſpera felici vota ſacrare thoro.*
*Kirchmannus primæ cui texuit ordia famæ*
FUNUS, *& æternum dant decus exſequiæ:*
*Qualis ab ipſe ſuo redivivus ſurgit abortu*
*Phœnix, eque rogo poſthuma fata capit.*
*Talem te memori ſacravit pagina ſeclo,*
*Doctum opus, & multa conditus arte labos.*
*Sed nunc ferales excedant limine tædæ,*
*Ventilat ecce alias pronuba Iuno faces.*
*Nil facit ad Veneris myrtos infauſta cupreſſus,*
*Immenſumque hilaris funere diſtat Hymen.*
*Quamvis & Ditem tetigere Cupidinis ignes,*
*Quem Cereri generum Perſephoneia dedit.*
*Regia nulla patet quo non ſua regna propaget,*
*Qui ſuperûm regem territat igne, puer.*
*Ille etiam vaſtis ſub fluctibus Amphitriten*
*Vrit, & Oceano ſuſcitat arma patri.*

Sentit & alituum genus, & genus omne ferarum,
  Sæve puer, telis vulnera facta tuis.
Ergo hominem fas eſt placito ſuccumbere amori,
  Quis pugnare Deo more gigantis amet?
Quocirca auſpiciis felicibus eia age ſegnes
  Rumpe moras, animos eia age prome mares.
Non te parva manent certamina, maximus inſtat
  Sudor, & heu pernox pugna patranda tibi.
Nec, quia cum dulci bellandũ eſt virgine, Martem
  Spreveris, aut molis nullius eſſe putes.
Hoc opus, hic labor eſt lacrimas perferre puellæ,
  Nec fictis vinci fletibus atque dolis.
Illa quidem largo imbre genas rorabit honeſtas,
  Et tremula ardentem voce rogabit amans:
Parce, per hos ego te coniunx obteſtor ocellos,
  Ne ſævi mea lux, quo maleſane ruis?
Fors & in audacem diſtringet brachia, iungens
  Imperioque preces, blanditiisque minas.
Talibus inſidiis virgo male gaudia celat:
  Nullus eris, tali ſi potes arte capi.
Ferreus & ferus es, ſi te non talia tangunt,
  Si potes hæc ſicco lumine dicta pati.
Franguntur tenero crudelia pectora fletu,
  Miteſcunt humili corda ſuperba prece.
Sic rex Dardaniæ ſævum expugnavit Achillem
  Corpus ut Hectoreum contumularet humo.
Terris atque mari tot triſtia paſſus Vlyſſes,
  Cuius erat virtus ad mala nulla rudis;
Sirenum illectus modulis ac voce dediſſet,
  Ni cupidum arcerent fortia vincla, manus.
Tu tamen his moveare cave. fletu omnis abundat
  Fœmina, nec iuſſæ deficit humor aquæ.

Sed

*Sed fraus cœca latet lacrimis fucata doloſis,*
*Quod cupere aſſimulat ſævius angue timet.*
*Quamvis mite tibi, nec inexorabile pectus*
*Parca dedit, Vati nec licet eſſe fero.*
*Tu precibus ne cede, ſed implacabilis ito*
*Quo tua te ſtimulis acta cupido rapit.*
*Vi rumpenda via eſt. vi Mars & ſanguine gaudet,*
*Vi quoque lætatur Martis amica Venus.*
*Vi ſine nulla patri ſuſpendes dona Quirino,*
*Sic amat auferri virginitatis onus.*
*Sed quid eges monitore? ſatis docet iſta magiſter*
*Vſus, & ingenium ſufficit acer amor,*
*Ante alios ignes calor eſt inſignis amantum*
*Fœdere legitimo quos iugat almus Hymen.*
*Hanc Deus ipſe facem ſublimi exſuſcitat aura,*
*Talibus adſpirat rite vocata Venus.*

# Tumulus

## SEVÆ, CUPIDINUM MATRIS.

*Hic recumbit Seva mater dulciũ Cupidinũ,*
*Cor, decorq; Gratiarum, mollior cuniculo,*
*Delicatior cinædo, flos leporum, mel merũ,*
*Non Iuventa comis æque, non Venus venuſtior.*
*Tum benignitate cunctas antecelluit nurus:*
*Nam bonæ præclara Sevæ geſta noſſe ſi cupis,*
*Donec ætas, & ſororum fila paſſa ſunt trium,*
*A pueritiæ ſupremo limite ad fati diem,*
*Ex Platonis diſciplina vixit hoc matrum decus:*
*Nemini negavit unquam ſi quis argentum daret,*
*Aut probe paratus eſſet a ſalace faſcino,*
*Scilicet natam ſciebat ſemet haud ſolæ ſibi,*
*Sed patri, ſed patriæ, ſed omnibus mortalibus,*
*Quos amica vi trahebat in plagam Cupidinis,*
*Copias opesque nulli floris invidens ſui.*
*Quodq; miracli eſt ad inſtar, cũ daret cunctis, tamẽ*
*Largiendo rem coëgit, prodigendo auxit domum.*
*Vos clientium manipli, vos amatorum cohors,*
*Proſedarum exercitores, Cypridis nepotuli,*
*Quos ad ultimam redegit laſſitudinem viros*
*Indomabilis virago, ſi quis eſt ſenſus ſuper,*
*Si qua cura vos remordet tam valentis fœminæ,*
*Ne precemini quietem ſempiternam mortuæ,*
*Quippe nil quiete peius odit ætate in ſua:*
*Sed deos orate, motu ut continente gaudeat,*
*Quippe cœlum eſt æmulata, ſemper in motu fuit.*

BAU-

BAUDII MORIBUNDI

# Alloquium

## AD AMICOS.

*Qualem paludis ſtagna propter Aſiæ*
*Ferunt olorem, cum ſibi ultimum diem*
*Inſtare ſentit, præficam mortis ſuæ*
*Mœſtum ciere flebili carmen tono:*
*Sic tortus acri febre ter quinos dies,*
*Quam mortualem natio Galenica*
*Conſentit, & mens ipſa præſagit mihi,*
*Fato propinquus ordior ſummum melos:*
*Erecta dum mens corpore afflicto veget.*
*Dulces amici, Baudius vobis abit*
*Lubens & ultro, patriamque cogitat,*
*Perfunctus hoc errore, jam portum ſubit,*
*Sacroque morſu figere anchoram parat.*
*Vos, ſi quid in me dignum amari quod foret*
*Amaſtis unquam præter hoc iners onus,*
*Quod palpitat nunc ſpiritu pauxillulo*
*Donante vires, & vetante adhuc mori,*
*Mox funus atque fumus ut deceſſerit,*
*Animæ ſalillum ventuli flabrum levis;*
*Ne quæſo, ne vos error in fraudem trahat*
*Fallace fuco humanitatis blandiens,*
*Vt hic ſolutum corporis compagibus*
*Me funerali lugeatis næniæ,*

*Turpique planctu: quippe tum demum fruar*
*Vita, vocari vita quæ vero meret,*
*Non hæc mali taberna, curarum mare,*
*Palæſtra luctus, officina cladium,*
*Fomes dolorum, mors (ut abſolvam) mera,*
*Quam morte nunc relinquo non ingratiis,*
*Parere promptus imperatori Deo,*
*Cui militat gens omnis hæc mortalium.*
*Is nos in orbe, ſicut in ſpecula, ſitos*
*Vitam tueri & ordinem ſtatum iubet,*
*Vetatque ne mortalis injuſſu ſuo*
*Migrare ſumat; cum vocat, ſequi decet,*
*Citiuſque dicto complicare ſarcinas,*
*Hac lege iam nunc Baudius vobis abit,*
*Suoque reddit pondus hoc ſoli ſolo.*
*Perit; perire quod iubet fatalitas,*
*Mortale corpus, mentis hoc ergaſtulum;*
*Quod ventilante nunc fovetur aurula,*
*Mox triſte viſu erit cadaver, naribus*
*Abominandum, putris eſca vermium.*
*Manet, manebit uſque perpeti fruens*
*Ævo, ſupernæ quam vetant leges mori,*
*Mens orta cælo, flamen auræ numinis,*
*Pars illa noſtri perſpicax, intelligens,*
*Quæ nil caducis imputat parentibus.*
*Dulces amici, forte vos tanget dolor,*
*Florem ſub ipſum quod iuventutis meæ*
*Terras relinquo: ponite hanc curam boni,*
*Vanasque corde imagines ſecludite,*
*Vixi & peregi limitem fati ratum*
*Quem promovet vis nulla, nec fraus ſubmovet.*
*Quid porro longum de die dies habet*

*Æter-*

*Æternitati comparatum, ſeu puer*
*Vitale lumen ortu in ipſo deſerat,*
*Seu quis triſæclum Neſtorem vivat ſenex?*
*Mors certa tandem ſerius vel ocyus,*
*Id omne tempus quantulum quantũ eſt, trahit.*
*Tacente curſu labitur nobis dies.*
*Labuntur anni, nec refunditur rapax*
*Quod hora carpſit, nec quid Heſperus vehat*
*Homini liquere providum Numen ſinit,*
*Ne quis creatus ſtirpe mortali ſupra*
*Mortalitatis iura ſuſtollat caput.*
*Incerta vitæ portio certas vetat*
*Spes ordinare mente, longinquas brevis.*
*Quod ſi decente res inibimus via,*
*Non temporum tenore, ſed laudum modo*
*Determinanda eſt vita. ſat vixit diu*
*Quem non pudet vixiſſe, nec piget mori.*
*Sed magna pars mortalium vivunt parum*
*Quamvis vetuſtate horridi, & ſæclo putres*
*Mortem morentur Aggerontis pabula,*
*Graves veterno, quos ad ætatem exitam*
*Perducit actum oblivione ingloria*
*Volumen ævi fluminum ritu fugax.*
*Nos nec malignus ipſe livor arguet*
*Vitam obruiſſe deſidi ſilentio,*
*Reconditaque torpuiſſe inertia:*
*Nec forte, ſi fiducia eſt ſui bonis,*
*Deerunt nepotes nomen hoc ſuperſtiti*
*Signare fama. Teſtor antiquam Fidem,*
*Nihil fuiſſe antiquius fide mihi.*
*Prudens doloque neminis læſi decus*
*Seu littera, ſeu voce. parſi ſedulo;*

*Vnum*

*Vnum id ſtudens, probatus ut forem probis:*
*Qualis Donellus, Anteceſſorum iubar,*
*Vir examuſſim factus ad Gallam nivem,*
*Expers doloſæ fraudis, & plenus fide.*
*Qualis ſmaragdus Galliarum Scaliger,*
*Doctrinæ abyſſus, ingenî miraculum.*
*Quales virûm flos ille Douſa, Lipſius:*
*Apollo vatum Douſa, Lipſius pater*
*Scientiarum, flumen eloquentiæ:*
*Qualis meorum grande amicorum decus*
*Et hoſpes & cor Gratiarum Rulſius.*
*Qualis venuſto Nanſius placens ſale,*
*Vulcaniuſque Cypridi dilectior*
*Ferritribace. Qualis alter ille ego*
*Blipyrgus, acer nominis vindex mei*
*Qua carminum lepore, qua ſermonibus.*
*Cui laude iunctus & pari concordia*
*Manmaker uſque adhæret. Italum ſalem*
*Attemperare Belgico ruri ſagax.*
*Tum magnus ille lectionis helluo*
*Schepperus, ungue mens polita non rudi;*
*Cum queis morantem ſæpe combuſſi diem*
*Oratione vinula, venuſtula,*
*Sed innocente, qualibus ſcatet iocis*
*Lingua irrigata flore Liberi patris,*
*Intra modi modeſtiæque terminum.*
*Tris præter omnes nobili fama viros*
*Cultu Philippos proſecutus ſum meo:*
*Te cœlitis, Mornæe, felicem ſtili;*
*Te, clare Sidnei, quem diurnare haud tulit*
*Virtus in orbe, fas ubi verſum ac nefas,*
*Terriſque ademit debitum cœlo decus;*

*Te,*

*Te, magne Marnix, providens vir & graves*
*Perpeſſe curas patriæ rebus ſuper:*
*Cui plura debent adminiſtri Belgicæ,*
*Quam vel Camillo Roma, vel Themiſtocli*
*Gens Atticorum. ſed pari modo lucra*
*Damnis rependunt, & malo mulctant bonos.*
*Villerium-ne oblivione tranſeam*
*Primo mihi ſummoque dicendum loco,*
*Cæleſte pectus, cuius ex reconditæ*
*Mentis ſcatebra, flos medullaque eloquî*
*Sermone dia vena limpido fluit?*
*Nec te ſileri, Erarde, fas verſu meo,*
*Sublimis heros, nate raras adſequi*
*Seu mente laudes, ſeu duellica manu,*
*Campus pateſcat indoli tantæ modo;*
*Tu Belgicam rem fulcies Atlas novus,*
*Dabisque noſtro Xenophontem ſæculo*
*Clarum gemellæ Palladis virtutibus.*
*Quid Tranſaquani candidum pectus loquar,*
*Maſſiſiumque exemplar antiquæ fidei?*
*Quos in parentis ambo dilexi locum*
*Memor peractæ his regibus puertiæ,*
*Gratusque amorum: vos ego abſentes rogo*
*Per ſolis almi lumen hoc ſpirabile,*
*Quod forſan iſta luce poſtremum tuor,*
*Per fas, per omne humanitatis vinculum,*
*Vos, inquam, alumnus veſter obteſtans rogo,*
*Veſtras ut aures accidet rumor gravis*
*Me iam fuiſſe, fortibus ſolatiis*
*Levate matris ægritudinem meæ:*
*Quæ miſera luctu incendet & ſeſe & ſuos*
*Amore victa, vim tametſi maſculam*

*Men-*

*Mentemque verſat imbecillo in corpore.*
*Si munus iſtud impetraſſo, perfice*
*Mors quod minaris: nil moras vitæ moror,*
*Ne ſupplicatum me tibi ire cenſeas.*
*Ergo, ut revertar denique unde abiveram,*
*Hos atque tales mente complecti viros*
*Summum eſſe duxi ornamen ætati meæ.*
*Pravos ſodales, ſuſcitabulum probri,*
*Morumque peſtes, angue peius horrui,*
*Damnoſa ne quid affricaret hæc lues.*
*Suſpectionum occulta tela nec nimis*
*Sprevi, nec æquo plus refugi, ſat ratus*
*Præſtare culpam, futiles & impetus*
*Calumniarum eludere innocentia.*
*Quid quiſque dicat ſive muſſet in manu*
*Non eſt; ſed illud, vera dicat an ſecus.*
*Eſt invidorum, ſemper ut culpent bonos.*
*Virtus decore ſat nitet ſuo, neque*
*Vulgus moratur pluriumque gratiam,*
*Contenta ſemet atque paucioribus.*
*Laudem profectam ab ore laudati viri*
*Benigna ſumit, non acerba flagitat.*
*Dum me vel uni conſcientiæ probem,*
*Externa quid laus addet, aut demet probrum?*
*Integritate fretus unica nigrum*
*Dentem retundam. murus hic aheneus*
*Vacare noxa, ſummus hic apex boni.*
*His moribus me inſuevit optimus pater,*
*Probique cultus, indoleſque ſimplici*
*Propenſa recto. non marina me Tethis*
*Tulit ſub auras Pelei partu ſatum;*
*Vere illud uſurpabo Achilleum tamen,*

*Odi inferorum ianuis atrocius*
*Qui corde condit verſipellis, ac duplex*
*Diverſa ab iſtis ore quæ promit ſuo.*
*Fraudum involucra & tortuoſos tramites*
*Cavens pavensque, regiam inſtiti viam.*
*Sed me malum ſolenne magnis mentibus*
*Tenello ab ungui ſemper uſque in hunc diem*
*Vexavit ingens appetitus gloriæ,*
*Et ardor inter eminere compares.*
*Quin peſtilens hic morbus & nunc me tenet,*
*Inſanientem laude poſtera frui:*
*Nec mentis æger mitius quam corporis*
*Mortem ſub ipſam paſcor eſca inanium.*
*Quid porro amores dicere inſequar vagos.*
*Secusque molle quod perivi perditus,*
*Vires virumque deſtruens libidine?*
*Hæc comitatis voce adultera vocat*
*Mos incitamen pravitatis inſitæ:*
*Sed regna cœli non patêre his comibus*
*Divina vox proclamat. ô clemens pater,*
*Si pœnitentes æquus audis, te precor,*
*Ignoſce, crimen & remitte ſupplici:*
*Non iſtud unum crimen, ô clemens pater,*
*Culpas ſed omnes gratioſus expia*
*Cruore nati, queis & errans & ſciens*
*Conceptu ab ipſo numen excivi tuum*
*Triſtes ad iras, dignus æternum mori,*
*Si noxias appendis ad iuſti modum,*
*Vindexque pœnam ſumis offenſæ parem.*
*At tu, profuſi amoris immenſum mare*
*Gnato, pater, non ipſe parſiſti tuo,*
*Quem mittere es dignatus ut mortalium*

Labes

*Labes atroci morte luſtraret ſua,*
*Piacularis innocensque victima,*
*Pœnisque ſuccidaneum noſtris caput.*
*Huic acquieſcens porrice à vultu tuo*
*Meos reatus, quantum ab Eoo mari*
*Cubile ſolis occidensque diſſidet:*
*Vt labe purus, integerque criminum,*
*Summi tribunal ſiſtar ante judicis*
*Mixtus beato cœlitum cœles choro.*

Valete.

Scripſi in morbo Cæſaroduni Turonum.

# CUPIO DISSOLVI, ET ESSE CUM CHRISTO.

*O Vita curarum ſeges,*
*Fons lacrimarum, ludibrĩ*
*Palæſtra, fortunæ jocus:*
*Fucata mendaci bono,*
*Foriſque ſubdole nitens,*
*At omnis examen mali,*
*Vimque uberem moleſtiæ,*
*Sinu recondens intimo.*
*Quæ perſequentibus tui*
*Plenis propinas faucibus*
*Placens ſapore amabili*
*Vinum, ſed efficacia*
*Præſens venenum, Colchicis*
*Nocere ſuccis fortius.*
*O Vita, ſed Mors verius*
*Vocanda, quippe ſingulus*
*Hanc ducit ad metam dies.*
*Tum mœror, ærumnæ, labos,*
*Pallensque morborum cohors,*
*Imagines lethi meræ,*
*Vitam perenne incurſitant.*
*O quis repræſentet mihi*
*Fauſtum diem, cum deſeram*
*Te contubernium mali,*
*Et officinam triſtium?*
*Cum mortis iſto corpore*

*Diſſolvar, ac mei potens*
*Chriſtoque junctus perfruar*
*Beatitate perpeti?*
*Quam nemo vidit, audiit,*
*Vel mente concepit ſatis?*
*Volo, volentem ſed gravat*
*Mortalis imbecillitas,*
*Terræque moles perdito*
*Fixum cupidine attinet*
*In hiſce mundi ſordibus.*
*Homoque humi hæreo ſtupens,*
*Infirmus ac pauca fide.*
*Lubensque damnis aucupor*
*Quæ cæterum vulgus ſolet:*
*Opes caducas, gloriæ*
*Fugacis umbram, ſordido*
*Emptos honores ambitu,*
*Pellax voluptatis malum,*
*Cui mœror uſque hæret comes.*
*Hæc ſplendide verbis palam*
*Aſpernor, at vita probo,*
*Dictisque facta diſcrepant.*
*Tu gentis humanæ pater,*
*Alte imperator cœlitum:*
*Tu (namque ſolus id potes)*
*Morbo huic medere, ſublevæ*
*Preſſu iacentem criminum,*
*Firma labantem, dirige*
*Greſſus aberrantes via:*
*Sanctique luce Spiritus*
*Luſtra tenebras pectoris.*
*Da, firmus ut rectum velim,*

*Factisque promam, nec malus*
*Me fallat error, aut trucis*
*Vultus tyranni terreat,*
*Illex-ve mundus in plagas*
*Compellat eſca inanium.*
*Fac, huius ævi nubilos*
*Tranquillus exigam dies,*
*Tandemque perfunctus gravi*
*Mortalitatis munere,*
*Vita beatorum fruar,*
*Quæ nec tenore temporum,*
*Felicitatis nec modo*
*Finitur, æterna, & bonis*
*Ad vota cuique ſuppetens.*

## PRECES AD CHRISTUM.

*Mundi Creator, gentium*
*Redemptor, æterni patris*
*Æterna proles, ô Deus*
*Æterne par Deo patri:*
*Fons, imo gurges ac mare*
*Amoris in noſtrum genus*
*Contaminatum turpiter*
*Hæreditaria lue,*
*Gravique criminum probro.*
*Pro gente quali tu tamen*
*Terræ monarcha & ætheris,*
*Non es gravatus indui*
*Servile corpus, cætera*
*Par cæteris mortalibus*

*Peccare præter, idem homo*
*Idemque in æternum Deus.*
*Homo ut malis conſortium,*
*Nullius humani carens,*
*Munus dolendi impenderes,*
*Et carne culparum rea*
*Culpam piares. at Deus,*
*Vt nos Deo coniungeres,*
*Iraque inenarrabili*
*Parentis explendæ fores:*
*Quam carnis imbecillitas*
*Fruſtra ſubire ſumeret,*
*Ni fulta Verbi deſuper*
*Potentis efficacia.*
*Tu verus ergo Homo-deus,*
*Nos germen Adæ, filios*
*Cœleſtis iræ liberas,*
*Et morte vivimus tua,*
*Livore ſanamur, putres*
*Contage fœda criminum.*
*Tu gentis humanæ ſalus,*
*Spesque efficax fidelium:*
*Tu nomen unum & unicum*
*Immunda mundi tollere*
*Peccata præſens, & patris*
*Redintegrare gratiam.*
*O mi ſequeſter, ut tui*
*Amore pectus inciter,*
*Dignare amore me tuo*
*Fontemque fomitemque odî,*
*Nec ulli idoneum bono*
*Dignatione quam tua.*

IOHANNES CHARGA

*Poeta Italus,*

Tempore Ducis Albę apud Belgas graſſantis,

SENEX RESIPISCIT.

*Hei mihi miſero, hei mihi,*
*Tempus quam cito præterit!*
*Homo quam cito deficit!*
*Et mors quam cito criminum*
*Pœnas exigit omnes!*
*Magnam qui bene fecerint*
*Mercedem referunt: ego*
*Annis jam gravis, & gravis*
*Culpa, en diſtrahor omnium*
*Per tormenta malorum.*
*Nox cœcis tenebris premit*
*Morbo languida lumina:*
*Menti & ſenſibus incubat*
*Quidquid eſt miſerum, & grave:*
*Vivum es Charga cadaver;*
*Vivum: nam patulæ vigent*
*Aures; ſed tuba, in ultimum*
*Quæ te judicium vocat,*
*Quali, proh pietas, ſono*
*Metus duplicat omnes!*
*Ergo tam miſer & nocens*
*Ad quem confugiam, niſi*

*Ad te Rex meus, & Pater?*
*O Rex, ô Pater, ô Deus,*
*Tu mei miſerere.*
*O & perfugium & ſalus*
*Humani generis, pie*
*O Ieſu precor, ah precor*
*Illa luce noviſſima*
*Tu mei miſerere.*
*Tu quem ſanguine, quem cruce*
*Æternis redimis malis,*
*Pro tua pietate me*
*Æternis recrea bonis;*
*Et mei miſerere.*

# EPITAPHIVM

## DOMINICI BAUDII,

Auctore

PETRO SCRIVERIO.

*Baudius hic ſitus eſt. ceſſas quid flere, Viator?*
*An fles, coniugium flevit ut ille ſuum?*
*Protinus Indidomũ fertur guſtaſſe Lyæum;*
*Non alio ſiccas rore notaſſe genas.*
*Hoc conſtantis erat. Non degener incola mundi*
*Paſſus inæquales eſt in amore thoros,*
*Degeneresque faces: quas ventilat improba Iuno,*
*Et male concuſſas Faſcinus ultor alit.*
*En, cum iure trium natorum ducitur uxor;*
*Et ſimul in barathrum præcipitatur amans.*
*Sic labuntur opes: ſic nil ſtipendia proſunt,*
*Penſio ſic domino ſæpe negata ſuo.*
*Pallia ſic alius, Caiæque monilia ſervat:*
*Æra fugant inopem ſic aliena famem.*
*Proſilit & duris urgens in rebus egeſtas:*
*Pignora ſtant, vacua non redimenda manu.*
*Curatoris eget regalia munia prenſans,*
*Neſciat, hei, rebus qui ſupereſſe ſuis.*
*Et viduus nunc hac domina, nunc luditur illa;*
*Eſtque quod in* MAIA *(DI prohibite) placet:*
*Parvulus Æneas: & mox veſanus Oreſtes.*
*Hæc in fœmineo condita pœna ſinu.*

*Quiſquis es, exemplo tanti moveare mariti:*
*Parce libidinibus luxurioſe tuis.*
*Addita ſit potius laſcivo fibula membro,*
*Vt vindicta tuam tranſeat iſta domum.*

PERSEVERANTI CORONA.

## AD POSTHUMUM.

### In obitum

### GALLÆ VXORIS.

*Nemo tua melius cantabat Poſthume Galla,*
*Nec magis hac ulli lingua diſerta fuit.*
*Ingenio valuit, quantum, te iudice, nulla;*
*Iudice te, quamvis aſpera, mitis erat.*
*Cum faciem laudas, te judice mater Amorum*
*Ceſſiſſet, reliquis pulchior, alma Venus.*
*Nec melius ſtantem percurreret altera telam,*
*Et minor hac, quamvis docta, Minerva foret.*
*Tam bene quæ fecit quidvis, nunc mortua fertur.*
*Hoc nullum melius Poſthume fecit opus.*

D. HEINSIUS.

# LÆLII CAPILVPI
## MANTUANI
## Cento Virgilianus
IN
# FOEMINAS.

BENEDICTVS ÆGIVS

## AD LÆLIVM CAPILVPVM.

*Si vera eſt, Læli, Samii ſententia vatis,*
*Quæ tua nunc anima eſt ante Maronis erat.*

# EPITAPHIVM

## LÆLII CAPILUPI.

*Mantua te, Læli, merito ſe iactat alumno.*
*Nam Maro quod ſonuit, tu quoq; voce ſonas.*
*Et tua ſint quamvis ex omni parte Maronis*
*Carmina, non eadem, quæ canit ille, canis.*
*Non igitur mirum, ſi te modo Mantua raptum*
*Certatim ſpargit floribus & lacrimis.*

VIX. ANN. LXII. DIES XV.

OBIIT A. MDLX, III IANVARII.

Legitur Mantuæ in æde Franciſcanorum.

LÆLII CAPILUPI

Cento Virgilianus

# IN FOEMINAS.

AD PAULUM IOVIUM.

*Cætera quæ vacuas tenuiſsēt carmina mētes*
*Omnia jam vulgata, furens quid Fœmina poſſit*
*Gens inimica mihi, non æquo fœdere amantes,*
*Dicam equidem, indigno Niſæ deceptus amore:*
*Quam propter tantos potui perferre labores,*
*Quando aliter nequeo ſceleratas ſumere pœnas.*
*Nunc, ô nunc liceat calamos armare veneno*
*Fatidicæ Mantus: magnum & memorabile nomen*
*Fœminea in pœna eſt, animumq; expleſſe juvabit.*
*Magnanimi Heroës, precor, aſpirate canenti,*
*Ore favete omnes: procul ô procul eſte profani,*
*Et genus inviſum cum ſemiviro comitatu.*
*Tuque ades, inceptumque una decurre laborem*
*Fortunate Senex, magnum* JOVIS *incrementum,*
*Vnde genus ducis, fama ſuper æthera notus,*
*Flos veterum, virtusq; virûm, divûmq; ſacerdos,*
*Os humerosque Deo ſimilis, tibi copia fandi*
*Larga quidem ſemper, fecundum concute pectus,*
*Nec mortale ſonans, animis illabere noſtris,*
*Quæ ſint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahātur*

*Nota tibi, votis jam nunc aſſueſce vocari,*
*Ni refugis, tenuesque piget cognoſcere curas.*
*Mox tamen ardenteis accingar dicere pugnas,*
*Te duce Idumeas referam tibi Mantua palmas,*
*Dicam acies, actosque animis in prælia Reges,*
*Magnanimosque Duces, totamque ſub arma coactã*
*Europamque, Aſiamque, & tanti incendia belli:*
*Poſt iidem inter ſe poſito certamine Reges,*
*Hos inter motus, mediis conatibus ægri,*
*Congreſſi jungent dextras, & pace ſequeſtra*
*Claudentur belli portæ, Rhenusque bicornis*
*Turbidus & torquens flaventeis Iſter arenas*
*Improviſi aderunt media teſtudine templi*
*Littus ad Auſonium: magnoque ululante tumultu*
*Teutonico ritu ante aras paterasque tenentes*
*Iura dabunt, legeſque viris, ritusque ſacrorum:*
*Concilium horrendum. Nec te memorande ſilebo*
*Cum patribus, populoque penatibus & magnis Diis*
*Tibri Pater, poſcant acies, & fœdera jungant:*
*Tu ne cede malis, ſed contra audentior ito,*
*Quo res cunque cadent, Capitolî immobile ſaxum*
*Accolet, imperiumque Pater Romanus habebit*
*Miſſus in imperium: cœli cui ſidera parent,*
*Infernique lacus, atque altæ mœnia Romæ:*
*Sed fugit interea, fugit irreparabile tempus.*
*Accipite ergo animis, atque hæc mea figite dicta.*
*Rectores juvenum, lætasque advertite mentes,*
*Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis.*
*Mõſtrũ horrẽdũ ingens, variũ & mutabile ſemper*
FOEMINA, *quæ ventis volucriq; ſimillima ſomno*
*Mobilitate viget, linguis micat ore triſulcis,*
*Tam ficti pravique tenax, quam nuncia veri:*

*Dat*

*Dat ſine mente ſonum, totoque ardentis ab ore*
*Scintillæ abſiſtunt, oculis micat acribus ignis:*
*Sola domo mœret vacua, cui carmina ſemper*
*Et cithara cordi, pernicibus ignea plantis*
*Omnia pervolitat late loca, pectore verſat*
*Mille nocendi artes, quîs fallere poſſit amantem.*
*Omnibus in templis, gaudens popularibus auris*
*Fert picturatas auri ſub tegmine veſtes,*
*Aurea ſubnectens exertæ cingula mammæ,*
*Et gradiens ima verrit veſtigia cauda,*
*Purpureoque alte ſuras evincta cothurno,*
*Sanguineis frontem moris & tempora pingit:*
*Mille trahit varios adverſo Sole colores*
*Flagrantes perfuſa genas, it pectore ſummo*
*Flexilis obtorti per collum circulus auri,*
*Tecti auro fulvum crines nodantur in aurum,*
*Ambroſiæque comæ divinum vertice odorem*
*Spiravere, humeros oleo perfuſa niteſcit*
*Qualis gemma micat: circum caput egit honeſtum,*
*Ardentes dare viſa faces, mirabile viſu;*
*Aëra dimovit tenebroſum, & diſpulit umbras*
*Hinc atque hinc, tantum egregio decus enitet ore.*
*Præpetibus pennis magnas it fama per urbes:*
*Hæc paſſim dea fœda virûm diffundit in ora.*
*Illam omnis tectis agrisque effuſa juventus*
*Circumfuſa ruit, peſti devota futura,*
*Attonitis inhians animis proſpectat euntem.*
*Nec vidiſſe ſemel ſatis eſt, juvat usque morari:*
*Senſit læta, ſuæ contra non immemor artis*
*Peſtis, & ira Deûm, flammantia lumina torquẽs:*
*Tum laqueis captare feras, & fallere viſco*
*Cum ſpes arrectæ iuvenum & furialia membra.*

*Dul-*

*Dulcibus illa quidem illecebris, mortalibus ægris*
*Ne quid inexpertum, cithara, fidibusque canoris*
*Pertentat ſenſus, rapuitque in fomite flammam:*
*At juvenis, magnum cui verſat in oſſibus ignem*
*Durus amor, neq; enim membris dat cura quietẽ,*
*Stare loco neſcit: ſubita ſpe fervidus ardet.*
*Attollitque animos, horrendumque intonat armis,*
*Quadrupedemque citum ferrata calce fatigat,*
*Cuius olorinæ ſurgunt de vertice pennæ,*
*Pictus acu chlamydem, & ferrugine clarus Ibera*
*Tela manu jaciens volucres diverberat auras,*
*Oſtentans artem, figitque in virgine vultus:*
*Isque amens animi, clypeumque auroque trilicem*
*Loricam induitur, validam vi corripit haſtam*
*Vrbe furens, pugnæque ciet ſimulacra ſub armis:*
*It cœlo clamorque virûm, clangorque tubarum.*
*Poſthinc digreſſus pingues ſpatiatur ad aras,*
*Et nunc huc, inde huc, incertos explicat orbes,*
*Ceu quondam torto volitans ſub verbere turbo.*
*Interdum genua impediunt, curſumque recuſant,*
*Langueſcit moriens, obſedit limen amatæ*
*Primitiæ juvenis miſeræ, terræque per umbram*
*Stridens, nec dulci declinat lumina ſomno.*
*Quid faceret? ſolans ægrum teſtudine amorem*
*Talia voce refert, gemitum dat pectore ab imo:*
*O decus Italiæ virgo, mea maxima cura,*
*Nil noſtri miſerere, mori me denique cogis.*
*Victus amore tui, ventos perpeſſus & imbres*
*Nocte ſuper media ſupplex ad limina veni:*
*Per te, per qui te talem genuere parentes,*
*Da dextram miſero, requiem, ſpatiumque furori.*
*Extremam hanc oro noctem, non amplius, unam.*

*Alma*

*Alma precor, miſerere animi non digna ferentis.*
*Nec ſum adeo informis: nympharũ ſanguinis una*
*O quoties, & quæ nobis Galatea locuta eſt!*
*Vritur infelix, nam me diſcedere flevit:*
*Fors & vota facit, tua dum veſtigia luſtro.*
*Et me Phœbus amat: ſi quid mea carmina poſſunt,*
*Semper honos, nomenq; tuum, laudesq; manebunt.*
*Tu modo promiſſis maneas, ſub nocte ſilenti*
*Vtere ſorte tua: multos ignava per annos*
*Cauſando noſtros in longum ducis amores;*
*Nec mea jam mutata loco ſententia cedit.*
*Quem fugis ah demens, en hæc promiſſa fides eſt?*
*Siſte gradum, quis te noſtris complexibus arcet?*
*O digno conjuncta viro, ſors omnia verſat,*
*Nuſquam tuta fides, crudelem abrumpere vitam*
*Mens immota manet: quæ jam ſatis ima dehiſcat*
*Terra mihi? vos ô potius miſereſcite venti,*
*Et noſtras audite preces, ſævique doloris*
*Partem aliquam venti divûm referatis ad aures.*
*Exoriare aliquis noſtris ex oſſibus ultor!*
*Hoc precor, hanc vocẽ extremã cũ ſanguine fundo.*
*Agnovit longe gemitum formoſa juvenca*
*Virginis os habitumque gerens, riſuque ſoluto*
*Ardua tecta petit ſtabuli, & de culmine ſummo:*
*Nam quis te juvenum confidentiſſime noſtras*
*Iuſſit adire domos? de te nil tale verebar:*
*Deſine, meque tuis incendere teque querelis.*
*Hàc iter eſt, quà te ducit via dirige greſſum.*
*Hæc effata ſilet, vana ſpe luſit amantem.*
*Sepſit ſe tectis, conjux ubi priſtinus illi*
*Lætitia exultans, nervoque obverſus equino,*
*Optatos dedit amplexus, curasque reſolvit,*

*Dives opum, dives pictai veſtis, & auri.*
*Hic focus, & tædæ pingues, firmiſſima vina,*
*Caſtaneæ molles, epulæque ante ora paratæ*
*Regifico luxu: biforem dat tibia cantum,*
*Inſtaurátque choros. Ille aſper & improbus ira,*
*Ac, veluti pleno lupus inſidiatus ovili,*
*Sævit in abſenteis, & cœlum territat armis*
*Enſe levis nudo, parmaque inglorius alba:*
*Tum pudor incendit vires, & conſcia virtus*
*Arietat in portas & duros obice poſteis,*
*Infelix vates ſpe multum captus inani,*
*Multa gemens ignominiam, veſtigia retro*
*Improperata refert, magno inflammatus amore*
*Reſpicit ignarus rerum, ingratuſque ſalutis.*
*Interea toto non ſecius aëre ningit.*
*Illi alternantes linguis vibrantibus ora*
*Ore legunt, tacitum pertentant gaudia pectus:*
*Complexi inter ſe noctemque diemque morantur.*
*Heu miſerande puer, quæ te dementia cœpit?*
*Quo moriture ruis aliena ad pabula fucus?*
*Fallit te incautum tantarum gloria rerum:*
*O formoſe puer nimium ne crede colori:*
*Nil validæ iuvêre manus, lumenque iuventæ*
*Purpureum, nihil illa deos, nil carmina curat,*
*Fatiferumque enſem, loricam ex ære rigentem,*
*Inſtratos oſtro alipedes, criſtaſque comanteis:*
*Convectare iuvat prædas, & vivere rapto.*
*Hic amor, hoc ſtudiũ, patriæ communis Erinnys,*
*Vt gemma bibat, & Sarrano dormiat oſtro,*
*Viſceribus miſerorum. & ſanguine veſcitur atro:*
*(Suadet enim veſana fames) manditque trahitq;*
*Molle pecus, mutumque metu, de more vetuſto*
*Mune-*

*Munera portanteis nunc hos, nunc accipit illos*
*Ædibus in mediis, coram data copia fandi:*
*Tum demum admiſſi ſtagna exoptata reviſunt;*
*Aſt alios longe ſummotos arcet arena,*
*Centum errant annos, lacrymæ volvuntur inanes.*
*Gorgones, Harpyiæ multa mercede domandæ,*
*Ignavum fucos pecus a præſepibus arcent.*
*Haud ignota loquor, magnam Mavortis ad urbem*
*Non unquã gravis ære domũ mihi dextra redibat.*
*Munere ſic niveo lanæ te Luna fefellit*
*Pan ovium cuſtos, novi namque omnia vates,*
*In nemora alta vocans, nec tu aſpernata vocantẽ.*
*Quid Dominæ facient? carpentes penſa puellæ*
*Et petière ſibi monimentum & pignus amoris*
*Pallamque & pictum croceo velamen acantho.*
*His animadverſis, atque hæc exempla ſecuti*
*O ſocii, quæ dicam animis advertite veſtris:*
*Ingens argentum patribus dat iura vocatis*
*Sceptra tenens, mollitq; animos, & temperat iras:*
*Frigoribus mediis animum inflammavit amore,*
*Spemque dedit dubiæ menti, ſolvitque pudorem,*
*Limina perrumpit, poſteisque a cardine vellit.*
*Quare agite, ô iuvenes, ſi fert ita corde voluptas*
*Rumpere clauſtra manu Stygiamq; innare paludẽ*
*Informi limo, manibus date* LILIA *plenis*
*Aurea; nunc ea viſa ſalus morientibus una*
*Ante foreis: ſubito ſtridentes cardine ſacræ*
*Panduntur portæ & fauces graveolentis Averni.*
*Sed fugite ô miſeri, fugite hinc. latet anguis in herba*
*Vipeream inſpirans animam laſciva puella.*
*Cum dabit amplexus, atque oſcula dulcia figet*
*Nuda genu, nodoque ſinus collecta fluenteis,*

*Vos agitate fugam: direptis crura cothurnis*
*Attrectare nefas: talis ſeſe halitus altis*
*Faucibus effundens nareis contingit odore.*
*Turbidus hic cœno vaſtaque voragine gurges*
*Peſtiferas aperit fauceis: furor impius intus*
*Pallenteſque habitant morbi ſub rupe cavata,*
*Quo læti ducunt aditus, nemus imminet umbra*
*Deſuper horrenti, foliisque ſub omnibus hærent*
*Obſcenæ volucres, variarum monſtra ferarum,*
*Nota nimis miſeris. cernis, cuſtodia qualis,*
*O præſtans animi iuvenis, noctesque dieſque*
*Veſtibulo ſedeat, primiſque in faucibus Orci:*
*Sævior intus habet ſedem duriſſima regna*
*Pallida Tiſiphone, flammiſque armata Chimæra:*
*Hic labor ille domus, & inextricabilis error.*
*Heu fuge crudeles terras, fuge littus avarum:*
*Diſce puer virtutem ex me, & non temnere divos.*
*Nulli fas caſto ſceleratum inſiſtere limen:*
*Porta adverſa ingens exhalat opaca mephytim,*
*Vnde cavæ tepido ſudant humore lacunæ.*
*Hic quos durus Amor crudeli tabe peredit*
*Fluctibus oppreſſos rapidus vorat æquore vortex:*
*Proſpectum eripiens oculis immane barathrum.*
*Ignari ſcelerum, & primævo flore iuventus,*
*Sive errore viæ, ſeu tempeſtatibus acti,*
*In vada præcipitant. fundo volvuntur in imo,*
*Limoſoque lacu pugnando vulnera paſſi*
*Purpurei criſtis juvenes, auroque coruſci,*
*Invalidique ſenes, iuvenum tentare laborem*
*Auſi omnes, (immane nefas,) auſoque potiti:*
*Quid majora ſequar? genus inſuperabile bello*
*Magnanimûm Heroum, lacerûm crudeliter ora.*

Or

*Ora manusque ambas, caligine volvitur atra*
*Per pice torrenteis, atrasque voragine ripas,*
*Quique ſacerdotes caſti, dum vita manebat,*
*Quique pii vates: nimirum hæc illa Charybdis,*
*Hos Helenus ſcopulos, hæc ſaxa horrenda canebat.*
*Dii prohibete minas, dii talem avertite caſum:*
*Vos animã hanc potius quocumq; abſumite letho.*
*Si pereo manibus hominum, periiſſe iuvabit.*
*Apparent rari nantes in gurgite vaſto,*
*Servati ex undis pauci, quos æquus amavit*
*Iuppiter, aut nautis olim venerabile lignum*
*Rettulit in melius, quo non præſentius ullum*
*Auxilium venit, ac membris agit atra venena,*
*Et vaſtas aperit Syrtes, & temperat æquor.*
*Vna ſalus victis noſtri medicina furoris.*
*Quid tibi odorato referam ſudantia ligno*
*Ora virûm, triſti morbo illuvieque pereſa*
*Fronde virere nova, ſuccos oblita priores?*
*Huius odorato radices incoque Baccho.*
*(Hoc geritur Zephyris primũ impellentibus undas*
*Sole recens orto) nec longum tempus, & ingens,*
*Hirſutumque ſupercilium, prolixaque barba*
*Pullulat ab radice, & frondes explicat omnes.*
*Phillyrides Chiron, Amithaoniusque Melampus,*
*Sæpe etiam curſu quatiunt, & ſole fatigant*
*Expertos belli iuvenes, & vulgus inermum,*
*Longævosque ſenes, ſudor fluit undique rivis,*
*Excoquitur vitium, atque exudat inutilis humor,*
*Concretam exemit labem: labor omnia vincit.*
*Omnis in hac certam regio iacit arte ſalutem.*
*Non tamen omne malũ miſeris, nec funditus omnes*
*Corporeæ excedunt peſtes, monimenta doloris*

*Ardentes pabulæ, non ipſæ in morte relinquunt:*
*Non ego cuncta meis amplecti verſibus opto,*
*Non ea vis animo, cithara crinitus* IOPAS
*Perſonat aurata, quæ cauſa indigna ſerenos*
*Fœdavit vultus, extremæque agmina caudæ,*
*Semihominis Caci, genus a quo principe noſtrum,*
*Obicibus ruptis, qua vi maria alta tumeſcant.*
*Felix, qui potuit Naturæ accedere partes*
*Per loca ſenta ſitu, ſuperasque evadere ad auras.*
*Auſus quinetiam ſuper & Garamantas & Indos*
*Ignotas tentare vias, uſumque medendi*
*Fatalis virgæ admirans venerabile donum,*
*Sive Padi ripis, Atheſim ſeu propter amœnum*
*Ille canit, placidi ſtraverunt æquora venti,*
*Et mutata ſuos requierunt flumina curſus.*
*Quin ipſæ ſtupuëre manus reſonantia ſaxa*
*Nereidum, Phorciq; chorus, gènus omne natantum*
*Attonitis haſère animis: divine Poëta,*
*Quæ tibi, quæ tali reddam pro carmine dona?*
*Quod ſupereſt, ſed ſumma ſequar faſtigia rerum,*
*Expediam dictis, ſalientem ſanguine venam*
*Sanguineam ingentem, ſurgentem vallibus imis.*
*Quãquã animus meminiſſe horret, luctuq; refugit,*
*Vipereo generi deſtillat ab inguine virus,*
*Serpentis furiale malum, fœdiſſima ventris*
*Proluvies, quod ſæpe malæ legère novercæ,*
*Omnia iam late vaſtat; ſub gurgite vaſto*
*Exit, & obducto late tenet omnia limo*
*Corrupitque lacus, infecit pabula tabo*
*Terga ſuum, & ſalſa lædit rubigine ferrum.*
*Hoc metuens, cœli menſes & ſidera ſerva.*
*Ipſe pater ſtatuit quid menſtrua Luna moneret:*

*Continuo eſt ægris alius calor, horrida vultum*
*Deformat macies, pallor ſimul occupat ora:*
*Contemplator item veſteis, velamina nota,*
*Fœda miniſteria, & portarum ingentia clauſtra.*
*Volvitur ater odor tectis, & ſanguine largo*
*Terra toriquemadent, & barbara tegmina crurũ:*
*Fluviorum rex Eridanus, pluvialibus hœdis,*
*Vorticibus rapidis & multa flavus arena,*
*Haud undis abolere poteſt ſpolia illa cruenta;*
*Nec pulcher Ganges, aut pingui flumine Nilus.*
*Tum vero attonitæ, atq; oculos ſtupor urget inerteis*
*Luminibus tacitis, contactuque omnia fœdant*
*Immundo, tum tecta petunt, tum corpora curant,*
*Turpia membra fimo, ſævi ſpiracula Ditis,*
*Ignavæque fame cunctantur in ædibus omnes.*
*At non in Venerem ſegnes, nocturnaque bella,*
*Tempore quamquam illo catulorum oblita Leæna*
*Sævior erravit campis, tum peſſima Tygris:*
*At non tam turpes pecudum tamen ulla ſecuta eſt*
*Concubitus, quæ tanta animum dementia cepit,*
*Europæ atque Aſiæ præſtanti corpore Nymphæ?*
*Tanta ne vos generis tenuit fiducia veſtri?*
*Prô ſcelus: ecce etiam Veneris monimenta nefandæ*
*Paſiphaë, mixtumque genus, prolesque biformis.*
*At ſperate Deos memores fandi atque nefandi.*
*Et Venerem certis repetunt armenta diebus.*
*Ferrea progenies, cui non certaverit ulla,*
*Aut tantum fluere, aut totidem durare per annos:*
*In furias, ignemque ruunt, ſub ſidere cancri,*
*Et cum triſtis hyems, vel cum ruit imbriferũ ver:*
*Atque ubi concubitus primos jam nota voluptas*
*Sollicitat, tantum notas odor attulit auras:*

*Deſeruëre domos, genitalia ſemina poſcunt*
*Noctes atque dies, crepitantiaque æra ſecutæ*
*At delubra iuvat currus agitare volanteis :*
*Sæpe diem noctemque & totum ex ordine menſem*
*Sole ſub ardenti, gelidique ſub ætheris axe,*
*Saxa per & ſcopulos, iuvat indulgere choreis :*
*Oraque corticibus ſumunt horrenda cavatis.*
*Ac neque eas jam frena virûm, nec verbera ſæva*
*Perpetui tergo bovis, atque obiecta retardant*
*Flumina, nec miſeri poſſunt revocare parentes :*
*Quinetiam clauſæ tenebris & carcere cœco*
*( Sit mihi fas audita loqui ) innuptæque puellæ,*
*Tum trepidæ inter ſe coeunt, & ſæpe ſine ullis*
*Coniugiis, vento gravidæ, (mirabile dictu,)*
*Ante annos audetque viro concurrere virgo.*
*Horrendum dictu: me ne huic confidere monſtro ?*
*Hoc quondam monſtro horribileis exercuit iras*
*Hortator ſcelerum, creſcentis origine mundi :*
*Sublimes animas Stygias detruſit ad undas.*
*Inde hominum pecudumq; genus, pictæq; volucres*
*In peius ruere, ac retro ſublapſa referri :*
*Heu pietas, heu priſca fides virtutis avitæ.*
*Omnipotens genitor, qui fœdera fulmine ſancit,*
*Tum primum virus ſerpentibus addidit atris,*
*Et paſſim rivis currentia vina repreſſit ,*
*Mellaque decuſſit foliis, mortalia corda*
*Expectata ſeges vanis eluſit avenis :*
*Iuſtitia excedens terris (miſerabile viſu)*
*Prima fugit, ſubeunt morbi, triſtisque ſenectus,*
*Et metus, & maleſuada fames, & turpis egeſtas,*
*Et belli rabies, & amor ſucceſſit habendi,*
*Inſanumve forum: tum partu terra nefando*

Cœum-

*Cœumque Iapetumque creat, fratresque ſuperbos.*
*Ex illo in lucem Stygiis emiſſa tenebris*
*Vana ſuperſtitio, magnum quæ ſparſa per orbem.*
*Tum pater extructos diſiecit fulmine monteis,*
*Et coniuratos cœlum reſcindere fratres,*
*Diſiecitque rates, evertitque æquora ventis:*
*Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarũ,*
*Et quæ marmoreo fert monſtra ſub æquore pontus,*
*Diluvio miſcens, in ſaxa latentia torquet,*
*Illiditque vadis, atque aggere cingit arenæ:*
*Intonuêre poli, cinxerunt æthera nimbi,*
*Impiaque æternam timuerunt ſecula noctem.*
*Diluvio ex illo pœnas expendimus omnes,*
*Vnius ob noxam, & furias: moritura* PUELLA.
*Ille dies primus lethi, cum lucidus* ANGUIS
*Cauſa mali tanti miratam malæ* PUELLAM
*Excipit incautam, ſtimulis agitatus amaris.*
*Heu ſtirpem inviſam! monitis exterrita divûm,*
*Haud impune quidem, Lucina experta labores*
*Nunc etiam mœſtis late loca quæſtibus implet.*
*Fas odiſſe viros, ſtirpem, & genus omne futurum:*
*Inſtamus tamen immemores, cœcique furore*
*Iungimus hoſpitio dextras, & tecta ſubimus*
*Concordes animæ. ſic ſic iuvat ire ſub umbras.*
*O patria, ô miſeræ nimium vicina Cremonæ*
*Mantua dives avis, mitte hanc de pectore curam:*
*Talia conjugia, & tales celebrent hymenæos*
*Brontesq; Steropesq; & nudus membra Pyracmon,*
*Gensque virûm truncis & duro robore nata,*
*Impia, nec veriti vivacis cornua* CERVI,
*Et frontem obſcenam, quæ prima pericula vito.*
*O fortunatos nimium genus omne peroſos*

*Fœmineum! me nulla dies tam fortibus auſis*
*Diſſimilem arguerit, dum ſpiritus hos reget artus:*
*Dicite felices animæ, tuque optime vates,*
*Nonne fuit ſatius ſtimulos avertere Amoris*
*Venatu aſſiduo, & terras tentare repoſtas*
*Per varios caſus, per tot diſcrimina rerum*
*Perque undas ſuperante ſalo, perque invia ſaxa?*
*Quam ſemel informem vaſto vidiſſe ſub antro*
*Scyllam, ſuccinctam latrantibus inguina monſtris,*
*Et caligantem nigra formidine lucum?*
*At furiis* CACI *mens effera, dira cupido*
*Sollicitat, ſuadetque ignota laceſſere bella.*
*Quid tantum inſano iuvat indulgere labori,*
*Quis furor iſte novus? quæ vos dementia adegit,*
*Heu miſeri cives, collo dare brachia circum*
*Complexu in miſero, graviter ſpirantibus hydris?*
*Ne pueri, ne tanta animis aſſueſcite bella,*
*Neve armate manus: diræ obſcenæque volucres*
*Ingentes animos anguſto in pectore verſant:*
*Vere magis, quia vere calor redit oſſibus. illæ*
*Tum vero ardentes multa vi prælia miſcent:*
*Nec nos obniti contra, nec tendere tantum*
*Sufficiunt vires: pedibus per mutua nexis*
*(Haud incerta cano) ſtetimus tela aſpera contra,*
*Contulimusque manus nec dîs nec viribus æquis:*
*Tum mihi prima genas veſtibat flore Iuventa,*
*Et membris & mole valens, turbatus, inermis,*
*Tum mihi prima genas veſtibat flore Iuventa,*
*Candidior poſtquam tondenti barba cadebat:*
*Eripui, fateor, letho me, & vincula rupi*
*Matris Acidaliæ, poſitis inglorius armis:*
*Nulla ſalus bello, juvenes, fortiſſima corda,*

*Ponite ſpes, armis concurrant arma cavete.*
*Illis ira modum ſupra eſt: quis carmine cædes*
*Diverſas, obitumque ducum, quis funera fando*
*Explicet, aut poſſit ſcelerum comprendere formas?*
*Quanta per Idæos ſævis effuſa Mycenis*
*Tempeſtas ierit campos, ſe ſcire fatentur,*
*Extremiq; hominū Morini. dux* FOEMINA *facti*
*Fundamenta quatit, ſternit q; a culmine Trojam,*
*Turbine fumantem piceo & candente favilla.*
*Ipſe Mycenæus magnorum ductor Achivûm*
*Victor apud rapidum Simoënta ſub Ilio alto*
*Conjugis infanda prima intra limina dextra*
*Concidit, & multo vitam cum ſanguine fudit.*
*Carminibus Circe ſocios mutavit Vlyſſei.*
*Iunonis gravis ira, & inexſaturabile pectus,*
*Inſignem pietate virum, terraque marique*
*Torquet agens circum. cineri promiſſa Sichæo*
*Non ſervata fides. Pallasne exurere claſſem*
*Argivûm, atque ipſos potuit ſubmergere ponto?*
*Quid repetam exuſtas Erycino in littore claſſes?*
*Quid memorem Alciden indigna morte peremptū?*
*Neſciaque humanis precibus manſueſcere corda?*
*Diſcerptum latos juvenem ſparſere per agros*
*Mulcentem tigres, & agentem carmine quercus.*
*Horreſco referens, una ſub nocte iugali*
*Cæſa manus iuvenum fœde, thalamique cruenti.*
*Heu cadit in quenquam tantū ſcelus? arte novercæ*
*Ora puer prima ſignans intonſa iuventa*
*Excuſſus curru, moribundus volvitur arvis,*
*Turbatis diſtractus equis. quis talia fando*
*Temperet a lacrymis? totum vulgata per orbem*
*Et pro purpureo pœnas dat Scylla capillo;*

*Elo-*

*Eloquar, an ſileam? natorum ſanguine matrem*
*Commaculare manus? Summi regnator Olympi,*
*O Pater, anne aliquas ad cœlũ hinc ire putandũ eſt*
*Aſpicis hæc? an te genitor cum fulmina torques*
*Nequicquam horremus? noſtri non plena laboris*
*Quæ regio in terris? nullo diſcrimine cædem*
*Suſcitat, irarumque omneis effundit habenas,*
*More furens torrentis aquæ, vel turbinis atri.*
*Effera vis animi ſubigit decernere amantes*
*Vulneribus crebris, dominorum fallere dextras.*
*Infelix monſtrum, quo non præſtantius ullum,*
*Ore vomens ignes, armare in prælia fratres,*
*Atque odiis verſare domos, ruit omnia late*
FOEMINA, *palantes utroque ab littore gentes*
*Territat invalidas ut aves, populosque feroces*
*Veſtigat luſtrans, pedibusque eviſcerat uncis*
*Regnorum immemores turpique cupidine captos.*
*Maius adorta nefas, maioremque orſa furorem:*
*Mœnibus in patriis regali ſplendida luxu*
*Inter ſacra Deûm iuvenes, ante ora parentum*
*Per varios ſternit caſus. muliebribus armis*
*Obvia multa virûm demittit corpora morti.*
*Sanguineam torquens aciem fremit ore cruento,*
*Rumoresque ſerit varios, cui triſtia bella,*
*Iræque inſidiæque, & crimina noxia cordi:*
*Nate patris ſummi, grates perſolvere dignas*
*Non opis eſt noſtræ, gentem effugiſſe nefandam:*
*Quod ſuper eſt, oro, propius tua numina firmes;*
*Illa dolos dirumque nefas in pectore verſat,*
*Eripe me his invicte malis, Via prima ſalutis*
*Ad te confugio, pacem te poſcimus omnes,*
*Vna omnes iuvenum primi priſcique Quirites.*

*Aſpi-*

*Aſpice nos: dira bellum cum gente gerendum.*
*Illa dolos dirumque nefas in pectore verſat.*
*Triſtius haud illis monſtrum. mihi frigidus horror*
*Membra quatit, ſonitūq; pedum, vocēq; tremiſco:*
*Carpit enim vires paulatim, uritq; videndo*
FOEMINA. *Dii talem terris avertite peſtem.*

CAPILUPI CENTONIS

*FINIS.*

IULIUS CÆSAR SCALIGER

*lib.* I *Poetices*, *cap.* XLIII.

Haud abſimiles PARODIIS CENTONES. deducitur enim ſenſus alius ab ſenſu priſtino verſuum: hoc Parodiam refert: quorum verſuum membra hinc inde collecta quum aſſuantur, Rhapſodiæ nomen repræſentant: atque idcirco CENTONES appellati ſunt a centonibus, quibus fiunt ſtragula. Tale apud Auſonium POEMA VALDE INGENIOSUM ET LEPIDUM, ex fruſtis Virgilianis coagmentatum.

Poema hoc Auſonianum tantopere ab illuſtri Scaligero commendatum, ſubjiciemus hîc in quorundam gratiam, tum ob argumenti & operis ſimilitudinem, tum quia nemo accuratius de Centone ejusque legibus ſcripſe-

ſperit. Carmen ipſum vere Feſcenninum, & in fine vix caſtis auribus audiendum, excuſarem: ſi non Conſularis Vir autoritatem ſuam ipſe interpoſuiſſet, & adventoria ſua excepiſſet illos,

*Qui Curios ſimulant, & Bacchanalia vivunt.*

# AVSONII
Viri Conſularis

# CENTO NVPTIALIS,

*Virgilianis verſibus in alium ſenſum detortis.*

# AVSONIVS PAVLO S.

Perlege hoc etiam, ſi operę eſt, frivolum & nullius pretii opuſculum: quod nec labor excudit, nec cura limavit: ſine ingenii acumine, & moræ maturitate. *Centonem* vocant, qui primi haç concinnatione luſerunt. Solæ memoriæ negotium ſparſa colligere, & integrare lacerata: quod ridere magis, quam laudare poſſis. Pro quo, ſi per Sigillaria in auctione veniret, neque Afranius *nauci* daret, nec *cicum* ſuum Plautus offerret. Piget enim Virgiliani carminis dignitatem tam joculari dehòneſtaſſe materia. Sed quid facerem? juſſum erat. quodque eſt potentiſſimum imperandi genus, rogabat, qui jubere poterat, Imperator Valentinianus, vir meo judicio eruditus: qui Nuptias quondam ejuſmodi ludo deſcripſerat, aptis equidem verſibus, & compoſitione feſtiva. experiri deinde volens, quantum noſtra contentione præcelleret, ſimile nos de eodem concinnare præcepit. Quam ſcrupuloſum hoc mihi fuerit, intellige. Neque anteferri volebam, neque poſthaberi: quum aliorum quoque judicio detegenda eſſet adulatio inepta, ſi cederem: inſolentia, ſi, ut æmulus, eminerem. Suſcepi igitur ſimilis recuſanti: feliciterque & obnoxius gratiam tenui: nec victor offendi. Hoc, die uno, & addita lucubratione, propera-

peratum, modo inter liturarios meos cum reperiſſem: tanta mihi candoris tui, & amoris fiducia eſt, ut ſeveritati tuæ nec ridenda ſubtraherem. Accipe igitur opuſculum de inconnexis continuum, de diverſis unum, de ſeriis ludicrum, de alieno noſtrum: ne in ſacris & fabulis, aut Thyonianum mireris, aut Virbiū, illum de Dionyſio, hunc de Hippolyto reformatum. Et ſi pateris, ut doceam, docendus ipſe, *Cento* quid ſit, abſolvam. *Variis de locis, ſenſibusque diverſis, quædam carminis ſtructura ſolidatur: in unum verſum ut coëant, aut cæſi duo, aut unus & ſequens cum medio. Nam duos iunctim locare, ineptum eſt: & tres una ſerie, meræ nugæ. Diffunditur autem per cæſuras omnes quas recipit verſus Heroicus, convenire ut poſſit, aut penthemimeris cum reliquo anapæſto: aut trochaice cum poſteriore ſegmento: aut ſeptem ſemipedes cum anapæſtico chorico: aut poſt dactylum atque ſemipedem, quicquid reſtat hexametro. Simile ut dicas ludicro, quod Græci* ςομάχιον *vocavere. Oſcilla ea ſunt. ad ſummam quatuordecim figuras Geometricas habent. Sunt enim æquilatera: vel triquetra: extentis lineis: aut rectis angulis, vel obliquis: iſoſcele, vel iſopleura: orthogonia quoque, vel ſcalena. Harum vertibularum variis coagmentis ſimulantur ſpecies mille formarū, Elephantus bellua: aut aper beſtia: anſer volans: & mirmillo in armis ſubſidens: venator, & latrans canis: quin & turris: & cantharus: & alia huiuſmodi innumerabilium figurarum: quæ alius alio ſcientius variegant. Sed peritorum con-*

*cinnatio, miraculum eſt: imperitorum iunctura, ridiculum.* Quo prædicto, ſcies: quod ego poſteriorem imitatus ſum. Hoc ergo Centonis opuſculum, ut ille ludus, tractatur: pari modo, ſenſus diverſi ut congruant: adoptiva quæ ſunt, ut cognata videantur: aliena ne interluceant: accerſita ne vim redarguant: denſa ne ſupra modum protuberent: hiulca ne pateant. Quæ ſi omnia ita tibi videbuntur, ut præceptum eſt, dices me compoſuiſſe Centonem. Et quia ſub Imperatore meo tum merui: procedere mihi inter frequentes ſtipendium jubebis. Sin aliter, ære dirutum facies: ut cumulo carminis in fiſcum ſuum redacto, redeant verſus unde venerunt. Vale.

## AVSONII
# CENTO NVPTIALIS.

Accipite hæc animis, lætaſque advertite mentes,
Ambo animis, ambo inſignes præſtantibus armis:
Ambo florentes, genus inſuperabile bello.
Tuque prior, nam te majoribus ire per altum
Auſpiciis manifeſta fides. quo iuſtior alter
Nec pietate fuit, nec bello maior & armis.
Tuque puerque tuus, magnæ ſpes altera Romæ,
Flos veterum virtuſq; virûm, mea maxima cura.
Nomine avum referens animo manibuſq; parentẽ.
Non iniuſſa cano. ſua cuique exorſa laborem
Fortunamque ferent. mihi iuſſa capeſſere fas eſt.

## COENA NUPTIALIS.

Exſpectata dies aderat dignisque hymenæis
Matres atque viri, iuveneſq; ante ora parentũ
Conveniunt: ſtratoque ſuper diſcumbitur oſtro.
Dant famuli manibus lymphas, onerantq; caniſtris
Dona laborata Cereris: pinguisque ferinæ
Viſcera toſta ferunt. ſeries longiſſima rerum.
Alituum pecudumque genus, capreæque ſequaces
Non abſunt illis, nec oves hœdique petulci,
Et genus æquoreum, damæ cervique fugaces.

*Ante oculos, interque manus ſunt mitia poma.*
*Poſtquã exempta fames, & amor compreſſus edẽdi:*
*Crateras magnos ſtatuunt, Bacchumq; miniſtrãt.*
*Sacra canunt, plaudũt choreas, & carmina dicunt:*
*Nec non Threiicius longa cum veſte ſacerdos*
*Obloquitur numeris ſeptem diſcrimina vocum.*
*At parte ex alia, biforem dat tibi cantum.*
*Omnibus una quies operum. cunctique relictis*
*Conſurgunt menſis. per limina læta frequentes*
*Diſcurrunt. variantq; vices populusque patresq;,*
*Matronæ, pueri. vocemque per ampla volutant*
*Atria. dependent lychni laquearibus aureis.*

## DESCRIPTIO EGREDIENTIS SPONSÆ.

*Tandem progreditur Veneris juſtiſſima cura,*
*Iam matura viro, jam plenis nubilis annis:*
*Virginis os habitumque gerens, cui plurimus ignem*
*Subjecit rubor: & calefacta per oſſa cucurrit,*
*Intentos volvens oculos: uritque videndo.*
*Illam omnis tectis agrisque effuſa juventus,*
*Turbaque miratur matrum. veſtigia primi*
*Alba pedis. dederatque comam diffundere ventis.*
*Fert picturatas auri ſubtegmine veſtes,*
*Ornatus Argivæ Helenæ. qualisque videri*
*Cœlicolis & quanta ſolet Venus aurea contra:*
*Talis erat ſpecies: talem ſe læta ferebat*
*Ad ſoceros, ſolioque alte ſubnixa reſedit.*

## DESCRIPTIO EGREDIENTIS SPONSI.

At parte ex alia foribus ſeſe intulit altis
Ora puer prima ſignans intonſa iuventa,
Pictus acu chlamydē auratam, quā plurima circū
Purpura Mæandro duplici Melibæa cucurrit:
Et tunicam, molli mater quam neverat auro.
Os humerosque Deo ſimilis, lumenque iuventæ
Qualis ubi Oceani perfuſus lucifer unda
Extulit os ſacrum cœlo: ſic ora ferebat,
Sic oculos. curſuque amens ad limina tendit.
Illum turbat amor, figitque in virgine vultus.
Oſcula libavit, dextramque amplexus inhæſit.

## OBLATIO MUNERUM.

Incedunt pueri, pariterque ante ora parentum
Dona ferunt, pallam ſignis auroque rigentem,
Munera portantes, aurique eboriſque talenta,
Et ſellam, & pictum croceo velamen acantho.
Ingens argentum menſis: colloque monile
Baccatum, & duplicem gemmis auroque coronā.
Olli ſerva datur, geminique ſub ubere nati.
Quattuor hic juvenes, totidem innuptæq; puellæ:
Omnibus in morem tonſa eſt coma. pectore ſummo
Flexilis obtorti per collum it circulus auri.

## EPITHALAMIUM UTRIQUE.

Tum ſtudio effuſæ matres ad limina ducunt.
At chorus æqualis, pueri innuptæque puellæ,

*Verſibus incomptis ludunt. & carmina dicunt:*
*O digno conjuncta viro, gratiſſima coniunx,*
*Sis felix, primos Lucinæ experta labores.*
*Et mater. cape Mæonii carcheſia Bacchi.*
*Sparge marite nuces. cinge hæc altaria vitta,*
*Flos veterum, virtusq; virûm; tibi ducitur uxor;*
*Omnes ut tecum meritis pro talibus annos*
*Exigat, & pulchra faciat te prole parentem.*
*Fortunati ambo. ſi quid pia numina poſſunt,*
*Vivite felices, dixerunt. currite fuſis*
*Concordes ſtabili fatorum numine Parcæ.*

## INGRESSUS IN CUBICULUM.

*Poſtquam eſt in thalami pendentia pumice tecta*
*Perventum: licito tandem ſermone fruuntur.*
*Congreſſi jungunt dextras: ſtratisque reponunt.*
*At Cytherea novas artes, & pronuba Iuno*
*Sollicitat: ſuadetque ignota laceſſere bella.*
*Ille ubi complexu molli fovet: atque repente*
*Accepit ſolitam flammam, lectumque iugalem:*
*O virgo, nova mi facies, gratiſſima coniunx:*
*Veniſti tandem, mea ſola & ſera voluptas.*
*O dulcis coniunx. non hæc ſine numine Divûm*
*Proveniunt. placitone etiam pugnabis amori?*
*Talia dicentem jamdudum averſa tuetur:*
*Cunctaturque metu? telumque inſtare tremiſcit,*
*Spemq; metumq; inter. funditque has ore loquelas:*
*Per te, per, qui te talem genuere, parentes,*
*O formoſe puer, noctem non amplius unam*
*Hanc te oro, ſolare inopem, & miſerere precantis.*
*Succidimus. non lingua valet, non corpore notæ*

Suffi-

*Sufficiunt vires. nec vox, aut verba ſequuntur.*
*Ille autem, Cauſſas nequicquam nectis inanes:*
*Præcipitatque moras omnes, ſolvitque pudorem.*

## PARECBASIS.

Hactenus caſtis auribus audiendum myſterium nuptiale, ambitu & circumitione velavi. Verum quoniam Feſcenninos amat celebritas nuptialis: verborumque petulantiam notus vetere inſtituto ludus admittit: cætera quoque cubiculi & lectuli operta prodentur, ab eodem auctore collecta: ut bis erubeſcamus, qui & Virgilium faciamus impudentem. Vos, ſi placet, hic jam legendi modum ponite: cætera curioſis relinquite.

## IMMINUTIO.

*Poſtquam congreſſi ſola ſub nocte per umbram,*
*Et mentẽ Venus ipſa dedit, nova prælia tentant.*
*Tollit ſe arrectum. conantem plurima fruſtra,*
*Occupat os, faciemque, pedem pede fervidus urget.*
*Perfidus alta petens, ramum qui veſte latebat*
*Sanguineis ebuli baccis, minioque rubentem,*
*Nudato capite, & pedibus per mutua nexis,*
*Mõſtrũ horrendũ, informe, ingẽs, cui lumẽ adẽptũ.*
*Eripit à femore, & trepidanti fervidus inſtat.*
*Eſt in ſeceſſu, tenuis quo ſemita ducit,*
*Ignea rima micans exhalat opaca Mephitim.*
*Nulli fas caſto ſceleratum inſiſtere limen.*
*Hic ſpecus horrendum, talis ſeſe halitus atris*
*Faucibus effundens nares contingit odore.*

*Huc iuvenis nota fertur regione viarum:*
*Et ſuper incumbens nodis & cortice crudo,*
*Intorquet ſummis adnixus viribus haſtam.*
*Hæſit, virgineumque alte bibit acta cruorem.*
*Inſonuêre cavæ gemitumque dedêre cavernæ.*
*Illa manu moriens telum trahit: oſſa ſed inter*
*Altius ad vivum perſedit vulnere mucro:*
*Ter ſeſe attollens, cubitoque innixa levavit:*
*Ter revoluta toro eſt. manet imperterritus ille.*
*Nec mora, nec requies: clavumq; affixus & hærens*
*Nuſquam amittebat, oculosque ſub aſtra tenebat.*
*Itque reditque viam totiens, uteroque recuſſo*
*Tranſadigit coſtas, & pectine pulſat eburno.*
*Iamque fere ſpatio extremo, feſſique ſub ipſam*
*Finem adventabant. tum creber anhelitus artus,*
*Aridaque ora quatit: ſudor fluit undique rivis.*
*Labitur exanguis: diſtillat ab inguine virus.*

Sed cum legeris, adeſto mihi adverſus eos. *Qui*, ut Juvenalis ait,

*Curios ſimulant, & Bacchanalia vivunt.*

ne forte mores meos ſpectent de carmine.

*Laſciva eſt nobis pagina, vita proba:*

ut Plinius dicit. Meminerint autem, quippe eruditi, probatiſſimo viro Plinio in poematis laſciviam, in moribus conſtitiſſe cenſuram: prurire opuſculum Sulpitiæ, nec frontem caperare: eſſe Appulejum in vita Philoſophum, in epigrammatis amatorem, in præceptis omnibus exſtare ſeveritatem, in epiſtolis ad Cærelliã ſubeſſe petulantiam: Platonis Sympoſion compoſita in ephebos epyllia continere. Nam quid Anniani Feſcen ninos? quid anti-

antiquiſſimi poëtæ Lævii Erotopægniων libros loquar? Quid Evenum, quem Menander ſapientem vocavit? Quid ipſum Menandrum? quid Comicos omnes? quibus ſevera vita eſt, & læta materia. Quid etiam Partheniam dictum cauſſa pudoris? qui octavo Æneidos, quum deſcriberet coitum Veneris atque Vulcani, γλισχρομυθίαν decenter immiſcuit. Quid in tertio Georgicorum de ſummiſſis in gregem maritis? nonne obſcœnam ſignificationem honeſta verborum tranſlatione velavit? Et ſi quid in noſtro joco aliquorum hominum ſeveritas veſtita condemnat: de Virgilio acceſſitum ſciat. Igitur cui hic ludus noſter non placet, ne legerit. aut cum legerit, obliviſcatur. aut non oblitus, ignoſcat. etenim fabula de nuptiis eſt: & velit, nolit, aliter hæc ſacra non conſtant.

IU-

IUSTUS LIPSIUS

# VICTORI GISELINO SPONSO S. D.

Favebo lingua. & ô rem pulchram! ô nuncium lætum!
Ὡς ἥδομαι, καὶ τέρπομαι, καὶ χαίρομαι!
Speratamne habet, imò dictam, pactam, ſponſam Giſelinus meus? Jam tandem vir es. bona Juno faveat, bona Venus faveat. Nocturnus etiam & Lunus (nam Lunam mihi hac in re dicere ſane religio ſit) prima noctu volentes ſient propitii. Adſit & ille Hortorum deus, ne ſis Petronii *lorum in aqua.* Epithalamium carmen tibi ſcripſi, in quod Auſonii exemplo intexere conabar totam ſcænam nuptialem. dico veterum more. & confecta res eſt, niſi quod limam exſpectat. Priora Plautinis numeris ſunt: hæc (quid enim vetat guſtum dare me tibi?) Catulliana. Pronunciabantur à pueris extremi in Throchaicis.

*St. tibicen, nimium tinnis, ſatis eſt tua tibia.*
*Carmen iſtud aſſa voce mecum pueri dicite.*

Deinde iſtud exeuntibus ad lectum ſponſis:

*O columen patriæ, o Belgî lux unica noſtri*
V I C T O R, *in optato te diva Salacia portu*
*Iam locat, & tutam firmant retinacula navim.*
*Iam bona nox oritur, iam Veſperus aſſulgebit.*

*Diu*

*Diu ſperata ferens genialis gaudia lecti.*
*Hymen o Hymenæe, Hymen fave, ô Hymenæe.*
*O decus eximium nuptis nunc, ante puellis;*
*Iam voti damnare, & damnetur quoque mater.*
*Præſeſt illa dies tota quam mente petiſtis,*
*Quâ digno conjuncta viro connubia læta*
*Concelebres, velentq; tuos nova flamea vultus.*
*Hymen ô Hymenæe, Hymen fave, o Hymenæe.*
*Conjuge tu Virgo digna, & tu virgine Coniux:*
*Alter Muſarũ, Charitum decus altera: & ambo*
*Præſtantes animi, præſtantes corporis ambo.*
*Iungite felices dextras rumore ſecundo,*
*Iungite flexanimo perfuſi pectus amore.*
*Hymen o Hymenæe, Hymen fave, o Hymenæe.*
*Nulla ætas meliore iugo commiſit amantes:*
*Nullus amans unquã tantũ inſanivit amorem,*
*Nec ſi falſiparens Oetæo exarſit in ocri,*
*Nec furor Empedoclis Siculã delapſus in Ætnã:*
*Quantus amor Caiũ, & Caiã quantus adurit.*
*Hymen ô Hymenæe, Hymen fave, o Hymenæe.*
*Fallor? an ancillatur nox tibi? non ego fallor.*
*Et ſolito citius Phœbum deceſſe ſorori*
*Contuor, & ſubitis cælum prætexier umbris.*
*I bone, quo tua te coniux vocat. hoc licet ipſa*
*Diſſimulet, licitoque etiam nunc pugnet amori.*
*Hymen o Hymenæe, Hymen fave, o Hymenæe.*
*Ite agite, Herculeo connectite brachia nodo,*
*Ludite, & inſomni noctem traducite ſomno*
*Feſtis motibus & gannitibus alternantes.*
*Sic Venus ipſa iubet: Veneris ne ſpernite numen,*
*O pueri. gravis eſt dea; ſed vos dicite mecum,*
*Hymen ô Hymenæe, Hymen fave, o Hymenæe.*

Si permittis, ſunt & *Feſcennini:* quos Feſtus dictos ait, *quod faſcinum arceant*; ego, *quod acuant.* Pronunciant juvenes:

*Ille abivit, ille effugit, Hippolytum ſecũ abſtulit*
*Sparge iã nuces marite. viden? hoc pueri flagitãt,*
*Frange iam nucem marite, ſi vis eſſe nucleum.*

*Saltus fœminei bone*
*Cultor, ô Veneris genus,*
*Qui matres pueras facis:*
*Qui facis pueros viros,*
*Helleſpontie dive.*
*Excitus precibus ratis*
*Perge linquere Lampſacum,*
*Et telum cape: latus huc,*
*Huc volens ades & valens,*
*Helleſpontie dive.*
*Qualis cum Paridis bona*
*Cognitus bene fœmina es:*
*Qualis cum Veneris tua*
*Marſpiter coluit agrum,*
*Helleſpontie dive.*
*Ad lectum dominam trahe;*
*Vulneris timidam novi*
*Ad lectum dominum lace,*
*Prœlii cupidum novi,*
*Membroſiſſime dive.*
*Nil ſponſus ſine te poteſt*
*Quod probent ſocer & ſocrus;*
*Et friget ſine te Venus:*
*Ergo quod cluis, hoc ſuis,*
*Membroſiſſime dive.*
*Tu nuptis decus unicum*

*Qui-*

*Qui tuis careat ſacris,*
*Nullam pacem habeat thorus,*
*Nulla prolem habeat domus,*
*Helleſpontie dive.*
*Nupta, quo fugis? hem tibi*
*Stulta quod cupis, hoc cape:*
*Et vanos remove metus.*
*Namque dulce periculum es*
*Helleſpontie dive.*

Erant plura, ſed verebar ut nimium Romana. Servabo vel in adventum tuum: vel, ſi id uxor tua recuſat, meum. Vale. Lovanii a. d. XV Kal. Septemb. ∞ IↃ LXXVI.

L. APU-

L. APULEII

# ANEXOMENOΣ

*Ex Menandro.*

Poëmation hac inſcriptione a quibuſdam eruditis vulgatum.

AMARE LICEAT, SI POTIRI NON LICET.
*Fruãtur alii: nõ moror, nõ ſum invidus.*
*Nam ſeſe excruciat qui beatis invidet.*
*Quos Venus amavit, facit amoris compotes:*
*Nobis Cupido velle dat, poſſe abnegat.*
*Olli purpurea delibantes oſcula*
*Clemente morſu roſea labella vellicent,*
*Malas adorent ore & ingenuas genas,*
*Et pupularum nitidas geminas gemmulas.*
*Quin & quum tenera membra molli lectulo*
*Compectorata adhærent Veneris glutino,*
*Libido quum laſcivo inſtinctu ſuſcitet*
*Sinuare ad Veneris uſum femina, femina*
*Inter gannitus, & ſubantis voculas,*
*Carpant papillas, atque amplexus intiment,*
*Arentque ſulcos molli in arvo Venerio,*
*Thyrſumque pangant hortulo in Cupidinis:*
*Dent crebros ictus, connivente lumine*
*Repedante curſu, Venere & anima feſſula,*
*Eiaculent tepidum rorem niveis laticibus.*
*Hæc illi faciant queis Venus non invidet,*
*At nobis caſſo ſaltem delectamine*
AMARE LICEAT, SI POTIRI NON LICET.

# NOTÆ.

Poematium hoc primus in publicum dedit una cum aliis eiuſdem fere argumenti Epigrammatis Claudius Binetus: aut forte prior V. C. Petrus Pithœus inter Errones Venerios. Poſtea nobiliſſimus Douſa noſter Præcidaneis ſuis inſeruit, & Notis ſuis elegantiſſimis emendavit, illuſtravit. Quæ ille, & Colvius (qui etiam Apulejo ſuo adjecit, ut & Wouwerius) non animadverterunt, ego ſuis locis monebo.

verſ. 4. — *facit amoris compotes.*] Ita Pithœana editio, & neſcio, inquit Colvius, cur potius ſit. Alii: *fecit.*

Poſt verſum 7, *Clemente morſu* &c. agnoſcit, teſte Savarone ad Sidonium, Cl. Bineti Ms. ſchedium hunc verſiculum:

*Candentes dentes effigient ſuävio.*

Ego, ut quod res eſt ſemel dicam, non ſolum hunc verſiculum, ſed totum poematium ſuppoſititium aut ſaltem infimæ vetuſtatis cenſeo. Atque ita quidem, ut qui aliter ſentiat, nihil ſentiat.

v. 8. *Malas adorent ore.*] Ita emendandum. Vulgg. *odorent.*

v. 11. *Compectorata adhærent.*] Ita libuit reſcribere, cum Colvius aliique ediderint, *Cum pectora * adhærent.* Pithœus: *Cum pectora ipſæ adhærent.* Binetus: *Cum pectora una adhærent.*

Col-

Colvius amplectitur Douſicam conjecturam, *Cum pectora artè adhærent.* Quis non meam?

v. 12. *Libido cum laſcivo inſtinctu ſuſcitet.*] Pithœanam editionem expreſſimus. Et ſic legit Binetus, quem Douſa ſequitur. Colvio placet,

*Libido cum laſciva inſtinctu ſuſcitet*
*Sinuare ad Veneris artem femina.*

Cum pectora glutino Veneris artè adhærent, & cum laſciva libido inſtinctu femina, id eſt, colligata, compedita, ad Veneris artem ſuſcitat ſinuare. Apertius dicerem, ni vetaret pudor. De verbo *inſtrigendi* conſule Notas ejus ad libros Mileſiarum.

v. 16. *Arentque ſulcos.*] Ita legendum adſentior Bineto, & Ed. Pith. pro *hærentque ſ.*

v. 17. *hortulo in Cupidinis.*] Male, *horto.*

v. 18. *Dent crebros ictus.*] Cum eſſet, *Dum* ſcripſit Binetus *Dent.* Pithœus retinuit *Dum*, aliique. *Connivente lumine*, a Bineto & Pithœo eſt, pro *cohibente.* Douſa mavult, *combibente lumine.*

v. 19. *Repedante curſu.*] De conjectura ita ſcripſimus. cum vulgo eſſet; *Crepidante curſu.* Binetus emendabat, *Trepidante curſu*: & ſic Pithœus edidit. Douſæ placuit, *Trepido in decurſu.* Colvius divinabat, *Trepidante fluctu Venere*: Quid per *fluctum* intelligi hic poſſit, caſtis auribus explicandum non eſt: & unde Venus nata, notior fabula eſt quam ut hic referri pluribus verbis debeat.

ANO-

# ANONYMI
# PERVIGILIVM
# V E N E R I S.

*Ex vetuſto exemplari*

PETRI PYTHOEI,

ET

*recenſione*

I. LIPSII.

M

## DESIDERIVS ERASMVS ROTERODAMVS

*In Adagiis, chiliadis 1, cent. ult.*

AMYCLAS PERDIDIT SILENTIVM.

Ianuit Adagium Virgilius Æneidos lib. x, cum ait,

*— tacitis regnavit Amyclis.*

Et ibi apud Servium Lucilius,

*Mihi neceſſe eſt loqui: nam ſcio Amyclas tacendo periiſſe.*

Silius Italicus,

*— Quasque evertêre ſilentia Amyclæ.*

Meminit & Catullus, niſi fallit inſcriptio, Carminis DE VERE, quod nuper nobis Aldus Manutius noſter exhibuit, in antiquiſſima quadam Galliæ bibliotheca repertum,

*Sic Amyclas, dum tacebant, perdidit ſilentium.*

## LILIVS GREGORIVS GIRALDVS

*Hiſtor. Poetar. lib. x.*

Aldum Manutium memini dicere, ſe Catulli poëma habere quod VER inſcribitur. Idem & Eraſmus fatetur: necdum tamen mihi videre contigit.

## IOSEPHVS SCALIGER IVL. CÆS. F.

*Caſtigationibus in Catullum.*

Id tantum dicam: Vrbicarium & Mimographum poëtam huic noſtro cognominem fuiſſe; cuius meminit Iuvenalis. Et fortaſſe is fuit autor Carminis DE VERE, ex quo hoc citat Eraſmus:

*Sic Amyclas, dum tacebant, perdidit ſilentium.*

## IVSTVS LIPSIVS
### Elector. lib. 1. cap. v.

*Carmen Poëtæ veteris, non antea viſum. De Scriptore quæſitum. Multa in eo emendata, & illuſtrata.*

A. 1580.

Vt Plautina illa mulier in Truculento, alienam prolem; ſic ego hoc Capite
*Alienos ibo labores ſuppoſitum mihi.*
Carmen vulgabo, quod clariſſimus I.C. Petrus Pythœus munus mihi miſit; ſed carmen non viſum antea, non lectum; & cui merito præfabor, FAVETE LINGVIS. Repperit vir doctiſſimus & diligentiſſimus harum rerum, in vetuſto eoque unico exemplari; & inde qua fide ille tranſſcripſit, eadem inſeram his libris; ſine fraude quidem; quia iſta quaſi adoptio, volente amico noſtro eſt, imo iubente. Carmen ſic habet;

CRAS AMET, QUI NUNQUAM AMAVIT; QUIQUE AMAVIT, CRAS AMET.
*Ver novum, ver iã canorum: ver natus orbis eſt.*
*Vere concordant amores, vere nubent alites,*
*Et nemus comam reſolvit de maritis imbribus.*
*Cras amorem copulatrix inter umbras arborum*
*Implicat gazas virentes de flagello myrteo.*
*Cras Dione iura dicit, fulta ſublimi throno.*

CRAS AMET, QUI NUNQUAM AMAVIT;
QUIQUE AMAVIT, CRAS AMET.
* *Tuno quiuore deſuper huc ſpumeo pont' de glouo*
*Cærulas inter catervas, inter & bipedes equos,*
*Fecit undantem Dione de maritis imbribus.*
CRAS AMET, QUI NUNQUAM AMAVIT;
QUIQUE AMAVIT, CRAS AMET.
*Ipſa gemmas purpurantem pingit annum floribus,*
*Ipſa ſurgentis papillas de Faboni * paritu*
*Vrguet in totos * pentes; ipſa roris lucidi,*
*Noctis aura quē relinquit, ſpargit umentis aquas,*
**Et me canat lacrime trementes detadum pondere.*
*Gutta præceps orbe parvo ſuſtinet caſus ſuos.*
*In pudorem florulentæ prodiderunt purpuræ.*
*Vmor ille, quem ſerenis aſtra rorant noctibus,*
*Mane virgineas papilla ſolvit umenti peplo.*
* *Ipiuſſit mane tuæ virgines nubant roſæ*
* *Fuſta prius de cruore deque amoris oculis,*
*Deq; gemmis, deque flammis, deque Solis purpuris.*
*Cras ruborem qui latebat veſte tectus ignea,*
*Vnica marito nodo non * pudent ſolvere.*
CRAS AMET, QUI NUNQUAM AMAVIT;
QUIQUE AMAVIT, CRAS AMET.
*Ipſa Nimfas Diva loco iuſſit ire myrteo,*
*Et Puer comes puellis. nec tamen credi poteſt*
*Eſſe Amorem feriatum, ſi ſagittas vexerit.*
*Ite Nimfæ: poſuit arma, feriatus eſt Amor.*
*Iuſſus eſt inermis ire, durus ire iuſſus eſt:*
*Neu quid arcu, neu ſagitta, neu quid igne læderet.*
*Sed tamen cavete Nimfæ, quod Cupido pulcer eſt:*
*Totus eſt inermis idem, quando nudus eſt Amor.*

CRAS AMET, QUI NUNQUAM AMAVIT;
QUIQUE AMAVIT, CRAS AMET.
*Compari Venus pudore mittit ad te virgines.*
*Vna res eſt quam rogamus, cede virgo Delia,*
*Vt nemus ſit incruentum de ferinis ſtragibus.*
*Ipſa vellet ut venires, ſi deceret virginem:*
*Iam tribus choros videres feriatos noctibus:*
*Congreges inter catervas ire per ſaltus tuos,*
*Floreas inter coronas, myrteas inter caſas.*
*Nec Ceres nec Bacchus abſunt, nec Poetarum deus;*
** Detinent & tota nox eſt pervigila cantibus.*
*Regnet in ſylvis Dione: tu recede Delia.*
CRAS AMET, QUI NUNQUAM AMAVIT;
QUIQUE AMAVIT, CRAS AMET.
*Iuſſit Hibleis tribunal ſtare Diva floribus.*
*Præſens ipſa iura dicit, adſederunt Gratiæ.*
*Hibla totos funde flores, quidquid annis attulit.*
** Hibla florum rumpereſt equant' ethne cāp-*
*Ruris hic erunt puellæ, vel puellæ montium,*
*Quæque ſilvas, quæq; lucos, quæq; montes incolunt.*
*Iuſſit omnis adſidere pueri Mater alitas,*
*Iuſſit & nullo puellas nil Amori credere.*
CRAS AMET, QUI NUNQUAM AMAVIT;
QUIQUE AMAVIT, CRAS AMET.
*Et rigentibus vergentis ducat umbras floribus.*
*Cras erit qui primus æther copulavit nuptias,*
*Vt * pāt totis crearet vernis annum nubibus*
*In ſinum maritus imber fluctus alma & coniugis,*
**Vt fletus immixtus omnis aleret magno corpore.*
*Ipſa venas atque mentem permeante ſpiritu*
*Intus occultis gubernat procreatrix viribus,*
*Perq; cœlum, perq; terras, perq; pontum ſubditum,*

*Pervium ſui tenorem ſeminali tramite*
*Imbuit, iuſſitque mundum noſſe naſcendi vias.*
CRAS AMET, QUI NUNQUAM AMAVIT;
QUIQUE AMAVIT, CRAS AMET.
*Ipſa Troianos nepotes in Latino tranſtulit;*
*Ipſa Laurentem puellam coniugem nato dedit;*
*Moxque Marti de ſacello dat pudicam virginem.*
* *Romuleas ipſa fecit cum Sabinis nuptias,*
*Vnde Rames & Quirites, proque prole poſterûm*
*Romoli matrem crearet & nepotem Cæſarem.*
CRAS AMET, QUI NUNQUAM AMAVIT;
QUIQUE AMAVIT, CRAS AMET.
*Rura fœcundat voluptas: rura Venerem ſentiunt.*
*Ipſe Amor puer Dionæ rure natus dicitur.*
*Hunc ager cum parturiret, ipſa ſuſcepit ſinu,*
*Ipſa florum delicatis educavit oſculis.*
CRAS AMET, QUI NUNQUAM AMAVIT;
QUIQUE AMAVIT, CRAS AMET.
*Ecce, iam ſuper geneſtas explicat * aonii latus.*
*Quiſque tuus quo tenetur coniugali fœdere.*
*Subter umbras cum maritis ecce balantũ gregem.*
*Et canoras non tacere Diva iuſſit alites.*
*Iam loquaces ore rauco ſtagna cigni perſtrepunt,*
*Adſonant aerei puellæ ſubter umbram populi,*
*Vt putas motus Amoris ore dici muſico?*
*Et neges queri ſororem de marito barbaro?*
*Illa cantat: nos tacemus. quando ver venit meum?*
*Quando * faciam ut celidon, ut taceret deſinam.*
*Perdidi Muſam tacendo, nec me Phœbus reſpicit.*
*Sic Amyclas, cum tacerent, perdidit ſilentium.*
CRAS AMET, QUI NUNQUAM AMAVIT;
QUIQUE AMAVIT, CRAS AMET.

Explicit Pervigilium Veneris.

Elegans mehercle & quantivis pretii carmen; molle, tenerum, ſed Romanis, ut ſic dicam, non Alexandrinis deliciis. In eo aliquot menda: quæ priuſquam tollam, quæram de Titulo & de Scriptore. Titulus fuit, *Pervigilium Veneris*. Colligo facile ex ſubſcriptione, *Explicit Pervigilium Veneris*. Ex titulo non ignotum argumentum. Laudatio enim Veneris fuit, compoſita quaſi per occaſionem Pervigilii, quod tres ipſas noctes in honorem deæ agebant. Faciunt illuc verſus in hoc Carmine,

*Ipſa vellet ut venires, ſi deceret virginem.*
*Iam tribus choros videres feriatos noctibus.*

Et illa Plauti Curculione,

*Quid? tu Veneri pervigilare te voviſti Phædrome?*
*Nam hoc quidem haud multo poſt luce lucebit.*

Sed & Pervigilandi honos vulgatus in ceteros deos. Fortunæ pervigilium eſt apud Suetonium in Galba, cap. IV. *Fortunæ ſimulacrum in parte ædium conſecratum menſtruis deinceps ſupplicationibus & pervigilio anniverſario coluit.* Cereri, apud Tacitum: *Lectiſternia & pervigilia celebravère feminæ quibus mariti erant.* Incertum cui deo, deæ, apud Livium lib. XXIII. per tres item noctes: *Triduum ſacrificatum ad Hamas. Nocturnum erat ſacrum, ita ut ante mediam noctem compleretur. Gracchus caſtra Campana, ut in pervigilio, neglecta, ſimul omnibus portis invadit.* Pervigilii meminit iterum Suetonius in Caligula, cap. LIV, & Vitellio, cap. X. Titulum ergo inveni: Scriptorem quæ-

ram, & non inveniam. Ducti elegantia carminis quidam Catullum Veronenſem eſſe cenſuerunt: alii, in queis Scaliger, Catullum Urbicarium poetam, nominatum Juvenali:

*— clamoſum ageret cùm phaſma Catulli.*

Neuter poteſt. niſi me fallit ratio temporum, quam ſubduxi non vanis conjecturis. Natum enim comperior hoc Carmen in imperio Auguſti. Argumento horum verſuum,

*Vnde Rhamnes & Quirites, proq; prole poſterûm*
*Romoli, patrem crearet & nepotem Cæſarem.*

Ita legendum, non *matrem*, doceo infra. Pater Cæſar, Divus Julius eſt; nepos, Auguſtus. Sæpe ita diſcriminandi cauſſa Hiſtorici. Suetonius: *Cæſario, quem ex Cæſare patre concepiſſe Cleopatra prædicabat.* & alii ſæpius. At hæ tam quæſitæ blanditiæ adverſus Auguſtum, quomodo convenient niſi in hoc ævum? Non ergo Catulli Veronenſis. Dico amplius: poſt Virgilium vixit hic Scriptor. Certe locus ille totus,

*Vt pant * totis crearet vernis annum nubibus*
*In ſinum maritus imber fluxit almæ conjugis*
*Vt fetus immixtus omnes aleret magno corpore,*

non abeſt, quin è Virgiliano iſto expreſſus ſit,

*Tum pater omnipotens fecundis imbribus æther*
*Conjugis in lætæ gremium deſcendit, & omnes*
*Magnus alit magno commiſtus corpore fetus.*

Poſtremo quidem verſu etiam ad verbum, ut ego reſtitui. Niſi tamen Virgilius hæc ab illo: quod non cenſeo. Sane quiſquis Scriptor, non ambigo quin genitum hoc Carmen extrema

trema ſub tempora Auguſti. Ita Catulli illius germani non erit; quia ætate relinquitur: non illius minuti Urbicarii; quia anteit. Cetera videbit Phœbus. ego tranſeo adverſus ipſos, quos ſanabo, cum Homero, Ἐς πόδας ἐκ κεφαλῆς. Principio Carminis non dubium quin multa deſint. Illo verſu. (2.)

*Ver novum, ver iam canorũ, ver natus orbis eſt*, eleganter Pythœus, *vere natus orbis eſt*. nec male ego, *ver renatus orbis eſt*. ſententia gemina huic Pliniana: *Arborum flos eſt pleni veris indicium, & anni renaſcentis.*

verſ. 3. *Vere nubent alites.*] ſcribo, *nubunt*.

verſ. 5. *Cras amorem copulatrix.*] Pythœus, *amorum.*

verſ. 6. *Implicat gazas.*] Idem, *caſas*. verè.

verſ. 7. *Fulta ſublimi throno.*] Malim, *thoro*.

verſ. 9. *Tuno quivore deſuper huc ſpumeo pont' de glouo.*] Amicus ille noſter, *Iuno rore de ſupernis*. Mihi correctiò apud Janum Douſam fabulanti feliciter ſub manu nata,

*Tunc cruore de ſuperno ac ſpumeo ponti è globo.*

Nihil clarius. Tangit Fabulam qua fingitur Venus è ſpuma maris nata, & è ſanguine prolium (ut honeſte dicam) Cæli. Tibullus:

*—is ſanguine natam,*
*In Venerem è rabido ſentiet eſſe mari.*

Arnobius: *Nunquid à nobis dicitur ex pelagi ſpuma & ex Cœli genitalibus amputatis Cythereæ Veneris concretum coalüiſſe candorem?*

Paulo poſt etiam (v. 11.) ſcribe,

*Fecit undantem Dionem de maritis imbribus.*

*Maritos imbres* appellat Spumam & Cruorem, ſane quam eleganter. Deſunt autem hic minimum ſeni aut ſepteni verſus, quod apparet ex verſu intercalari præpropere poſito.

v.13. *Ipſa gemmas purpurantem.*] Pythœus, *gemmans.* Poteſt etiam, *gemmeis.*

v.14. *Ipſa ſurgentis papillas de Faboni * paritu Vrguet in totos * pentes.*] Truncatam vocem arbitror, & ſcribo, *Vrguet in thoros tepentes.* Priori etiam verſu malim, *Turgentes papillas.* Favonii *ſpiritum* vere invenit & ingenioſe Pythœus.

v.16. *Noctis aura quem relinquit.*] Legerim, *quom reliquit.*

v.17. * *Et me canat lacrime trementes detadum pondere.*] Videor pro parte emendare poſſe, *Et micant lacrimæ trementes.* Intelligit autem guttulas illas è rore ſubſilientes & laſcivientes. Cetera non poſſum. Lernutius noſter, *decadivo pondere.*

v. 19. *In pudorem florulentæ prodiderunt.*] Pythœus, *prodierunt.*

v. 21. *Mane virgineas papillæ.*] Scribo, *virgines papillas,* nondum oppreſſas & maritas.

v. 22. * *Ipiuſſit mane tuæ virgines nubant roſæ.*] Pythœus, *Ipſa iuſſit.* recte. Reliqua ſic Janus Douza: DOUZA, inquam, MEUS; non iterum in tranſcurſu dicendus. Tot mihi in illum juſti amoris cauſſæ, tot admirationis ſunt. Omitto poëſim, & cum poëſi ſupra hoc ſæculum doctrinam: probitas, & ingenui mores, &, quæ nihil gratiæ cauſſa facit, gratia,

dì

dì boni, in quo homine paria ſunt, aut erunt! Ut vere de illo hoc elogium & ad præſtationem, quod dicitur, ſcripturus ſim, *Vera proles Muſarum, & alumnus Gratiarum.* Nec abripit amor me. judicio hoc ſcribo, ſi quid umquam: & peto quæſoque (vita tantum mihi, aut fama apud poſteros ſit) ita hæc legant non quaſi laudem ab amico; ſed ſententiam à jurato teſte. Redeo in viam. Douza, inquam, legebat. — *mane ut udæ virgines nubant roſæ.* rectiſſime. Venus juſſit, ait poeta, ut mane virgines tegant ſe ornentque udis ab humore noctis & quaſi ebriis roſis. Nec fallet lectorem *Nubendi* hic verbum, priſca ſignificatione, Velandi.

v. 23. * *Fuſta prius de cruore, deque amoris oculis.*] Pythœus, *oſculis.* Non diu, ſed intente mihi quæſita correctio. quam repperi, & lego, *Fuſæ aprino de cruore.* Ab Hiſtoria hæc lectio, vel à Fabula potius. Nam roſas à ſanguine Adonis, quem aper occiderat, traxiſſe ruborem vulgo volunt poëtæ. *Fuſæ* ergo, tinctæ ſive perfuſæ. niſi quis eligit, *Fuſcæ.* Bion de hac re,

αἷμα ῥόδον τίκτει, τὰ δὲ δάκρυα τὰν ἀνεμώναν.

Ovidius, & alii.

v. 26. *Vnica marito nodo non pudent ſolvere.*] Pythœus, *Vnico mariti nodo non pudebit ſ.*

v. 28. *Ipſa nimfas diva loco.*] Idem, *luco.* & ſtatim, *Eſt puer comes puellis.* Ego, *It puer comes p.*

v. 32. *Iuſſus eſt inermis ire, durus ire juſſus eſt.*]

*eſt.*] Pythœus, *nudus ire juſſus eſt.* recte ad ſententiam, nihil habeo.

v. 35. *Totus eſt inermis idem.*] Bene idem, *in armis.*

v. 45. **Detinent, & tota nox eſt pervigila canticis.*] A fine lego, *pervigil à canticis.* ſyllaba præter vulgi morem ſcilicet producta, ut jambum vitemus. Pythœus, *perviglandæ.* Ad principium emendandum conor, *Detument.* id eſſet, tumorem & faſtum dii illi ponunt, effuſi in jocos, & ſolitam pervigilio hilaritatem. Scio Statium Papinium non abſimiliter ea voce uſum: (VI. Thebaidos, v. 478. *Detumuere animi maris, & clementior auſter Vela vocat.* — ) tamen adhuc delibero.

v. 49. *Præſens ipſa jura dicit, adſederunt Gratiæ.*] Bene Douſa, *Præſes ipſa jura dicet, adſidebunt Gratiæ.* Et lepida herclè fictio eſt, ut Venus in illo tribunali quaſi Præſes Quæſitorque ſit: Gratiæ, adſeſtrices.

v. 50. *Quidq. annis attulit.*] Pythœus, *annus.*

v. 51. *Hibla fiorum * rumpereſt equant' ethne căp-*] Pythœus, *quantus Ætnæ campus eſt.* Fortaſſe ſic,

*Hibla florũ rumpe veſtẽ quantus Ennæ căpus eſt.*

v. 54. — *pueri mater alitas.*] Pythœus, *alitis.*

v. 55. *Iuſſit & nullo puellas nil Amori credere.*] Idem, *Iuſſit & nudo p.*

v. 58. *Cras erit qui primus Æther.*] Forte, *quo primus Æ.*

v. 60. *In ſinum maritus imber fluctus.*] Lego, *fluxus.* Ita apud Lucanum:

— *æther*

— *æther defluxus in Auſtrum.* Pythœus, *fluxit almæ conjugis.*

v. 61. *Vt fietus immixtus omnis aleret magno corpore.*] Dixi, & non muto, legendum *fœtus:* ex ſententia, & Virgilio, quem expreſſit. Turbat me tamen quòd inſolens eo loco poëtæ noſtro ſpondæus eſt. itaque per me ſane legatur, *Vtque fœtus mixtus omnes.*

v. 62. *Ipſa vernas atque mentem.*] Pythœus, *Ipſa venas.*

v. 68. *Ipſa Troianos nepotes in Latino tranſtulit.*] Idem, *in Latinos.*

v. 71. *Romuleas.*] Scribe, *Romulaas.*

v. 72. *Vnde Rames & Quirites, proque pr. poſt.*

*Romoli matrem crearet, & nepotem Cæſarem.*] Falſa lectio. Quid? an ex nuptiis Sabinarum cum Romanis creata mater Romuli? Atqui Romulo jam regnante junctæ illæ innuptæ nuptiæ: nedum ut ex illis Romulo mater. Perſevero ergo legere,

— *proque prole poſterûm*

*Romoli, patrem cr. & n. Cæſarem.* ſententia non dubie in gratiam Auguſti; Venus, inquit, conciliatrix fuit Romanorum Sabinarumque nuptiis, ut ex iis Rhamnes & Quirites crearet, & in poſtera ſæcla utrumque Cæſarem, patrem cum nepote.

v. 77. *Hunc ager cùm parturiret, ipſa ſuſcepit ſ.*] Lego & diſtinguo,

*Hunc ager cùm parturiſſet ipſa, ſuſcepit ſinu:*
*Ipſa florum delicatis educavit oſculis.*

v. 80. *Ecce iam ſuper geneſtas explicat * aonii la-*

*latus.*] Pythœus, *aëdon.* Aut ego me amo, aut Phœbus me amavit, cum correxi, *explicant agni latus*: Nec ſane ſignificantius exprimi potuit decubitus ille ovium in latus, quaſi apricantium. Id enim ſolent ſuper geniſtas, myricas & humiliores frutices.

v. 81. *Quiſque tuus quo tenetur.*] Fortaſſe, *Quiſque cœtus continetur.*

v. 85. *Adſonant aërei puellæ.*] Eleganter Pythœus, *Adſonant Terei puellæ.*

v. 86. *Vt putas motus amoris.*] Lego *putes*, & deleo ubique notam rogandi. Nec plura de hoc Pervigilio, ne ipſe pervigilem.

P.P.

P. P.

# NOTÆ

*IN*

PERVIGILIVM

VENERIS.

Excuſus eſt Lutetiæ anno cIɔ Iɔ LXXXVII Petronius elegantiarum Arbiter elegantiſſimis Mamerti Patiſſonii typographi Regii typis; cui Editioni adjecta ſunt veterum quorundam poëtarum carmina non diſſimilis argumenti; ſive ERRONES VENEREI; quorum principem locum obtinet PERVILIUM VENERIS, cum hac Præfatiuncula P.P.

LECTORI.

Qui mos Veteribus cùm deſperatos ante januas collocarent, ut vel extremum ſpiritum redderent terræ, vel poſſent à tranſeuntibus fortè curari; idem mihi conſilium fuit in deponendis hujus Poëmatis, ſanè antiqui, ſive Catulli, ſive alterius ſit, relliquiis; quarum ego ſalutem commendatam cupio vel Medicorum pueris, dum quâ fide à nobis exhibentur de vetuſtiſſimo, ſed unico exemplari, eâdem, ut par eſt, ab omnibus tractentur.

* * * * *

*Cras amet, qui nunquam amavit; quique amavit, &c.*

P. P.

P. P.

# NOTÆ

IN

## PERVIGILIVM VENERIS.

De hoc Poëmatio Deſiderius Eraſmus in Proverbiis *Meminit, inquit, de Amyclarum ſilentio & Catullus, niſi fallit inſcriptio Carminis* DE VERE, *quod nuper nobis Aldus Manutius noſter exhibuit, repertum in antiquiſſima quadam Galliæ bibliotheca.* Sed & poſt Eraſmum Lilius Gyraldus Dial. x. De Poëtis; *Aldum Manutium memini dicere, ſe Catulli poëma habere, quod* VER *inſcribitur. Idem & Eraſmus fatetur: necdum tamen mihi illud videre contigit.* De utroque uni Eraſmo facile credimus, qui magnam veterũ Romanorum ſcriptorum partem Galliæ bibliothecis pridem deberi ſcimus: & tamen potuit bonos viros de altero fefelliſſe exemplar, quandoquidem & in illo ſane vetuſtiſſimo & fidei multæ, ex quo hæc primum edita ſunt, non longo intervallo præcedit *Epithalamium Q. Valerii Catulli*: cujus eſſe vix agnoſcas, quod Pervigilii hujus auctor in Cæſarum gratiam cecinit. Et illa tamen ætatem arguunt, majorem omnino, quam quod ex hoc

ipſo poëmate verſus quoſdam ſacrificali ſuo carmini inſeruit Fulgentius Afer Mytholog. lib. 1. quaſi παρῳδηζας, ita :

*Vbi guttas florulentæ mane rorant purpura.*
*Humor algens, quē ſerenis aſtra ſudant noctibus.*

Genus carminis, ut illud Tiberiani :

*Aureos ſubducit ignes ſudus ora Lucifer.*

Subſcriptio ipſa præfert dictum non VERI, ſed VENERI; quam Plautus facete *Noctuvigilam* appellavit, pervigilio triduano. Quale fuiſſe & illud Priapi veriſimile eſt, cujus magna pars apud Arbitrum deſideratur. Sed hæc Commentarii ſunt, non inſtituti hujus.

verſ. 2. — *Ver natas orbis eſt.*] Fortaſſis melius, *Vere natus orbis eſt.* Nam hæc fuit non Judæorum modò, ſed ceterarum ferè gentium, quæ quidem mundo natalem tribuerunt, ſententia: niſi quis mage figuratè ſcriptum malit, *Ver juventus orbis eſt.* aut, *Ver renatus orbis eſt.*

v. 5. *Cras amorem copulatrix.*] Perſpicue legendum, *amorum.*

v. 6. *Implicat gazas virentes.*] Melius, *caſas.* Tibullus :

*Ludit, & ex virgis extruit arte caſas.*

v. 7. — *fulta ſublimi trono.*] Sunt qui malint *thoro.* ſed & in vetuſto Epigrammate de Augusti cœna δωδεκαθεῶν meminimus ſcriptum :

*Fugit & auratos Iuppiter ipſe thronos.*

v. 9. * *Tuno quiuore deſuper huc ſpumeo pont' de glouo.*] An potius,

*Tunc liquore de ſuperno, ſpumeo ponti è globo,*

*caru-*

*Cærulas inter catervas, inter & bipedes equos*
*Fecit undantem Dionem de maritis imbribus.*

Nota ſunt Epigrammata Veterum εἰς Ἀφροδί-την ἀνερχομένην ἀπὸ θαλάττης. & in fragmento Polyhiſtoris Pontici, quod Julio Solino in veteribus libris adſcriptum reperimus, de Venere legas :

—— *quæ ſemine Cæli*
*Parturiente ſalo divini germinis æſtu,*
*Spumea purpureis dũ ſanguinat unda profũdis,*
*Naſceris è pelago, placido Dea proſata mundo.*

v. 14. *Ipſa ſurgentis papillas de faboni paritu.*] Rectius fortaſſis,

*Ipſa turgenteis papillas de Favoni ſpiritu*
*Vrguet in toros ſtupentes* ——

v. 19. *In pudorem florulentæ prodiderunt purpuræ* ] Videtur legendum, *prodierunt*. Nec abs re ſuſpicetur quis, & hæc & alia quædam in hoc carmine confuſa, nec ſuo loco poſita.

V. 21. & ſeqq.
*Mane virgineas papilla ſolvit umenti peplo. &c.*]
Placet conjectura: ( ea Lipſii, & Douſæ eſt.)

*Mane virgines papillas ſolvit humenti peplo :*
*Ipſa juſſit mane ut udæ virgines nubant roſæ ,*
*Fuſæ aprino de cruore, deque Amoris oſculis,*
*Deq; gemmis, deq; flammis, deq; Solis purpuris.*

v. 26. *Vnica marito nodo non * pudent ſolvere.*] An potius,

*Vnico marite nodo non pudebit ſolvere.*

Varro apud Nonium : *Novus maritus tacitulus taxim uxoris ſolvebat cingulum.*

v. 28. *Ipſa nimfas diva loco juſſit ire myrteo.*

*Et puer comis puellis.* — ] Melius,

*Ipſa Nymphas Diva luco juſſit ire myrteo,*

*It puer comes puellis.* — Et paulo poſt, *nudus ire juſſus eſt.* Sic enim infra,

*Juſſit & nudo puellas nil Amori credere.*

v. 35. *Totus eſt inermis idem quando nudus eſt Amor.*] Lege, *in armis.*

v. 40. *Ipſa vellet ut venires, ſi deceret Virginẽ.*] Auctor poematii de Herone & Leandro,

Παρθένον οὐκ ἐπεοίκεν ὑποδρήσσειν Ἀφροδίτῃ,

Παρθενικαῖς οὐ Κύπρις ἰαίνεται. —

v. 41. *Iam tribus choros videres feriatis noctibus*] Melius, *feriatos.* Eſt & pervigilii triduani exemplum apud Livium XIII. ſed hoc Veneris in ſylva, aut nemore, ante diem nuptiarum.

verſ. 45. *Detinent & tota nox eſt perviglia canticis*] An potius? *pervigilata c.* ut apud Cornelium Tacitum, *pervigilata nox convivio.*

v. 50. *Hibla totos funde flores quidquid annis adtulit,*] Omnino legendum, *annus*, vel *Ænnas*, ut apud Arnobium lib. V. vetus exemplar: *Et in altera fabula Ennade nemus.*

v. 51. *Hibla florum rumpereſt equant' ethne cãp-*] An? *Hibla florum rumpe veſtes quantus Ætnæ campus eſt:* ut *veſtium* nomine ſignificet thecas & vaginas florum; & *campi*, planitiem ad radices montis Ætnæ, fontibus floribusque amœniſſimam. Niſi quis malit, *Hibla florum rumpe reſtes quantus Ænnæ campus eſt.* Nam & ſic Plinius *allii reſtes* dixit, & in nemore Ænnenſi flores legens Proſerpina rapta dicitur.

v. 55.

v. 55. -- *pueri mater alitis.* ] Id eſt, Amoris, ſive Cupidinis.

v. 56. *Iuſſit & nullo puellas nil Amori credere.* ] Supra monuimus legendum, *nudo.* id eſt, ſine armis.

v. 57. *Et rigentibus vergentes ducat umbras floribus, &c.* ] Fortaſſis rectius legatur,

*Et recentibus virentes ducat umbras floribus.*
*Cras erit, qui primus æther copulabit nuptias.*
*Vt pater roris crearet vernus annum nubibus,*
*In ſinum maritus imber fluxit almæ conjugis:*
*Vt fetus immiſtus omnes aleret magno corpore.*
*Ipſa venas atque mentem permeante ſpiritu*
*Intus, &c.*

Euripides non apud Ariſtotelem modò lib. VIII. Ethic. ſed & apud Ahenæum lib. XIII. & Stobæum in Phyſicis :

Ἐρᾷ μὲν ὄμβρου γαῖ. ὅταν ξηρὸν πέδον
Ἄκαρπον αὐχμῷ, νοτίδος ἐνδεῶς ἔχῃ·
Ἐρᾷ δ᾽ ὁ σεμνὸς οὐρανὸς πληρούμενος
Ὄμβρου πεσεῖν εἰς γαῖαν ἀφροδίτης ὕπο
Ὅταν δὲ συμμιχθῆτον ἐς ταυτὸν δύο
Τίκτουσι μὲν πάντα, καὶ ἐκτρέφουσ᾽ ἅμα.

Hic etiam confer Virgiliana illa lib. II. Georg.

*Tũ pater omnipotens fœcundis imbribus Æther*
*Coniugis in gremium lætæ deſcendit, & omnes*
*Magnus alit magno commixtus corpore fœtus.*

*Pater* igitur *roris* Juppiter, vel eſt Æther, ut Arnobio lib. V. & Lucretio lib. I. De natura rerum :

*— pereunt imbres, ubi eos pater Æther*
*In gremium matris Terraï præcipitavit.*

Unde illa Virgiliana expreſſa videntur. Et *vernus*, ut Juvenali Sat. v.

*— fremeret ſævâ cum grandine vernus*
*Iuppiter.* — Nec abludunt illa Solini ex Pontico, quæ ſupra.

v. 68. *Ipſa Trojanos nepotes in Latino tranſtulit.*] Melius, *in Latinos.*

v. 71. *Romuleas ipſa fecit.*] Verſus ratio exigit ut ſcribatur, *Romulæas.* & paulo poſt,

*Vnde Ramnes & Quirites: proq; prole poſterum*
*Romuli, patrem creavit, & nepotem Cæſarem.*

v. 77. — *ipſa ſuſcepit ſinu.*] Virgilius:

*— tellure cadentem*
*Excepi, fovique ſinu —*

v. 80.

*Ecce iam ſuper geneſtas explicant* aonii latus,*
*Quiſque tuus quo tenetur coniugali federe.*]

Melius fortaſſis,

*Quique cœtus continetur coniugali fœdere.*
*Ecce, iam ſuper geneſtas explicant tauri latus.*
*Subter umbras, cũ maritis ecce balantũ greges.*

Calpurnius Eclog. I. iiſdem fere verbis:

*Cernis ut ecce, pater quas tradidit, Ornite, vaccæ*
*Molle ſub hirſuta latus explicuere geneſta.*

v. 85. *Adſonant aërei puellæ,*] &c. Scribe potius, ac diſtingue ſic:

*Adſonant Terei puellæ ſubter umbram populi,*
*Vt putes motus amoris ore dici muſico;*
*Et neges queri ſororem de marito barbaro.*
*Illa cantat, nos tacemus. quãdo ver venit meũ?*
*Quando fiet muta chelidon, & tacere deſinam?*

NOTARVM PARISINARVM
*FINIS.*

## IANVS DOVSA F.

*Ipſo fine Notarum in Triumviros Catullum, Tibul. Propert.*

Colophonem & faſtigium imponet his Notis Pervigilium Veneris. in quo tantum pauca & levia monebo poſt accuratiſſimam caſtigationem clariſſimi Lipſii. Quod antequam faciam, non abs re videor facturus, ſi Fragmentum nondum editum, ex altero quodam Pervigilio Veneris elegantiſſimo, ſed nimis Latino, hic apponã. quod a nobili & docto adoleſcente Hieronymo Groſlotio Liſlæo integrum alicubi in Gallia extare comperi. cæterum is hos quatuor tantùm verſus in memoria habebat, quos nobis recitavit. eorum intercalare erat primum Trochaicum:

*Nemo tentis mentulis det nemo nervis otium.*
*Ecce paſſeres ſalaces, ecce rauci turtures*
*Hac ſuper virente myrto nos amoris admonent*
*Cum puellis dulce inire veſticontubernium.*
*Nemo tentis &c.*

Vocem *veſticontubernium* etiam Petronius utitur: *Et quid agebas, inquit, frater ſanctiſſime? quid veſticontubernium facis?* Hoc quid ſit, explicat Epigrammatarius Græcus:

ἡδὺ δὲ καὶ ὁπόταν κρύψῃ μία τοὺς φιλέοντας
χλαῖνα.

Sed ad rem veniamus:

v.7. *Cras Dione iura d. fulta ſublimi throno.*] Hinc ποικιλόθρονον vocat Ἀφροδίτην Sappho. quamvis id vel de variegata & florida Veneris veſte accipi poſſit, argumento illius Homerici Iliad. x, ἐν δὲ θρόνα ποικίλ' ἔπασσε. vel de variis pharmacis quæ mortalibus propinat Venus, *curis hominum gaudia miſcens*, ut Catullus loquitur. Nam cùm πολύθρονος dicatur multa habens θρόνα ſeu pharmaca, ejuſdem vocabuli vim ad ποικιλόθρονον etiam extendi poſſe ratio ſuadet.

v.14. *Ipſa ſurgentes papillas.*] Rectum puto *ſurgentes* quod interpretor tumeſcentes ac ſororiantes, & veluti ſtrophio obnitentes, atque, ut cum Catullo dicam, *luctantes*. eas *horridulas* vocat Plautus in Pſeudolo: *Papillarum horridularum oppreſſiunculæ*.

v.26. *Vnico marito nodo.*] Quid ſi: *maritinodo*, ut ſit ὑφὲν?

v.45. *Detinent, & tota nox eſt pervigila cantibus.*] Alii, *pervigilata*. ſic Tacitus *vigilatam convivio noctem* dixit XIII Annalium.

EXCER-

# EXCERPTA EX NOTIS IOHANNIS WEITZII TYRIGITÆ.

## AD PERVIGILIVM VENERIS.

De Auctore huius elegantiſſimi Carminis ambigunt, litemque dubiam faciunt viri ſummi & in re litteraria facilè principes, Scaliger ille Phœbi ocellus ad Catullum, pag. 4. & litterati gloria ſæculi Lipſius lib. I. Electorum cap. V. Quorum exemplum & quidam minorum Dii gentium ęmulantur. Stilum igitur hic interponere decretorium, *periculoſæ plenum opus aleæ eſt:*

*Nec noſtrum, inter eos tantas componere lites.*

Saltem adſcribam, quæ Caſpar Barthius lib. XVI. Adverſariorum, cap. VI annotat: *Hoc monere*, inquit, *de univerſo hoc Carmine volumus, ſcriptum nos exemplar habere, ubi* SENECÆ *adſcribitur eſſe expreſſe.* Et lib. XLIV, cap. VII. *Auctor Pervigilii Veneris nec* CATVLLVS, *nec* VRBICARIVS: *forte* SENECA. Carmen ipſum floridum eſt, & haut invita natum Venere; nec illa Dea indignum; vereque Ἔρωτα πνεῖ, Ἀφροδίτην προξενεῖ, *Amorem ſpirat, Venerem conciliat*; ut eſt apud Achillem Tatiũ in divino Roſæ encomio: atque adeo,

 Tam

*Tam liquidũ, tam dulce ſonat, ut non ego malim,*
*Quod Peligna legunt examina, lambere nectar.*

PERVIGILIVM.] Vetus Gloſſarium : *Pervigilium*, Παννυχισμὸς, καὶ ἡ διὰ νυκτὸς ἀγρυπνία, *Pervigilatio*, Παννυχὶς. *Pervigilat*, Παννυχίζει. & alterum : Παννυχὶς, *hoc ex cubium*, *pervigilium.* Debebatur Veneri, quam Plautus facetè *Noctuvigilam* appellavit, triduanum ; ut eſt infra, verſ. 41. Vide Ianum Guilielmium in Curculionem Plauti, cap. III.

Verſ. 2. *Ver canorum*] Propter aviculas, *quæ prolectante verno tepore concentus ſuaves adſonant*, ut ait Apuleius lib. XI.

Ibid. *Ver renatus orbis eſt.*] Baſilius Magnus Homil. VI. Hexaëm. ἐπανάγει τὴν εὐκρασίαν, καὶ γίνεται ἔαρ, πᾶσι μὲν φυτοῖς τῆς βλαστήσεως ἀρχηγὸν, δένδρων δέ τοῖς πλείστοις παρέχον τὴν ἀναβίωσιν. ζωοῖς τε δέ χερσαίοις καὶ ἐνύδροις ἅπασι τὸ γένος φυλάσσον ἐκ τῆς τῶν ἐπιγινομένων διαδοχῆς. Et quod *Ver* gratiſſimum ſit ex quatuor annorum partibus, teſtis eſt paræmia, qua utimur, cum e re, ſeu negotio quippiam eximium præcipuumque auferri indicamus : *Ver ex anno tollere.* Vide Virgilium II Georg. v. 336. & ibi Interpretes. Calpurnius Eclog. V. v. 21.

*Tunc florent ſilvæ, viridisq; renaſcitur annus.*

Lipſius Phyſiolog. Stoicor. lib. II, cap. IX. legit, *Vere natus orbis eſt.* Vere videlicet natum eſſe Mundum volunt, Sole in Ariete exiſtente. Panegyriſtes ad Maximinianum : *Divinus ille veſtræ Maieſtatis ortus ipſo, quo illuxit, auſpicio Veris illuſtrior, auguſtiore fulgens luminis*

*nis claritate, quam cum* ORIGINE MVNDI NASCENTIS *animavit.* Et ſtatim: *O felix beatumque Ver novo partu! ô tempus, quo meritò* OMNIA NATA *eſſe credantur!* Vide inibi alia quoque: & plura de controverſia, *Num in Vere Mundus creatus*, apud Rodolphũ Hoſpinianum de Origine Feſtorum Iudæorum & Ethnicorum, pag. 5. Eliam Cüchlerum in Problemate, *Verene an Autumno Mundus ſit conditus*; Scaligerum De emendatione temporum; Bernardum Calellium De mundi creatione, & alios.

V, 3. *Vere concordant amores.*] Oppianus dilucide hoc exponit Cyneget. 1. v. 377. Quem locum non parum declarari ait Philologus ille eximius Conradus Ritterſhuſius, collatione eius facta cum Pervigilio hoc Veneris. Vide eundem Oppianum Halieut. 1. v. 473.

Ibid. *nubunt alites.*] Συνουσιάζουσιν, ἢ ἀφροδισιάζουσι. Ioh. Iſaacus Pontanus in Macrob. lib. VII, cap. XVI legit, *pubent*, h. e. vernant. Porro de Vere elegantiſſimam habes deſcriptionem Anthologiæ lib. 1. quam inde pete, & confer ejus latinam metaphraſin C. Ritterſhuſii ex Commentario ad lib. 1. Halieut. Oppiani.

V. 4. *Et nemus comam reſolvit.*] Ἀνοίγει τῶν φύλλων τὰ χείλη, ut loquitur Achilles Tatius lib. II. de Roſa. *Comam.* φύλλα ſeu frondes, arborum comæ ſunt ſive crines. Vide Indicem Dracontii mei in *Comæ*, & Hadrianum Iunium in Commentario de Coma, cap. IV.

Ibid.

Ibid. *de maritis imbribus.* ] Venuſta tranſlatio ab hominum conjugatione ad res alias. Virgil. II. Georg. v. 325.

*Tū pater omnipotens fecundis imbribus Æther*
*Coniugis in gremium læta deſcendit.*

Lucret. I. v. 246. Claudian. II. de Raptu, v. 89. de Zephyro:

— *Et glebas fecundo rore maritat.*

De Nilo Alcimus lib. I.

*At poſtquam largo fecundans germina potu*
*Lymfa maritavit ſitientis viſcera terræ.*

Vide quæ ad Horatium noto, Epod. II. v. 10.

V. 5. — *inter umbras arborum.*] Mater enim amorum circumfuſa umbræ nebula oberrare ſolet. Favet enim furtis Veneris umbra: pavidos alioqui amatores confirmat, & velo ſuo involvit. Iohan. Wouvver. de Vmbra, cap. XXIV.

V. 6. — *de flagello myrteo.*] Iſidorus Origin. XVII. cap. V. & VI *Summitates vitium & fruticum, flagella nuncupantur.* Myrtum eſſe frondem Veneris, ex omni prope antiquitate didiſcimus. Ideoque peculiari epitheto dicta eſt a Virgilio *Paphia,* II. Georg. & *Cythereïa* Ovidio. (*Vide uberiores Notas, aut Carolum Paſchalium in Opere Coronario, lib.* VII. *cap.* XVIII *&* XIX.)

V. 7. *Cras Dione.*] Mater Veneris. hic pro ipſa Venere. Et quoties *Dione* pro Venere? Scaliger in Senecæ Medeam. v. 661.

Ibid. *Fulta ſublimi throno.*] Caſaubonus ad Suetonium, lib II pag 145 hic legere mavult, *toro*, Seneca Agamemnone, v. 9.

*Hoc*

—— *Hoc ſedent alti toro,*
*Quibus ſuperba ſceptra geſtantur manu.*

V. 9. — *ſpumeo ponti è globo.*] Venus ex mari concepta dicitur, quoniam ex humecta natura conſurgit coëundi aviditas. Hinc & *ſalax* dictus homo Venerius & libidinoſus, a ſalo. Sane Venus Ἀφροδίτη dicta, quod e maris ſpuma ſit nata, juxta Heſiodum. Et rationem aſſignat Ioach Camerarius ſenior Ὕπον. decur. 1. cap IV. Ariſtoteles tamen lib. II. de Generat. animal. ita vocatam Venerem tradit, quod ſeminis natura ſit ἀφρώδης, id eſt ſpumoſa. Vide Notas ad Dracontiũ, v. 276. & ad Muſæum, v. 249. *& uberiores Notas in Pervigil.* Aliam tamen ab iſtis rationem aſſignat ὁ θαυμάσιος Heinſius, qui in Ariſtarcho ſeu Exercit. ſacrar. cap. 1. Ἀφροδίτην dictam aſſerit, quod Luciferum aut Venerem ſtellam, maris unda, ut Poeta loquitur, perfuſam mane ſalutaret. Vnde & *Frutinal* Romanis, ut & *Fruti,* quæ eſt ipſa *Aphrodite.*

V. 10. *Cærulas inter catervas.*] Nereides ac Neptuni pecudes. Seneca Hippol. v. 335. *Cærulus grex Nereidum.*

Ibid. *bipedes equos.*] An ita appellat, quia pectoribus tenus molles eriguntur in auras? ut loquitur de Tauro Ovidius, XV. Metam. v. 512. Virgil. IV. Georg. v. 388. de Proteo,

—— *magnum qui piſcibus æquor,*
*Et iuncto bipedum curru metitur equorum.*

Turnebo lib. XXVI, cap. XXIII. *Neptunii equi,* hippocampi, qui priores pedes habent, poſterio-

ſterioribus carent, ſed pontum legunt & natant. Statius 1. Achilleid.

*Pone natant, delentque pedum veſtigia cauda,*

V. 11. *Fecit undantem.* ] Ἐξ ἁλὸς ἀφρολόχευτον, ut Nonnus Dionyſ. lib. XLI, v. 99. loquitur. Vel, ut Anacreon,

Χαροπῆς ὅτ' ἐκ θαλάσσης
Δεδροσωμένην Κυθήρην
Ἐλόχευε πόντος ἀφρῷ.

V. 13. *purpurantem pingit annum.*] Pindarus Pyth. IV. φοινικανθέμου ἦρος ἀκμᾶν, *Veris purpureos-habentis-flores vigorem* dicit. Apud Apuleium lib VI. in nuptiis Cupidinis & Pſyches, *Horæ* dicuntur *roſis & cæteris floribus purpurare omnia.* Et lib. X. *Quod Ver in ipſo ortu iam gemmulis floridis depingeret & iam purpureo nitore prata veſtiret.* Ver autem *pictor mundi* non temere cuidam veterum appellatur: tanquam de Apelle, aut acupictore Phrygione ſermo eſſet, qui colorum varietate multijuga ſuam illuſtrant & diſtinguunt picturam. Vid. Not. *Gemmeis floribus.*] Inſtar gemmarum lucentibus, annumque ſuaviſſima varietate diſtinguentium aut condecorantium. V. N.

V. 14. *Ipſa turgentes papillas.* ] *Turgere* aut *tumere* proprie virginum eſt, quarum plena pubertate habitus viro maturus eſt, toto velut corpore tumeſcente, præſertim pectore & mammis. Vnde & *tumida virginitas* à Papinio dicitur II. Thebaid. & Cypriano in Sodoma, de Lothi filiabus, *Virginitas in flore tumet. Papillas.*] Catullus in Argonaut. *Strofio lu-*

*luctantes* appellat *papillas*. Nonnus lib. XII. v. 393. οἰδαλέην ἀκαμπέος ἄντυγα μαζοῦ. Pulchre Martialis lib. VIII. epigr. LXVIII.

*Et talis tumor excitat papillas,*
*Qualis cruda viro puella ſervat.*

Idem *creſcentes* dixit; Prudent. in Symmach. II. v 38. *tumidas*, Maximinian. *duras ſtanteſque.*

V. 15. *Vnguet* (ita laudat, cum Lipſius aliique ediderint *Vrguet*) *in toros tepentes*] *Vnguento enim fragantiſſimo proluviū libidinis ſuſcitatur,* ut habent verba Apuleii lib. X. Sicuti inibi, *matrona quædam pollens & opulens, cuncto prorſus ſpoliata tegmine, de ſtanneo vaſculo, ſeſe perungit oleo balſamo,* &c. vide locum.

V. 16. *Noctis aura quem relinquit.*] Non aſſentior, inquit doctiſſimus Iohan. Wouvverius ad Apuleium, hîc corrigenti: *quum reliquit.* Ipſa Dione ſpargit humorem roris, quem relinquit aura lucidæ noctis.

V. 17. *micant lacrimæ* ] Pulchra tralatione *roris guttas* nuncupat *lacrimas*. Apud Achillem Tatium lib. VI. pag. 149. τὸ τῶν δακρύων πε-αίνεσθαι, τὸ δὲ μέλαν πορφύρεσθαι, καὶ εἶναι ὅμοιον, τὸ μὲν ἴῳ, τὸ δὲ ναρκίσσῳ. Sicut verſa vice *ros* pro *lacrimis* poni amat. V. N.

v. 17. *decidivo pondere.*] *Decidivum & deciduum.* Nonius Marcellus cap. II. n 241. *Pondere.*] Eſt etiam rebus minutiſſimis ſuū pondus; ut hic guttæ. Virgil. Culice, v. 7. *Pondere vel Culicis levior.* Plautus Perſa, 2, 2. *Neque tipulæ levius pondus eſt.* Et quid levius pondere guttæ? & tamen aliàs dicitur, *Gutta*

*cavat*

*cavat lapidem.* De quo V. N. 1 Pont. 1. 70.

V. 21 *humenti peplo* ] Omnis veſtis *peplo* denotari videtur. Simile quid notat elegantiſſimus Barthius ad Claudian. pag. 458.

V. 22. *virgines nubant reſæ* ] Id eſt, velent. Onomaſticum: *Nubo*, Καλύπτω. Eſt enim *nubo* proprie operio. Arnob lib. III *Quod aqua nubat terram, appellatus eſt Neptunus.*

V. 25. *Cras ruborem ſolvere* ] Vt apud Virgil. IV. Æneid. *pudoris aura ſolvere*, & *ſolvere pudorem*: quod eſt, clauſtra pudicitiæ effringere, diſrumpere, ſolvere: interprete Tiraquello Connub. 9. n. 154.

V. 26 *mariti nodo.* ] Feſtiva tralatio. qua & uſus Lucretius lib. IV, v. 1146. — *validos Veneris perrumpere nodos.* V. N.

V. 30 *ſi ſagittas vexerit.* ] *Vehere* hic eſt recondita habere arma. Alcimus ad Fuſcinam ſororem, v. 755. dixit, *Vehere fercula.*

V. 35. *Totus eſt in armis idem.* ] Ea *arcum*, *ſagittam*, *ignem* ſupra nominat. V. N noſtras ad Ovid. 1 Amor. v. 20 Porro *hominem in armis* & *ſub armis*, armatum vocabant. Virgil. Plura huius notæ obſervavit eruditiſſimus Salmaſius ad Trebellium Pollionem, pag. 323.

V. 38. — *virgo Delia.* ] Diana, quia in Delio nata, V. N.

V. 40. *Ipſa.* ] Domina, Venus.

V. 42 *Congreges inter catervas.* ] Gloſſ. ὁμόφυλος, *tribulis, congrex, gentilis.* Auſon. ep. ad Paulin. *congrege vulgo Anguſtas fervere vias.* Et Idyll. XI. Lege Scaligerum Auſon. Lection.

ction. lib. 1. cap. XVII. *Segrex* extat apud Prudentium. V. N.

V. 44. *Nec Ceres, nec Bacchus abſunt.*] D. Hieronymus adverſus Iovinianum lib. II. *Eſus carnium, & potus vini, ventriſque ſaturitas, ſeminarium libidinis eſt. Vnde & Comicus:* Sine Cerere, *inquit*, & Baccho friget Venus.

Ibid. *Poetarum Deus.*] Id eſt Apollo.

V. 45. *perviglanda canticis* ] Ita in libro vetuſtiſſimo & optimo ſcriptum reperiri, teſtis eſt prę̄ſtantiſſimus Salmaſius ad Trebell Pollionem, pag. 303. *Vigla*, pro *vigilia.* unde *βίγλαι* Græcis barbaris. inde hic verbum *perviglare.* Vide ibidem alia huius commatis.

V. 48. *ſtare floribus.*] Id eſt, oppleri, ornari, redimiri, conſpergi Sic apud Virgil VI Æneid. *ſtant lumina flamma*; valet, pleni flamma ſunt oculi. ut & XII Æneid. dixit: *Iam pulvere cœlum ſtare.* quod eſt, oppletum eſſe pulvere. V. N.

V. 50. *adſidebunt Gratiæ* ] Scribit Phornutus, aſſidentes Venerem ſibi habere Gratias, & Suadelam, & Mercurium. Venus Gratiarum choro ſtipatur, & toto Cupidinum populo comitatur, apud Apul. lib. II. VI & X. V. N.

V. 51. *Hybla florum rumpe veſtem.*] Iucunda oppidò perquam tralatio: cuius exempla require in Indice Dracontii.

Ibid. *quantus Ennæ campus eſt.*] Campus Ennenſis in floribus ſemper eſt, & nullo non tempore vernus: ut ait Solinus & Cicero, & utroque prior Ariſtoteles inter Naturæ mi-

racula refert. De *Ætna* (ut legit Pythœus) Claudian. lib. 1. de Raptu, v. 72. *Ætna parens florum.* ubi vide ſequentia; quanquam Parrhaſius *Enna* pro *Ætna* legendum eſſe contendat quem vide in Comment.

V. 53 *vel puellæ montium.*] *Vel* pro *&*. Exempla convaſavit Salmaſius in Not. ad Capitolin. pag. 90. ad Lamprid. pag. 184, & ad Capitolin pag. 260.

V. 59 *Vt pater roris.*] Pindarus Olymp. XIII. ὕδατα ὄμβρια nominat παῖδας νεφέλης, *aquas pluvias, nubis filias.* Hanc in rem aliquammulta comportavit Ritterſhuſius ad Oppian. 1. Halieut. v. 735.

V. 60. *In ſinum maritus imber*] Arnob lib. V. *Vos Iovis & Cereris coitum, imbrem dicitis, dictum telluris in gremium lapſum &c.* V. N.

V. 62. *mentem permeante ſpiritu.*] Docebat Empedocles *mentem ſacram*, id eſt, Deum, per univerſa diffuſam, vegetare atque movere omnia *&c.* Illa mens hic *Veneris* nomine inſignitur, ut vult ingenioſus Barthius ad Claudianum. (*Ad verſus proxime ſequentes vide uberiores Notas.*)

V. 65. *Tramite.*] Turpiculum quid hic latet. V. N.

V. 66. *Imbuit.*] Sæpe hoc verbum ad rem traducitur Veneream. Horatius, Valerius Flaccus, Silius, Nemeſianus. V. N.

V. 68. *Ipſa Troianos nepotes, &c.*] Virgil. in Æneide.

V. 69. *Laurentem puellam.*] Laviniam, Lati-

ni Regis, qui Laurenti regnabat, filiam. *Coniugem nato*] Æneæ.

V. 70. *Moxque Marti de ſacello dat pudicam virginem* ] Dionyſius nominat *Iliam Veſtalem.* Livius lib. I. *Rheam Silviam.* V. N. *De ſacello.*] *De* pro *ex* Tertullianus de Præſcriptionibus: *Et ipſe Chriſti traditor de Apoſtolis fuit.* Vide plura exempla apud Adamum Dürrerum de particulis lat. linguæ, in *De*.

V. 72. *Vnde Rhamnes* ] *Rhamnes* alii a Romulo appellatos; alii *Rhamnes* & *Luceres* vocabula eſſe Tuſca volunt, ut refert Varro lib. IV. Ovid. III. Faſtor. v. 131. In Arte v. 342. Horatius in Arte Poëtica:

*Celſi prætereunt auſtera poemata Rhamnes.*

Id eſt, equites, vel juvenes feroces atque elati; Lambino interprete, & Turnebo lib. III. cap. II. Vide Sex. Aurel. Victorem de Viris illuſtribus, cap. II.

Ibid. *Quirites* ] Feſt. & Iſidor. Orig. IX. cap. II. Gloſſ. ἀνὴρ Ῥωμαῖος, *Quiritis.* Et alterum: *Quirites,* πολῖται Ῥωμαῖοι.

V. 75. *Rura fœcundat.*] Gloſſ. γονοποιῶ, *fecundo.* V. N.

V. 80. *ſuper geniſtas.* ] Clariſſimus Zehnerus in Nomenclatore idem ait eſſe, quod *Spartum* & *Spartium*, Germanice, **Pfrimmen.** Adi Plin lib. XXI. cap. XII. & lib. XXIV. cap. IX.

V. 81. *Quisque cœtus.*] Vniverſe hoc verum. V. N.

V. 83. *Iam loquaces ore rauco cygni.* ] E Virgilio II Æneid. v. 458.

*Dant ſonitum rauci per ſtagna loquacia cygni.*

V. 85. *Adſonant Terei puellæ.* ] Philomela & Progne: de quibus abunde Naſo Metamorphoſ. lib. VI. ad quem viſe. Vide & N.

V. 87. *De marito barbaro.*] Tereo, qui & Ovidio d. l. *Barbarus* indigitatur.

V. 88. *Quando ver venit meum?* ] Signum pro re ſignata. *Ver* ponit pro ipſa hilaritate, ad quam invitant florentia Veris tempora. Adi Horat. I. Carm. IV. Q. d. Quando ille tandem illuceſcet mihi dies, ut, veterno excuſſo effundatur animus in lætitiam & ſenſibus imis voceque ac geſtu eandem explicem atque expromam? V. N.

V. 89. *Quando fiet muta chelidon.*] Ita legendum, pro *facit*; quod metri ratio non admittit. Hirundines tempore hiberno conticeſcunt.

Pergit

# Pergit LIPSIUS

## CAPITE ELECTORUM QUINTO:

Addam alterius rei, poëtæ tamen, ut videtur, ejuſdem verſus; quos neſcio quis baro indigitavit, FLORIDUM DE QUALITATE VITÆ. Repperit in hiſdem ſchedis ſuis Pythœus.

## FLORIDI DE QUALITATE VITÆ.

I.

*BACCHE vitium repertor plenus adſis vitibus,*
*Effluas dulcem liquorem comparandũ nectari,*
*Conditumq; fac vetuſtum, ne malignis * ſuenulis*
*Aſperum dicat ſaporem verſus uſus in alteros.*

II.

*Omnis mulier intra pectus celat virus peſtilens:*
*Dulce de labris loquuntur, corde vivunt noxio.*

III.

*Sic Apollo, deinde Liber, ſic videtur ignifer.*
*Ambo ſunt flammis creati, proſatique ex ignibus.*
*Ambo de comis calorem & * radio conſerunt:*
*Noctis hic rumpit tenebras, hic tenebras pectoris.*

IV.

*Quando ponebam novellas arbores mali & pyri,*
*Cortici ſummæ notavi nomen ardoris mei:*
*Nulla fit deinde finis vel quies cupidinis.*
*Creſcit arbor, gliſcit arbor, ramus implet litteras.*

V.

*Qui mali ſunt, non fuere matris ab alvo mali:*
*Sed malos faciunt malorum falſa contubernia.*

VI.

*Sperne mores tranſmarinos, mille habent offugia.*
*Cive Romano per urbem nemo vivit rectius.*
*Quippe malim unũ Catonẽ, quã trecentos Socrates.*

VII.

*Tam malum eſt habere nummos, non habere quam malum eſt.*
*Tam malum eſt audere ſemper, quam malum eſt ſemper pavere.*
*Tam malum eſt tacere multum, quam malum eſt multum loqui.*
*Tam malum eſt foris amica, quam malum eſt uxor domi.*
*Nemo non hæc vera dicit, nemo non contra facit.*

VIII.

*Conſules fiunt quotannis & novi Proconſules:*
*Solus aut Rex, aut Poëta non quotannis naſcitur.*

P. S.

Vel hi numeri, quos adſcripſi, indicant eſſe Excerpta, atque alicuius Florilegi opus: qui Flores ſuos *Florida* appellavit. Lucretius:

*Floriferis ut apes è ſaltibus omnia libant,*
*Omnia nos itidem decerpimus aurea dicta.*

NO-

# NOTÆ.

Nihil hæc ad venuſtatem prioris illius carminis: ſed ſunt haud dubie imperiti alicuius ſarcinatoris ablecta. Primum illud de Baccho inſipidum: nec florem vini olet, ſed floces eorum quos non nomino. Tamen emendo — *ne malignis vernulis,*

*Aſperum duat ſaporem* --

Intelligi vult, Ne vinum acetum fiat, & potui præbeatur ſervis admixta aqua. *Duat* enim pro *Det*. Poſca autem vernularum & ſervorum, ex aceto. Pythœus, *ne malignis venulis*

*Aſperum ducat ſaporem verſum in uſus alteros.*

Ablecto tertio,

*Ambo de comis calorem & radio * conſerunt,*

mutilum verſum expleo repetita voce, quæ delituit, ut ſolet, in fine prioris, & ſcribo,

——— *radio dio conſerunt.*

Uterque calorem, inquit, a divino radio conſerit, & Phœbus & Bacchus. Græca phraſis eſt, *Conſerere calorem*. Pithœus,

——— *& radios ambo conſerunt.*

IV. *Creſcit arbor, gliſcit arbor* — Pythœus, *gliſcit ardor.*

VI. ——— *mille habent offugia.* Idem, *offucias.* & ſtatim,

*Cive Romano per orbem.*

VII. —— *quam malum eſt ſemper pavere.* Scribe, *ſemper pavor.*

Fruere, mi Lector, quiſquis poëſim amas, hoc Pithœi dono, fruere.

HACTENUS LIPSIUS.

Editio Epigrammatum & Poematiorum veterum, quæ excudebat Pariſiis Dionyſius Duvallius typographus anno CIↃIↃ LXXXIX. repræſentat ex Floridis his V, VI, & VII. pag. 22. & 23. appoſito aſteriſco ad nomen * FLORIDI: Antea quoque aliud Floridum. & in Notis monemur, *Floridos*, ex ſententia doctiſſimi viri, eſſe locos inſignes excerptos, ut qui Apuleii hoc titulo extant FLORIDORUM LIBRI.

Diſerte & ibidem excuſum, *mille habent offucias*. & ſtatim:

*Cive Romano per orbem nemo vivit rectius.*

Florido ſeptimo:

*Tam malum eſt audere ſemper, quam malum eſt ſemper pavere.*

Scribendum monet Lipſius, *pavor*. Cl. Salmaſio placere heic *pudor*, video me ad oram annotaſſe: ſed unde acceperim, non additur.

Florido tertio, lege potius:

*Ambo de comis calorem, ambo radios conſerunt.*

Eundem facit Caſpar Barthius cum Autore Pervigilii Veneris, Adverſar. lib. LVI, cap. V. Ubi ita ſcribit: Bacchi autem & Apollinis paria eſſe numina, paresque effectus, docet nos non inepte Auctor Pervigilii Veneris,

*Sic Apollo, deinde Liber, ſic videtur ignifer,* &c.

quæ habes Florido tertio.

# CVPIDO

## CRVCI-AFFIXVS.

AUSONIUS

# GREGORIO FILIO
*Salutem.*

An unquam vidiſti nebulam pictam in pariete? Vidiſti utique, & meminiſti. Treviri quippe in triclinio Æoli fucata eſt pictura hæc: *Cupidinem cruci affigunt mulieres amatrices,* non hæ de noſtro ſæculo, quæ ſponte peccant: ſed illæ Heroicæ, quæ ſibi ignoſcunt, & plectūnt deum. quarum partem in Lugentibus campis Maro noſter enumerat. Hanc ego imaginem ſpecie & argumento miratus ſum: deinde mirandi ſtuporem transtuli ad ineptiam poëtandi. Mihi præter lemma, nihil placet. Sed commendo tibi errorem meum. Nævos noſtros & cicatrices amamus: nec ſoli noſtro vitio peccaſſe contenti, affectamus ut amentur. Verum quid ego huic Eclogæ ſtudioſe patrocinor? certus ſum, quodcunque meum ſcieris, amabis: quod magis ſpero, quam ut laudes. Vale.

AU-

AUSONII

# CVPIDO CRVCI AFFIXVS.

Aëris in campis, memorat quos Muſa Maronis,
Myrteus amentes ubi lucus opacat amantes,
Orgia ducebant Heroides: & ſua quæque,
Vt quondam occiderant, leti argumenta gerebant,
Errantes ſilva in magna, & ſub luce maligna,
Inter arundineasque comas, gravidumq; papaver,
Et tacitos ſine labe lacus, ſine murmure rivos.
Quorum per ripas nebuloſo lumine marcent
Fleti olim regum & puerorum nomina flores,
Mirator Narciſſus, & Oebalides Hyacinthus,
Et Crocus auricomans, & murice pictus Adonis,
Et tragico ſcriptus gemitu Salaminius Æas.
Omnia, quæ lachrymis & amoribus anxia mœſtis,
Exercent memores, obita iam morte, dolores,
Rurſus in amiſſum revocant Heroidas ævum.
Fulmineos Semele decepta puerpera partus
Deflet, & ambuſtas * latera per inania cunas
Ventilat ignavum ſimulati fulminis ignem.
Irrita dona querens, ſexu gaviſa virili,
Mœret in antiquam Canis revocata figuram:
Vulnera ſiccat adhuc Procris, Cephaliq; cruentam
Diligit & percuſſa manum. Fert fumida teſtæ
Lumina Seſtiaca præceps de turre puella.
Et de nimboſo ſaltum Leucate minatur
Maſcula Leſbiacis Sappho peritura ſagittis.

Har-

*Harmoniæ cultus Eriphyle mœſta recuſat,*
*Infelix nato, nec fortunata marito.*
*Tota quoque aëriæ Minoïa fabula Cretæ,*
*Picturarum inſtar tenui ſub imagine vibrat.*
*Paſiphaë nivei ſequitur veſtigia tauri.*
*Licia fert glomerata manu deſerta Ariadne.*
*Reſpicit abiectas deſperans Phædra tabellas.*
*Hæc laqueum gerit: hæc vacuæ ſimulacra coronæ.*
*Dædaliæ pudet hanc latebras ſubiiſſe iuvencæ.*
*Præreptas queritur per inania gaudia noctes*
*Laodamia duas, vivi functique mariti.*
*Parte truces alia, ſtrictis mucronibus omnes,*
*Et Thyſbe, & Canace, & Sidonis horret Eliſa.*
*Coniugis hæc, hæc patris, & hæc gerit hoſpitis enſẽ.*
*Errat & ipſa, olim qualis per Latmia ſaxa*
*Endymioneos ſolita affectare ſopores,*
*Cum face, & aſtrigero diademate Luna bicornis.*
*Centum aliæ veterũ recolentes vulnera amorum,*
*Dulcibus, & mœſtis refovent tormenta querelis.*
*Quas inter medias, furvæ caliginis umbram*
*Diſpulit inconſultus Amor ſtridentibus alis.*
*Agnovere omnes Puerum: memorique recurſu*
*Communẽ ſenſere reum. quamquã humida circũ*
*Nubila, & auratas fulgentia cingula bullas,*
*Et pharetram, & rutilæ fuſcarent lampadis ignem:*
*Agnoſcunt tamen: & vanum vibrare vigorem*
*Occipiunt: hoſtemque unum ſua non loca nactum,*
*Quum pigros ageret denſa ſub nocte volatus,*
*Facta nube premunt trepidantẽ & caſſa parantem*
*Suffugia, in cœtum mediæ traxere catervæ.*
*Eligitur mœſto Myrtus notiſſima luco,*
*Invidioſa deûm pœnis. cruciaverat illic*

*Spreta olim memorẽ Veneris Proſerpina Adonim.*
*Huius in excelſo ſuſpenſum ſtipite Amorem,*
*Devinctum poſt terga manus, ſubſtrictaq; plantis*
*Vincula mœrentem, nullo moderamine pœnæ*
*Afficiunt. Reus eſt ſine crimine iudice nullo*
*Accuſatus Amor. ſe quiſque abſolvere geſtit:*
*Transferat ut proprias aliena in crimina culpas.*
*Cunctæ exprobrantes tolerati inſignia leti*
*Expediunt. hæc arma putant. hæc ultio dulcis.*
*Vt quo quæque perit, ſtudeat punire dolorem.*
*Hæc laqueum tenet, hæc ſpeciem mucronis inanem*
*Ingerit. illa cavos amnes, rupemque fragoſam,*
*Inſanique metum pelagi, & ſine fluctibus æquor.*
*Nonnullæ flammas quatiunt, trepidoque minantur*
*Stridentis nullo igne faces. reſcindit adultum*
*Myrrha uterũ lachrymis lugentibus: inq; paventẽ*
*Gemmea fletiferi iaculatur ſuccina trunci.*
*Quædam ignoſcentum ſpecie, ludibria tantum*
*Sola volunt: ſtilus ut tenuis ſub acumine puncti*
*Eliciat tenerum, de quo Roſa nata, cruorem.*
*Aut pubi admoveant petulantia lumina lychni.*
*Ipſa etiam ſimili genitrix obnoxia culpæ*
*Alma Venus, tantos penetrat ſecura tumultus.*
*Nec circumvento properans ſuffragia nato*
*Terrorem ingeminat, ſtimulisque accendit amaris*
*Ancipites furias: natique in crimina confert*
*Dedecus ipſa ſuum: quod vincula cæca mariti,*
*Deprenſo Mavorte, tulit: quod pube pudenda*
*Helleſpontiaci ridetur forma Priapi.*
*Quod crudelis Eryx, quod ſemivir Harmaphroditus.*
*Nec ſatis in verbis. roſeo Venus aurea ſerto*
*Mœrentem pulſat Puerũ, & graviora paventem.*

*Olli purpureum multato corpore rorem*
*Sutilis expreſſit crebro Roſa verbere: quæ iam,*
*Tincta prius, traxit rutilum magis ignea fucum.*
*Inde truces cecidere minæ: vindictaque maior*
*Crimine viſa ſuo Venerem factura nocentem.*
*Ipſæ intercedunt Heroides, & ſua quæque*
*Funera crudeli malunt adſcribere fato.*
*Tum grates pia Mater agit. ceſſiſſe dolentes,*
*Et condonatas Puero dimittere culpas.*
*Talia nocturnis olim ſimulacra figuris*
*Exercent trepidam caſſo terrore quietem.*
*Quæ poſtquam multa perpeſſus nocte Cupido,*
*Effugit. pulſa tandem caligine ſomni*
*Evolat ad ſuperos, portaque evadit eburna.*

## IOS. SCALIGER

## AVSONIANARVM LECTIONVM *lib.* II. *cap.* XVIII.

In Præfatione in Cupidinem cruciatum: *an unquam vidiſti nebulam pictam in pariete?* Studioſus imitator Plauti ubique Auſonius. Nam & hoc quoque ex Menæchmis Plauti imitatum:

*- Nunquid tu vidiſti tabulam pictã in pariete,*
*Vbi Aquila Catamitum raperet, aut ubi Venus Adoneum?* In ipſo poëmate ſuſpecta mihi ſunt illa: verſ. 17.

*- & ambuſtas latera hæc per inania cunas.*

Sane nullam bonam ſententiam efficiunt. Quare puto legendum:

*- & ambuſtas lacerans per inania cunas*
*Ventilat ignavum ſimulati fulminis ignem.*

*Per inania* hoc eſt. Aëris in campis. Sequitur paulo poſt, v. 24:

*Et de nimboſo ſaltum Leucate minatur*
*Maſcula Leſbiacis Sappho peritura ſagittis.*

Menander de eadem:

— τὸν ὑπέρκομπον
Θηρῶσα Φάων' οἰστρῶντι πόθῳ
Ῥίψαι πέτρας ἀπὸ τηλεφανοῦς.
Ἀλλὰ κατ' εὐχὴν σὴν δέσποτ' ἄναξ.

Ita enim legendum apud Strabonem, & diſtin-

ſtinguendum. *Maſculam* vocat, quia, cum femina eſſet, præcipitem ſe dedit ex illo ſaltu, ex quo tantum ſolebant viri ſeſe impatientia amoris jaculari. Nam propterea dicebatur locus ille, ἅλμα τῶν ἐρώντων, non ἅλμα τῶν ἐρωσῶν. Vnde *ſaltus viriles* vocat Statius: Horatius, & Auſonius noſter vocant eam *maſculam*. Nam ſane doctiſſimus Turnebus id non videtur ſatis aſſecutus eſſe. Primus omnium, ut ait Strabo, Cephalus ex ea petra ſeſe præcipitavit, cum Ptaolan impatienter amaret. Sed concedant mihi lectores, paulum ex Auſonianis caſtigationibus reſpirem, & quædam de Leucate petra, & de ſaltu illo dicam, nunquam antehac audita, ex auctore nondum in vulgus edito, Ptolemæo filio Hephæſtionis ἐκ τοῦ εἰς πολυμάθειαν καινῆς ἱστορίας. Apud illum igitur quæritur, cur apud Bacchyliden Silenus dixerit, Leucada à Leuco Vlyſſi filio cognominatam fuiſſe: qui Zacyntho erat, & ab Antipho interfectus fuit. Eum igitur Leucate Apollinis templum condidiſſe. Ibi petram eſſe vicinam Leucadem, à qua qui ſaltu ſe mitterent, amoris inſania liberari. Cauſſam hanc ex media hiſtoria aſſignat; Venerem ſcilicet poſt mortem Adonidis ſedulo eum ubique terrarum perquiſiviſſe: tandem eum Argis Cypri in æde Apollinis Erithii inveniſſe. Et cum impotentiam amoris ſui Apollini patefeciſſet, ab ipſo ad Leucadem petram deductam juſſu Apollinis ſeſe è ſpecula deorſum miſiſſe. quo facto, morbo amoris defunctam

fuiſſe.

fuiſſe. Cum cauſſam rei quæreret: Apollinem reſpondiſſe: ſeſe crebro obſervaſſe, Jovem, quoties Junonem impotenter deperiret, ibi ſolitum ſedere, & vi mali levari. Sed & Artemiſiam illam, poſt viri Mauſoli mortem, contemptam à Dardano Abydeno, quem non patienter ardebat, dormienti adoleſcenti oculos effodiſſe. Cum tamen ne hac quidem injuria morbus remitteret, remedium à petra quæſiviſſe. Sed fruſtra fuit. Nam ex eo ſaltu periit: ibique ſepulta fuit. Similiter & Hippomedontem Epidamnium propter amorem pueri neſcio cujus ſeſe ex eadem petra jeciſſe. ſed nihilominus ipſum periiſſe. Refert & de Nicoſtrato Comico, eo ſaltu levatum amore Tettigideæ Myrinenſis. Addit Maceten Buthrotium *Λευκοπέτραν* vulgo cognominatum fuiſſe, quod quater eum ſaltum expertus eſſet: & quater hoc remedio amore caruiſſet. Innumeros præterea idem expertos. In his ſenem Bulagoran Phanagoriten, cum amaſſet Diodorum tibicinem. Rhodopen etiam Emiſſenam, quæ geminos fratres ex ſatellitio Antiochi Regis amabat, cum viciſſim ejus ab illis nulla ratio haberetur, animi impotem ſeſe jeciſſe, & animam edidiſſe. Adoleſcentibus nomina erant Antiphonti, & Cyro. Charinus vero Jamborum poëta amavit Erotem Regis Eupatoris à poculis. Et cum fabulæ de ſaltu Leucadis fidem haberet, ſeſe præcipitem miſit: & crure fracto doloris cruciatibus periit. Ac inter efflandum animam hos lepidiſſimos

P ac

ac elegantiſſimos Jambos in medium jecit:

ἔρροις πλανῆτι, καὶ κακὴ πέτρη Λευκάς.
Χαρῖνον αἶ αἶ τὴν ἰαμβικὴν μοῦσαν
καὶ ληθάλωσας ἐλπίδος κενοῖς μύθοις.
τοιαῦτ᾽ Ἔρωτος Εὐπάτωρ ἐρασθείη.

Quin & Nereum quendam Catinenſem ex amore Atticæ nomine mulieris Athenis natæ ſeſe præcipitaſſe. & non ſolum amore ſolutum fuiſſe: ſed etiam vivum incidiſſe in rete jaculum, in quo ſimul cum riſco auri pleno in terram extractus fuit. Cum eo nomine piſcatori, qui ſe extraxerat, litem intenderet, aurum illud ad ſe pertinere: caſu enim ſibi obveniſſe: noctu ab Apolline admonitum incœpto deſtitiſſe. An non ſatis haberet, quod citra vitæ periculum à morbo amoris liber eſſet? quare, ſi ſaperet, de alieno auro litem ne moveret. Hæc ego, quia jucunda ſunt, ut ſpero, neque tamen in vulgi notitiam pervenerunt, præterea neque ab hoc loco aliena erant, quaſi corollarium adjicere volui, ut nihil, quod ad poëtam noſtrum illuſtrandum faceret, intentatum relinqueremus.

ELIÆ

ELIÆ VINETI

# COMMENTARIVS

IN

## AVSONII

## Cupidinem cruci-affixum.

### IN EPISTOLAM.

*An unquam vidiſti nebulã pictam in pariete?*] Idem Auſonius ad Symmachum quarta epiſtola: *me velut aërius bracteæ fucus, aut picta nebula, non longius quam, dum videtur, oblectat.* Illic an recte *nebula* ſcribatur, non ſatis mihi liquet, ſed hîc pro *nebulam* non dubito, quin *tabulam* legiſſet Eraſmus, ſi eorum in mentem veniſſet, quæ ex Plauti Menæchmis adducit Mariangelus. ſunt autem hæc:

*Dic mihi, nunquid vidiſti unquam tabulam*
*pictam in pariete,*
*Vbi aquila catamitum raperet, aut ubi Venus*
*Adoneum?*

Sic è proverbiorum albo eradendum illud, *Nebulam in pariete*, niſi alibi legerit Eraſmus, quo rem nihili & ſomnio ſimillimam ſignificari exiſtimavit.

*Treviri.*] *Treviris* Tilianus codex, de quibus in Claris Urbibus.

*Æoli.*] Pariſienſis liber, *Zoili*, & vetus Tilii codex.

*In lugentibus campis.*] Virgilius ſexto Æneidos,

*Nec procul hinc partẽ fuſi monſtrantur in omnẽ*
*Lugentes campi. Sic illos nomine dicunt.*
*Hic quos durus amor crudeli tabe peredit,*
*Secreti celant calles, & myrtea circum*
*Silva tegit. curæ non ipſa in morte relinquunt.*

*Denique mirandi.*] *Deinde mirandi*, codex Tilianus.

*Poëtandi.*] vox gerundi à deponente *Poëtor:* quo uſos veteres Latinos probat Priſcianus libro octavo.

*Lemma.*] argumentum. λῆμμα. idem verbũ in præfatione Parentalium, & in Jambico ad Probum.

*Nævos noſtros & cicatrices amamus.*] Hoc adagio ſignificatur, turpitudinem noſtram, vitia, ineptias noſtras, nobis placere. *Nevum* autem, non *nævum* ſcripſit, puto, Eraſmus in proverbio, *E nevo cognoſcere.*

*Huic eclogæ patrocinor.*] defendo hanc meam eclogam. Eſt *ecloga* Græcum ἐκλογὴ. quod exponit electionem vetus Gloſſarium: ſed quæ poëmata Theocriti εἰδύλλια, βουκολικάque vulgo inſcribuntur, ac Virgilii Bucolica, hæc antiqui Grammatici *Eclogas* quoque vocant, veluti Servius in tertium, ſeptimum, nonum, eorum Virgilii carminum. *Eclogas* etiam Porphyrio vetus Horatii commentator, Horatii nuncupat *Epiſtolas* & *Satyras*, in epiſtolam ſeptimam libri primi, & in Satyram tertiam, quinctam, ultimam ſecundi Sermonum: ac Au-

Auſonius *Odas* in præfatione Griphi. Hinc *Eclogarium* in titulo Dodecaſtichi de diebus ſeptimanæ.

*Vale.*] Addunt quidam libri, *ac dilige parentem.* Cæterum de hoc Auſonii poetæ filio Gregorio, quem pro *Gregorio Georgium* Jodoci Badii exemplaria nuncúpant, legere licebit, quod monuimus in nonum carmen Parentalium.

IN CARMEN.

*Aëris in campis.*] Elyſios inferorum campos ſic appellat in extremo ſexto Æneidos Virgilius.

*Myrteus lucus.*] Silva myrtea in iis, quæ modo aſcripſimus ex Virgilii ſexto Æneidos. Eſt Myrtus arbor ſacra Veneri. Virgilius in Melibœo,

*Populus Alcidæ gratiſſima, vitis Iaccho,*
*Formoſæ myrtus Veneri, ſua laurea Phœbo,*

Hic autem eſt, quæ παρίσωσις appellatur Euſtathio, πάρισον & ὁμοιοτέλευτον Rutilio, Quinctiliano, Aquilæ. Sunt enim πάρισα, ſive ὁμοιοτέλευτα, vel ὁμοιοκατάληκτα *campis* & *Maronis, amentes* & *amantes*: qualia reperies multa paſſim. Ceterum priores etiam Poëtæ eadem figura libenter uſi reperiuntur. Homerus in prima Odyſſeæ rhapſodia,

Ἐκ γὰρ Ὀρέσταο τίσις ἔσσεται Ἀτρείδαο.

Virgilius id ſecunda Ecloga,

*Dixit Damœtas, invidit ſtultus Amyntas.*

Ovidius primo Faſtorum,

*Ora vides Hecates in tres vergentia partes.*

*Heroides.* ] quas in epiſtola *heroicas* appellavit mulieres.

*Mirator Narciſſus.* ]de quo Epigramma quinctum & ſextum ſupra nonageſimum.

*Oebalides Hyacinthus.* ] Oebali filius, Regis Laconiæ, quæ & Oebalia ab illo apud Virgilium,& Oebaliæ hinc Amyclæ in epiſtolæ viceſimæ quinctæ verſu viceſimo ſexto. Hyacinthus autem Phœbi Apollinis amores in verſu ſexageſimo nono Technopægnii,mutatur in florem libro decimo Metamorphoſeon Ovidii, & Crocus quarto. Adonidis vero cruor eodem decimo, & Ajacis tertiodecimo.

*Tragico gemitu.* ] αἶ αἶ,id eſt,heu heu,gementis,querentis,dolentis vox: quales in quibuſvis Tragœdiis frequentes,non ſolū in illis de Ajace. Qui autem Latinis Ajax, Græcis Αἴας, τȣ̃ Αἴαντος, unde hîc *Æas:* quod nomen ex tragica illa voce αἶ αἶ geminata factum videtur: quam Hyacintho flori (in eum puer Hyarcinthus primus, deinde Ajacis cruor converſus fuit) inſcripſit Apollo, dicente Ovidio,

*Nō ſatis hœc Phœbo eſt. is enim fuit auctor honoris.*
*Ipſe ſuos gemitus foliis inſcripſit: & αἶ αἶ*
*Flos habet inſcriptum: funeſtaq; litera ducta eſt.*

Inter Heroum Epitaphia eſt Ajacis tertium. Salamis autem eſt inſula maris interni, patria Ajacis: unde *Salaminius.*

*Fulmineos Semele.* ] Hæc fuit filia Cadmi & Harmoniæ, auctore Heſiodo in Theogonia. Quomodo autem Jovis adulteri ignibus illa Baccho gravida arſerit, & ut,

*Im-*

*Imperfectus adhuc infans genitricis ab alvo*
*Eripitur, patrioque tener, ſi credere dignum eſt,*
*Inſuitur femori: maternaque tempora complet,*

Ovidius narrat tertio Metamorphoſeon.

*Latera per inania*] *Inania latera, ignavum ignem, ſimulatum fulgur, mare ſine fluctibus, faces ſine igni, ſpeciem gladii inanem*, & alia; eadem dixit figura. Nam apud mortuos verarum rerum ſunt tantum umbræ, & effigies. Vereor tamen, ut ne hic *latera* pro alio aliquo verbo ſit ſuppoſitum.

*in antiquam.*] in feminam. Virgilius ſexto Æneidos. —— *& juvenis quondam, nunc femina Ceneus*
*Rurſus, & in veterem fato revoluta figuram.*

Vide Epigramma ſexageſimum octavum.

*Vulnera ſiccat adhuc Procris.*] Hanc in frutetis latentem pro fera Cephalus maritus interfecit. Fabulam narrant Ovidius, Hyginus, Servius in ſextum Æneidos.

*Fert fumida teſta.*] Puella Ero, cui patria fuit Seſtos urbs Helleſponti in Aſia, & quæ ſe in mare præcipitavit ex ſumma turri, poſtquam vidit Leandrum ſuum ex Abydo adverſi litoris oppido ſummerſum, hæc manu geſtat ſimulachrum fumantis facis, & ignium, illorũ quos noctu ad ſe natanti Leandro curſus dirigendi gratia ſolebat ex ea ſua turri oſtendere. *Teſtas* dici vaſa terrea, annotavimus in Epigramma ſeptuageſimum primum. *Teſtam* hoc loco vocat Auſonius, quem λύχνον, Muſæus. Fulgentius in Mythologicis id Latine

*Lucerna* dixit: & Marcus Varro libro quarto de lingua Latina *Lucernam* eſſe ſcribit, quod vocant Græci λύχνον. Vetus etiam interpres Græcorum Euangeliorum λύχνον *Lucernam* vertit, ac antiquum Gloſſarium. Hoc vas, ex quacunque materia veteres fecerint (nos hodie ferreis, æreis, ſtanneis, vulgo utimur) in id oleum infundebatur: & in oleum immergebatur illud, quod in lychno quia eſſet, id eſt, ἐν λύχνῳ, Græci ἐλλύχνιον, appellarunt, ut Herodotus libro ſecundo de lucernis Ægyptiorum. pro quo Latinum non habeo, quod dem. *Funalium* id quidem exponit vetus Gloſſarium. ſed hoc vocabulum alibi non legi, & neſcio, quam probum ſit. *Funale* fortaſſis ibi legendum. quanquam *Funale* proprie dici video, apud Ciceronem & Valerium de Duilio, id genus facis, quod ex fune cera circumlito ſit. *Ellychnion* ergo Græci vocant, quod ardet in lychno. Græcoque pro ſuo non timuit frequenter uti Plinius Naturalis hiſtoriæ auctor, veluti libro viceſimo tertio, cap. IV. *Ellychnia ex una fiunt claritatis præcipuæ.* & viceſimooctavo, cap. XI. *optime Ellychnio papyraceo, oleoq; ſeſamino. Lucernarum lumen* interdum vertens, ut libro viceſimo primo de junco herba, cap. XVIII. *Vſus ad naſſas marinas, vitilium elegantiam, lucernarum lumina præcipua medulla.* & viceſimo quincto de verbaſco alia herba, cap. X. *Tertia, Lychnitis vocatur, ab aliis thryallis, foliis ternis, aut cumplurimum quaternis, craſſis, pinguibusque, ad Lucernarum lumina aptis.* quum hæc

Diō-

Dioſcoridis Græca interpretaretur, Καὶ τρίτη φλομὶς, ἡ καλουμένη λυχνῖτις, ὑπὸ δέ τινων θρυαλλὶς, φύλλα τρία, ἢ τέσσαρα, ἢ καὶ πλείονα ἔχουσα, παχέα, λιπαρὰ, δασέα, εἰς ἐλλύχνια χρησίμη. Ex quibus Plinii locis & aliis, cognoſces ex multis rebus ſemper fieri ſolita, ſed quæ nos hodie ex goſſipina illa lanugine fere faciamus. Dicebantur autem lychni δίμυξοι qui duas, τρίμυξοι qui tres, πολύμυξοι qui plures myxas haberent, Sic enim *myxas* pro *myxos* ſuſpicor legendum apud Valerium Martialem in Apophoretis, ubi *Lucerna* πολύμυξος hoc modo loquens inducitur,

*Illuſtrem quum tota meis convivia flammis,*
*Totque geram myxos, una lucerna vocor.*

Μύξος namque non invenio apud Græcos in ea ſignificatione, ſed μύξα, ut apud Suidam mentio fit lucernæ viginti myxarum. Eſt autem μύξα, mucus, humor è cerebro per nares defluens. Dicuntur & μύξαι, nares ipſæ, ut Pollux & Heſychius docent: unde per ſimilitudinem quandam myxæ lucernarum ſunt appellatæ, prominentes lucernarum partes, ellychnium ſuſtinentes, vel ipſa adeo ellychnia ex iis naribus, muci inſtar, emergentia. A lychno vero, quod λύχνιον, & λυχνίαν, fecerunt iidem Græci, Latini *candelabrum* verterunt. Eſt à candela, quam ſuſtineret, dictum hoc, Varrone etiam auctore. ſed *candelabrum* quoque appellatum, cui ſuperponebatur lucerna, ut in Euangelio Lucæ: *Nemo autem lucernam accendens, operit eam vaſe, aut ſubter le-*

*ctum ponit, ſed ſuper candelabrum ponit: ut intrantes videant lumen.* ex his Græcis, οὐδεὶς δὲ λύχνον ἅψας, καλύπτει αὐτὸν σκεύει, ἢ ὑποκάτω κλίνης τίθησιν, ἀλλ᾽ ἐπὶ λυχνίας ἐπιτίθησιν, ἵνα οἱ εἰσπορευόμενοι βλέπωσι τὸ φῶς. Sed erant & lucernæ penſiles, ut primo Æneidos,

*— Dependent lychni laquearibus aureis*
*Incenſi: & noctem flammis funalia vincunt.*

Lampades autem illæ Euangelicarum virginum, quibus oleo quoque opus erat, tibi diſquirendum relinquo, quam diverſum genus erat à lucernis. Græcum eſt æque λαμπὰς, atque λύχνος, ſeu λύχνον: verum eo perlibenter uſi ſunt Latini omnes ſcriptores pro ſuo, & *facem* exponit antiquum Gloſſarium.

*Leucate.*] *Leucates* per tertiam declinationem, & *Leucata* per primam, rupes, ſaxum, promontorium: unde in mare deſiliiſſe Sappho dicta in epigramma nonageſimum. Virgilius tertio Æneidos,

*Mox & Leucatæ nimboſa cacumina montis.*

*Leucas* etiam, ut Pallas, in eodem Epigrammate, & in verſu ducenteſimoquartodecimo Moſellæ, idem promontorium, & urbs.

*Maſcula.*] ita appellata Horatio in libri primi epiſtola pænultima. Non enim ſolum viros illa, ſed etiam ut mas quiſpiam, feminas femina exarſit. Alias affert rationes ex Strabone & Horatii interpretibus Lilius Gregorius Ferrarienſis de Poëtis.

*Leſbiacis ſagittis.*] amore Phaonis. Ad eum ſcribit apud Ovidium: qui, vel Plinio teſte, etiam

etiam è Leſbo inſula erat.

*Harmonia cultus Eriphyle mœſta recuſat.*]

Ita legendum, pro,

*Hermione cultus Eriphyles mœſta recuſat.*

Sic apud Heſiodum in Theogonia, Diodorum Siculum libro quarto, & alios Græcos. *Harmonia* hæc, & *Harmonie*, Martis & Veneris filia ex adulterio: quam Latina exemplaria in *Hermionen* fere corruperunt. *Cultus* autem, ſegmenta, & monile: quod eodem fuiſſe fato fortunaque cum equo Sejano, & auro Toloſano, memoriæ proditum eſt. Quiſquis enim illud habuit, poſſeditque, novo ac miſerando exitio ipſe cum ſua familia periit. Tale namque Veneris maritus Vulcanus,

*— Vt priſca fides, Mavortia longa*
*Furta dolens, capto poſtquam nihil obſtat amori*
*Pœna, nec ultrices caſtigavere catenæ,*
*Harmonies dotale decus, ſub luce jugali,*
*Struxerat.* — Ejus itaque fatum, quæ prima illud collo induit, prima probavit ipſa Harmonia in ſerpentem cum viro Cadmo mutata: mox Semele, Jocaſta, & aliæ. Vide Statium poëtam ſecundo Thebaidos, Atheneum ſexto, Rhodiginum libri duodecimi capite tertiodecimo.

*Eriphyle mœſta.*] *mœſtamque Eriphylem* dixerat Virgilius ſexto Æneidos, illud ϛυγερὴν τ' Ἐριφύλην Homeri Odyſſeæ undecimi interpretans.

*Recuſat.*] ſed jam ſero: quia eo fato & ipſa perierat. Fabula ſic habet. Amphiaraus vates

tes ſciebat, ſi ad bellum Thebanum proficiſceretur, ſe illic periturum. occultavit itaque ſe conſcia Eriphyle uxore. Adraſtus autem rex Argivorum, quum generum Polynicen (de quo & fratre eſt Epigramma centeſimum & triceſimum,) in eo negotio adjuvare vellet, acceptum ab eo monile illud, ſorori Eriphyle obtulit, ut indicaret maritum, quod lubens illa accepit, &, ut ait Sulpicius Lupercus in Elegia de avaritia, *latebras viri patefecit ſui.* Proficiſcens ergo ille ad id bellum, filio ſuo Alcmæoni mandavit, ut poſt ſuam mortem ſupplicium de matre ſumeret: quod fecit ille ſedulo.

*Infelix nato.*] Alcmæone. à quo interfecta fuit ob proditum Amphiaraum: & qui poſtea furiis exagitatus fuit, quomodo Oreſtes.

*Nec fortunata marito.*] Amphiarao, quem apud Thebas abſorbſit terra.

*Minoïa fabula.*] quæ ad Minoëm regem Cretæ inſulæ aëriæ & altæ, pertinet: ut quæ ſit de Paſiphaë uxore, & filiabus Aridane & Phędra.

*Paſiphaë nivei.*] Ex Sileno Virgilii. Vide epigramma quinquageſimum, & ſexageſimum quinctum.

*Licia.*] fila. Andrageo filii mortem Minos ulturus, bellum intulit Athenienſibus, & vicit. Victis hanc ſtatuit pœnam, ut unoquoque anno ſeptenos liberos ſuos Minotauro (monſtrum hoc ex Paſiphaë & Tauro natum fuerat) edendos mitterent. Theſeus Athenienſis.

ſis patriæ vicem dolens, in Cretam venit: cujus àmore capta Ariadne Minois filia, docuit, quomodo *cæca regens filo veſtigia*, labyrinthum ingreſſus, Minotaurum interficeret. quod quum eſſet factum, Adriadne ejusque ſorore Phædra raptis, victor Athenas rediit. Ariadnen tamen in Naxo, quæ & Dia, inſula, dormientem reliquit: unde eſt illa apud Ovidium Ariadnes ad Theſeum epiſtola. Fabulam narrant Hyginus, & Servius in ſextum Æneidos.

*Phædra.*] Fabula narrata in epigramma undeviceſimum.

*Abjectas tabellas.*] litteras, ni fallor, non quas ipſa, ſed quas ejus nomine ſcripſerat Ovidius.

*Deſperans.*] potiri amore Hippolyti privigni ſui.

*Hæc laqueum.*] Phædra.

*Hæc vana.*] Ariadne, quam à Theſeo in Dia relictam Liber duxit uxorem: eique hanc dedit coronam, quæ poſtea inter ſidera collocata eſt. Hyginus ſecuudo Aſtronomicôn de Corona, & Philoſtrati εἰκόνες.

*Pudet hanc.*] Paſiphaën.

*Loadomia.*] Acaſti Theſſaliæ regis filia.

*Duas noctes.*] Scilicet unam vivi mariti Proteſilai, quando cum aliis ille Græcis in Phrygiam navigavit, ubi omnium primus eſt interfectus, ſicut habet ejus epitaphium inter Heroica duodecimum: & alteram functi mortuique viri, quando Laodamia quum audiviſſet ipſum periiſſe, petiit à diis, ut diem unum

num(ſic ſcribit Lucianus in dialogis mortuorum) vel tres horas (ita Hyginus) reviviſceret, quo videre, & colloqui ſibi liceret. quod impetravit. reliqua, & quo pacto ipſa ſe combuſſerit, ex Hygino cognoſces.

*Thiſbe.*] Thiſbe Babilonia, propter Pyramum, quem amabat, qui ſe interfecerat, & ſe ipſa interfecit. Fabula eſt quarto Metamorphoſeon.

*Canace.*] Epigrammate octogeſimo tertio.

*Sidonis.*] Sidonia, patronymicum. Vide Epigramma nonageſimum, & centeſimumundecimumque.

*Conjugis hac.*] Pyrami, Thiſbe.

*Hac patris.*] Canace, Æoli.

*Hac hoſpitis.*] Dido, Æneæ. ex quarto Æneidos.

*Latmia ſaxa.*] Latmus, mons Cariæ Ciceroni in Tuſculana prima, Endymionis à Luna, ut ferunt, quondam adamati fabula nobilis. Nam Endymionem illic à Luna conſopitum putant, ut dormientem oſcularetur. Meminit Lucianus fabulæ cum alibi, tum in dialogo quodam Veneris & Lunæ, Eraſmus in proverbio *Endymionis ſomnus*, Hyginus, Fulgentius, Scholia vetuſta in quartum Argonauticôn Apollonii, & Auſonius ipſe rurſus in Ephemeride.

*Cruciaverat illic Spreta olim:*] & hoc fingit *Adonim* poëta. Vide quæ de hac fabula attigimus in epigramma viceſimum nonum.

*Huius.*] in hujus myrti alto ſtipite.

*Trans-*

*Transferat ut proprias.*] Legitur & , *Transfert & proprias.*

*Tolerati inſignia leti.*] gladios , laqueos , & alia, quibus ſe ipſæ interfecerant.

*Expediunt.*] hæc depromunt, & afferunt in medium.

*Myrrha.*] mater Adonidis, decimo Metamorphoſeon in ſui nominis arborem mutata: quæ humorem ſuccumve exſudat , ut pinus. Vide Dioſcoridem, Plinium, Ruellium.

*Ancipites furias.*] Amori infenſas heroidas, ſed adhuc tamen dubitantes, an debeant ulciſci.

*Mariti.*] Vulcani. Fabulam rettulimus in verſum viceſimum ſeptimum Griphi.

*Helleſpontiaci.*] *Priapus fuit de Lampſaco civitate Helleſponti,* inquit Servius in Georgica, *de qua pulſus propter virilis membri magnitudinem, poſt in numerum deorum receptus, meruit numen eſſe hortorum.* Alii hunc tradunt Mercurii, alii Liberi, & Veneris filium.

*Eryx.*] Veneris & Butæ filius. Hyginus, Servius, Diodorus.

*Quod ſemivir.*] Vide Epigramma ſexageſimum octavum.

*Olli.*] illi, Amori.

*Sutilis roſa.*] ſerto ex roſis facto, conſuto, intexto.

*Inde.*] viſo cruore.

*Heroides.*] Dido, Phædra, & aliæ.

*Crudeli malunt adſcribere fato.*] quam puero Amori.

*Pia*

*Pia mater.*] Venus, mater Cupidinis.

*Portaque evadit eburna.*] Hemiſtichium Virgilianum, ex fine ſexti Æneidos. Virgilii enim imitatione, omnia, quæ hic rettulit, ficta & falſa eſſe intelligi vult. Homerus autem Odyſſeæ τ, & ab eo idem Virgilius, duas fecit ſomniorum portas: quas nominavit etiam idem Auſonius in extrema Ephemeride, Corneam & Eburneam:

*Divinum perhibent vatem, ſub frondibus ulmi*
*Vana ignavorum ſimulachra locaſſe ſoporum,*
*Et geminas numero portas. quæ fornice eburno*
*Semper fallaces glomerat ſuper aëra formas:*
*Altera, quæ veros emittit cornea viſus.*

DE-

# DESIDERII ERASMI Roterodami

# SVASORIA

## De ineundo MATRIMONIO.

*Eraſmus in Epiſtola*

AD IOANNEM BOTZEMVM ABSTEMIVM.

Anno CIↃ IↃ XXIII.

*Tentavimus & Declamationem, ad quam magis eramus natura compoſiti, quàm ad illa collectanea* (Adagiorum, Apophthegmatum, & Similium) *in quæ tamen maxime nos impulit neſcio qui Genius. Itaque luſimus olim* LAVDEM *ac* VITVPERATIONEM MATRIMONII, *quæ nunc pars eſt libelli De conſcribendis Epiſtolis. Id fecimus in gratiam clariſſimi iuvenis Gulielmi Montioii, quem tum in Rhetoricis inſtituebamus.*

PETRVS SCRIVERIVS

# M. ZVERIO BOXHORNIO S.

Cum ei

SVASORIAM ERASMI

de ineundo Matrimonio mitteret.

*Ille Orbis Phœnix, Zueri, facundus Eraſmus*
*Nunc flammas docto, quas alit, ore vomit.*
*Mittitur, ut capiat te tandem Suada-Batavi,*
*Et trahat ad ſancti dulcia regna thori.*
*His certe perſuaſus erat Montioïus heros,*
*Protinus eſtque Anglo iuncta puella viro.*
*Improbe, quid vultum ducis? quid reſpicis illa*
*Frivola? ab inſulſo, non Cicerone fluunt.*
*Accipe coniugii laudes: præconia matrum:*
*Hæredes: & quæ commoda ſexus habet.*
*Cætera ne cures. Cœlebs diſſuadeat auctor,*
*Cui non alluxit pronuba Iuno facem?*
*Non Venus arriſit? ſpretusque Cupidinis arcus?*
*Gaudia cui nullus certa ſpopondit Hymen?*
*Excitet ignavam Suaſoria ſeria mentem:*
*Excitet exſtinctas pagina prima faces.*
*Hac olim Veneris duce & auſpice fœdus inibam,*
*Linquens devotis poſteriora viris.*

 *Liber,*

*Liber, Io, es? laxam neque mordet fibula veſtem:*
*Adſtringit mores Regula nulla tuos.*
*Denique qui Curios ſimulant, Erycina fatigat.*
*Si Venerem neſcis: diſce vel inde Deam.*

## CICERONIS.

CREDE RATEM VENTIS, ANIMVM NE CREDE PVELLIS;
NAMQVE EST FEMINEA TVTIOR VNDA FIDE.
FEMINA NVLLA BONA EST: ET SI BONA CONTIGIT VLLA,
NESCIO, QVO FATO RES MALA FACTA BONA EST.

Hoc tetraſtichon in antiquo Simeonis Boſii libro Defloratorum, inter Auſoniana quædam & aliorum veterum carmina legitur, non alium titulum præferens quam ſolum hunc CICERONIS, quiſquis hic fuerit Ciceronum: Vide Eliam Vinetum ſub finem Commentariorum in Auſonium. Alii Petronio inſcribunt: niſi forte ſit potius Porphyrii poetæ ſub Conſtantino in exilium miſſi, cuius pleraque perperam Petronio ab inſulſis Criticis tribuuntur.

DE-

DESIDERII ERASMI
Roterodami

# SVASORIA,

De ineundo

## MATRIMONIO.

Quanquam pro tua ſingulari ſapientia, ipſe abunde per te ſapis, Affinis jucundiſſime, nec alienis eges conſiliis: tamen hoc, vel veteri noſtræ amicitiæ, quæ ab ipſis prope cunabulis unà cum ætate nobis accrevit, vel tuis ſummis in me officiis, vel arctiſſimæ denique affinitati debere me putavi, ſi is eſſe vellem, quem tu me ſemper exiſtimaſti, virum & amicum, & gratum, ut id, quod ad tuam tuorumque ſalutem ac dignitatem plurimum intereſſe judicaſſem, te libenter ac libere admonerem. Aliena nonnunquam rectius quam noſtra perſpicimus. Tuum conſilium meis in rebus perſæpe ſum ſecutus, neque minus felix mihi comperi, quam erat amicum. Nunc ſi viciſſim in tuis meum ſequi voles, futurum arbitror, ut neque me ſuaſiſſe, neque te pœniteat paruiſſe.

Cænavit apud me ſexto Idus Apriles, cum in villa Montana eſſem, Antonius Baldus,

homo, ut ſcis, tuarum rerum ſtudioſiſſimus, generique tuo, jam inde ab initio, conjunctiſſimus. Triſte, plenumq; lachrymarum convivium. Nunciabat mihi, magno utriusque dolore, matrem tuam, feminam integerrimam, è vivis conceſſiſſe: ſororem tuam, luctu ac deſiderio victam, ſterili dicatarum virginum choro aſſcriptam eſſe: ad te unum ſpem ſtirpis tuæ rediſſe: amicos ſummo conſenſu tibi puellam, ſummo genere natam, forma præſtanti, optime moratam; poſtremò, tui amantiſſimam, ſumma cum dote obtuliſſe. Te vero, neſcio qua, ſeu doloris impotentia, ſeu religione, ita cœlibatum decreviſſe, ut nec generis ſtudio, nec ſobolis amore, nec amicorum ullis aut monitis, aut precibus, aut lachrymis abduci poſſis à ſententia.

Tu tamen, vel me autore, mentem iſtam mutabis, & cœlibatu relicto, ſterili, ac parum humano vitæ inſtituto, ſanctiſſimo conjugio indulgebis.

Qua in re, neque tuorum charitatem, quæ tamen alioquin animum tuum vincere debebat: neque meam autoritatem quicquam mihi prodeſſe cupio, niſi clariſſimis rationibus oſtendero, id fore tibi longe tum honeſtius, tum utilius, tum jucundius. Quid, quod etiam hoc tempore neceſſarium?

Nam primum hac in re, ſi te honeſti ratio movet, quæ apud probos viros plurimum valere debet, quid matrimonio honeſtius, quod ipſe Chriſtus honeſtavit, qui nuptiis

una

unà cum matre non ſolum intereſſe dignatus eſt, verum etiam nuptiale convivium miraculorum ſuorum primitiis conſecravit? Quid ſanctius, quod ipſe rerum parens inſtituit, adjunxit, ſanctificavit? quod ipſa ſanxit natura? Quid eo laudabilius, quod qui reprehendit, hæreſeos damnetur? Tam eſt honorificum matrimonium, quam eſt infame vocabulum hæretici. Quid æquius, quam id reddere poſteris, quod ipſi à majoribus accepimus? Quid inconſideratius, quã id ſanctimoniæ ſtudio, perinde ut profanum, fugere, quod Deus ipſe, totius ſanctimoniæ fons ac parens, ſanctiſſimum haberi voluit? Quid inhumanius, quã hominem ab humanæ conditionis legibus abhorrere? Quid ingratius, quam id negare minoribus, quod ipſe, niſi à majoribus accepiſſes, ne eſſes quidem qui negare poſſes?

Quod ſi matrimonii quærimus autorẽ, non à Lycurgo, non à Moſe, non à Solone, ſed ab ipſo ſummo rerum omnium opifice conditum & inſtitutum eſt: ab eodem & laudatum, ab eodem honeſtatum conſecratumque. Siquidem initio cum hominem è limo finxiſſet, miſeram prorſus & inamœnam ejus vitam fore intellexit, niſi ſociam Evam adjungeret. Quare uxorem non è luto illo quo virum, ſed ex Adæ coſtibus eduxit: quo prorſus intelligeremus nihil nobis uxore charius eſſe debere, nihil conjunctius, nihil tenacius adglutinatum. Idem ille poſt diluvium, mortalium generi reconciliatus, hanc primam legem provulgaſſe

legitur, non uti cœlibatum amplecterentur, ſed ut creſcerent, ut multiplicarentur, ut terram implerent. At quo pacto, niſi conjugio darent operam? Et ne hic vel Moſaicæ legis libertatem, vel tempeſtatis illius neceſſitatem cauſſemur, quid aliud ſibi vult in Euangelicis quoque literis repetitum comprobatumque Chriſti ſuffragium? Propter hoc, inquit, relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ. Quid parentum pietate ſanctius? At huic tamen conjugalis præfertur fides. Quo autore? nempe Deo. Quo tempore? non Judaiſmi tantum, ſed Chriſtianiſmi quoque. Deſeritur pater, deſeritur mater, & adhæretur uxori. Filius emancipatus, incipit ſui iuris eſſe. Filius abdicatus, deſinit eſſe filius. At ſola mors dirimit conjugium, ſi tamen illa dirimit. In his modo dirimitur, qui conjugium appetunt. Quamdiu perſeverat conjugalis affectus, non videtur diremptum matrimonium. Iam ſi cætera Sacramenta, quibus Eccleſia Chriſti potiſſimum nititur, religioſa quadam veneratione coluntur, quis non videt huic plurimum religionis deberi, quod & à Deo, & primum omnium eſt inſtitutum? Et cætera quidem in terris, hoc in Paradiſo: cætera ad remedium, hoc ad conſortium felicitatis: cætera naturæ collapſæ ſunt adhibita, unum illud conditæ datum eſt. Si leges à mortalibus inſtitutas ſanctas habemus, non erit conjugii lex ſanctiſſima, quam ab eodem accepimus, à quo vitam, quæ unà prope cum

ipſo

ipſo hominum genere nata eſt? Denique ut legem exemplo confirmaret, adoleſcens, ut dictum eſt, ad nuptiale convivium vocatus, unà cum matre libens adfuit: nec adfuit modo, verumetiam prodigioſo munere honeſtavit, haud alibi miraculorum ſuorum initium auſpicatus. Cur igitur, inquies, Chriſtus ipſe à conjugio abſtinuit? Quaſi vero non plurima ſint in Chriſto, quæ mirari potius quam imitari debeamus: ſine patre natus, ſine parentis dolore proceſſit, clauſo monumento prodiit. Quid in eo non ſupra naturam? Sint hæc illi propria. Nos intra naturæ legem viventes, ſuſpiciamus illa quæ ſupra naturam ſunt: quæ pro modulo noſtro ſunt, æmulemur. Sed è virgine naſci voluit. E virgine quidem, ſed conjugata. Virgo mater, Deum decebat: conjugata, nobis quid eſſet agendum ſignificavit. Virginitas eam decebat, quæ cœleſtis afflatu numinis illibata pareret illibatum. Sed Ioſeph ſponſus, nobis caſti conjugii leges commendat. Qui magis conjugalem ſocietatem potuit commendare, quam quod arcanam illam, & angelicis quoque mentibus ſtupendam, divinæ naturæ cum humano corpore animaque conjunctionem: quod ineffabilem illum & æternum in Eccleſiam ſuam amorem declarare volens, ſe ſponſum illius, illam ſponſam ſuam appellat? Magnum, inquit Paulus, matrimonii Sacramentũ eſt, in Chriſto, & in Eccleſia. Si qua fuiſſet in rerum natura ſanctior copula, ſi quod fœdus religio-

 ſius,

ſius, quam conjugium, profecto ab eo ſumpta fuiſſet imago. Quid ſimile uſquam de cœlibatu legis in arcanis literis? Honorandum connubium, & thorus immaculatus prædicatur apud Apoſtolum Paulum. Cœlibatus hic ne nominatur quidem. Nec excuſatur quidem, niſi compenſatione majoris boni. Alioqui, ſi quis naturæ legem ſecutus, det operam liberis, præferendus eſt illi, qui perſeverat in cœlibatu, non ob aliud, niſi ut ſibi liberius vivat. Vere continentes, ac virgines laudatas legimus, Cœlibatus ex ſe, nullam habet laudem.

Jam vero Moſaica lex ſterile conjugium exſecratur, atque ob id à communibus aris quoſdam ſubmotos legimus. Quamobrem tandem? nempe ideo, quod tanquam inutiles, & ſibi duntaxat viventes, populum nulla ſobole augerent. In Deuteronomio præcipuum benedictonis argumentum proponitur Iſrahelitis, quod nullus eſſet inter illos futurus ſterilis, nec mas nec femina. Et Lya dicitur deſpecta à Domino, quod non pareret. Quin & in Pſalmis inter præcipuas beatitudinis partes refertur, uxoris fœcunditas. Uxor, inquit, tua ſicut vitis abundans, filii tui ſicut novellæ olivarum in circuitu menſæ tuæ. Quod ſi lex damnat ac notat ſterile matrimonium, cœlibes multo amplius damnavit. Si natura pœnam non effugit, ne voluntas quidem effugiet. Si damnantur quorum voluntati natura defuit, quid commerentur ii qui

ne operam quidē dederunt, ne ſteriles eſſent?

Hebræorum leges hoc honoris habebant matrimonio, ut qui ſponſam duxiſſet, eodem anno non cogeretur in bellum exire. Periclitatur civitas, niſi ſint qui eam armis tueantur. At certum exitium eſt, niſi ſint qui conjugii beneficio juventutem, ſemper mortalitate deficientem, ſufficiant.

Quin & Romanæ leges eos qui cœlibes eſſent, damno etiam multabant, à Reipub. muneribus ſecludebant. At qui liberis Remp. auxiſſent, eis tanquam bene meritis præmium è publico ſtatuebant. Priſcæ leges pœnas conſtituerant adverſus cœlibes, quæ tametſi per Conſtantinum Cæſarē temperatæ ſunt in favorem Chriſtianæ religionis, tamen arguunt quam non ſit è Repub. vel minui civitatē amore cœlibatus, vel ſpuriis impleri. Quin Cæſar Auguſtus Cenſor inquiſivit in militē, quod in ducēda uxore non paruiſſet legibus: & periclitabatur, ni docuiſſet ſe trium liberorū parentē. Declarant & in hoc Cæſarum leges favorem erga conjugiū, quæ indictas viduitates à Miſcellia inductas ſuſtulerunt, ac ſublatis pœnis huiuſmodi pacta, tanquam præter æquum & bonū inita, pro irritis haberi voluerunt. Adde quod Ulpianus declarat dotis cauſam ſemper & ubique præcipuam: quod haudquaquam fuiſſet, niſi præcipua quædam utilitas ex matrimonio proficiſceretur. Habitus eſt honos conjugio, ſed major fœcunditati. Simul atque contigiſſet nomē patris, hęreditatis & omnis legati

legati atque etiam caduci capax reddebatur. Id liquet etiam ex poëta Satyrico, *Propter me ſcriberis hæres. Legatum omne capis, nec non & dulce caducum.* Plus etiam commodorum afferebat jus trium liberorum. in his eſt immunitas à publicis legationibus. Quinque porro liberi vacationem impetrant à perſonalibus quoque muneribus, quod genus eſt tutela. Ei cui tredecim liberi contigiſſent, Julianus Imperator non modo vacationem indulſit à decurionatu, ſed ſimpliciter ab omnibus muneribus. Nec ſilent hujus tanti favoris cauſſam ſapientiſſimi legum conditores. Quid immortalitate felicius? Hanc naturæ negatam, matrimonium, arte quatenus licet, largitur Reipub. Cui non optabilis eſt apud poſteros memoria? Hæc nullis fornicibus, nullis pyramidibus, titulisve certius propagatur, quam liberorum procreatione. Apud Adrianum Imperatorem cauſam vicit Albinus, non alia commendatione, quam quod Reipub. dediſſet numeroſam ſobolem. Proinde diſpendio fiſci, paſſus eſt liberos in paterna bona in ſolidum ſuccedere, quod intelligeret imperium magis fulciri propagatione juventutis, quam pecuniarum acceſſione. Poſtremò, cæteræ leges, nec omnibus regionibus, nec quibuſlibet temporibus congruunt, ſola conjugii lex ad omnes orbis Nationes, ad omne tempus pertinet. Lycurgus leges tulit, ut qui uxores non ducerent, hi & æſtate arcerentur à ludis ac ſpectaculis: hyeme vero nudi fo-

rum circuirent, ac ſemetipſos exſecrati, juſta pati dicerent, quod legibus non paruiſſent.

In ſumma, Vis ſcire quantum matrimonio tribuerit antiquitas? violati matrimonii pœnam perpende. Græci quondam violatum matrimonii jus decenni-bello vindicandum cenſuerunt. Ad hæc non Romanis modo, verum etiam & Hebræis, & barbaricis legibus, adulteris pœna capitalis ſtatuebatur. Furem quadrupli pœna abſolvebat, adulterii ſcelus ſecuris expiabat; apud Hebræos autem populi manibus lapidabatur, qui id id violaſſet, ſine quo populus non eſſet. Nec hoc contenta legum ſeveritas, illud etiam permiſit, deprehenſum adulterum ſine judicio, ſine legibus confodere: nimirum id donans dolori maritali, quod gravate concedit vim à capite propellenti, quaſi lædat atrocius, qui conjugem adimat, quam qui vitam. Profecto ſanctiſſimam quandam rem conjugium videri neceſſe eſt, quod violatum humano ſanguine ſit expiandum: cujus ultio nec leges, nec judicem expectare cogitur. quod jus nec in parricidio eſt.

Sed quid de ſcriptis legibus agemus? Naturæ hæc lex eſt, non in tabulis æreis exarata, ſed animis noſtris penitus inſita; cui qui non paret, ne homo quidem ſit exiſtimandus, nedum bonus civis. Nam ſi, ut Stoici homines acutiſſimi diſputant, recte vivere, eſt naturæ ductum ſequi, quid tam naturæ conſentaneũ, quam matrimonium? Nihil enim tam à natu-

ra,

ra, non hominibus modo, verum reliquo etiam animantium generi inſitum eſt, quam ut ſuam quodque ſpeciem ab interitu vindicet, & propagatione poſteritatis tanquam immortalem efficiat. Quod ſine conjugali conjunctione fieri non poſſe,quis ignoret? Turpiſſimum autem videtur, muta pecora naturæ parere legibus, homines Gigantum more naturæ bellum indicere. Cujus opus ſi oculis haud cæcutientibus inſpiciamus, intelligemus in omni rerum genere conjugii ſpeciem quandam ineſſe voluiſſe. Omitto enim jam de arboribus, in quibus, Plinio autore cum primis gravi, adeo manifeſto ſexus diſcrimine conjugium invenitur: præſertim in palmis, ut niſi marita arbor in feminas circumſtantes ramis incumbat,tanquam concubitum appetens, hæ plane ſteriles manſuræ ſint. Idem indicat autores eſſe,qui credant in omnibus quæ gignit tellus ineſſe ſexum maris & fœminæ. Taceo de gemmis, in quibus ſexum inveniri ſcripſit idem autor,at non ſolus. Nonne Deus ita res cunctas vinculis quibuſdam connexuit, ut aliæ aliis egere videantur? Quid cœlum perpetuo motu verſatile, nonne dum tellurem omnium parentē ſubjectam vario rerum genere fœcundat, velut infuſo ſemine, mariti fungitur officio? Sed ſingula percurrere nimis longum arbitror.

Quorſum autem hæc ſpectant? eò videlicet, ut intelligamus conjugali ſocietate & conſtare,& contineri omnia: ſine ea diſſolvi, inte-

interire, collabi cuncta. Fingunt veteres illi ac ſapientiſſimi Poëtæ, quibus ſtudium fuit Philoſophiæ præcepta fabularum involucris tegere, Gigantes anguipedes terræ filios, extructis in cœlum montibus, bellum ſuperis intuliſſe. Quid hæc ſibi vult fabula? Nimirum immanes quoſdam ac feros homines & obſcuros, à conjugali concordia vehementer abhorruiſſe, eoque fulmine præcipitatos, hoc eſt, funditus interiſſe, cum id vitarent, quo ſolo conſtat humani generis incolumitas. At iidem Orpheum poëtam ac citharœdum ſaxa duriſſima cantu moviſſe commemorãt. Quid ſignificantes? Nempe virum & ſapientem & facundum, homines ſaxeos & ferarum ritu viventes, a vago concubitu prohibuiſſe? atque ad matrimonii ſanctiſſimas leges adduxiſſe. Apparet igitur qui connubii amore non tangitur, eum non hominem, ſed ſaxum videri, hoſtem naturæ, numini hujus rebellem, ſuapte ſtultitia ſibi perniciem acceſſere. Crudelior enim eſt, qui generi ſuo, quam qui uni ſibi molitur exitium.

Age vero, quandoquidem in fabulas minime fabuloſas incidimus, idem Orpheus, cum apud inferos Plutonem ipſum Maneſque permovit, ut Euridicen ſuam liceret abducere: quid aliud Poëtas cogitaſſe putamus, quam ut nobis conjugalem amorem commendarent, qui apud inferos quoque ſanctus ac religioſus haberetur? Eodem pertinet, quod Antiquitas conjugio Jovem Gamelium

melium præfecerit, Junonem pronubam, Lucinam quæ parturientibus adeſſet: ſuperſtitioſe quidem errans in Deorum nominibus, at non errans in hoc, quod matrimonium rem ſacram, ac dignam quæ Diis curæ ſit, judicarit. Diverſi quidem apud diverſos Populos ac Nationes, ritus, legesque fuere. Nulla unquam Gens tam fuit barbara, tam ab humanitate omni aliena, apud quam conjugii nomen non ſanctum, non venerandum ſit habitum.

Hoc Thrax, hoc Sarmata, hoc Britannus, hoc Græcus, hoc Latinus, hoc vel extremus orbis Indus, aut ſi qui ſint his quoque ſemotiores, religioſum habuit. Quid ita? quia neceſſe eſt omnibus eſſe commune, quod communis hominum parens inſevit, & adeo penitus inſevit, ut hujus rei ſenſus non ſolum ad turtures & columbas, verum etiam ad immaniſſimas feras pertingat. Siquidem Leones in uxorem mites ſunt. Pro catulis dimicant Tigrides. Aſinos per obſtantes ignes agit prolis tuendæ pietas. Atque hoc ſane jus naturæ vocant, ut efficaciſſimum, ita latiſſime patens. Vt igitur diligens cultor non eſt, qui præſentibus rebus contentus, arbores adultas ſatis quidem accurate tractat, cæterum neque propagandi, neque inſerendi curam agit, propterea quod neceſſe eſt, paucis annis eos hortos quantumvis diligenter excultos interire. Ita parum diligens in Republ. civis cenſendus, qui præſenti turba contentus, de propagan-

paganda civium multitudine non cogitat. Nemo igitur unquam egregius civis habitus eſt, qui non liberis gignendis, recteque inſtituendis operam dederit. Apud Hebræos & Perſas laudi inprimis erat, quamplurimas habere uxores, tanquam ei patria plurimum deberet, qui eam numeroſiſſima ſobole locupletaſſet.

Num tu Abraham ipſo ſanctior videri ſtudes? Is pater multarum gentium non eſſet appellatus, idque Deo auſpice, ſi uxoris contubernium refugiſſet. Num tu Iacob religioſior haberi quæris? Is Rachaëlis amplexus tam diuturna ſervitute redimere non dubitavit. Num Solomone ſapientior? At quantum ille uxorum gregem domi aluit: Num Socrate caſtior? qui Xanthippen feminam etiam moroſam domi pertuliſſe legitur: non tam, ut ille ſuo more jocabatur, quo domi diſceret tolerantiam, ſed ne in naturæ officio claudicaſſe videretur. Intellexit enim vir unus Apollinis oraculo ſapiens judicatus, hac lege ſe genitum, ad hanc natum, hoc ſe debere naturæ. Nam ſi recte à veteribus Philoſophis dictum eſt: ſi non temere à noſtris Theologis comprobatum: ſi merito, velut adagionis vice, ubique decantatum, neque Deum, neque naturam quicquam fruſtra facere: cur hæc membra tribuit, cur hos ſtimulos, hanc gignendi vim addidit, ſi cœlibatus per ſe laudi ducitur? Si quis te magnifico munere donaret, arcu, veſte aut gladio, indignus accepto videberis,

ſi uti eo aut noles, aut neſcies. Cum cætera omnia tanta ratione ſint conſtituta, haud veriſimile videri debet, hac una in re naturam dormitaſſe. Nec audio qui mihi dicat fœdam illam & obſcœnam pruriginem & Veneris ſtimulos non à natura, ſed à peccato profectam. Quid tam diſſimile veri? Quaſi vero matrimonium, cujus munus ſine his ſtimulis peragi nequit, non culpam præceſſerit. Jam in cæteris animantibus unde illi ſtimuli? à natura, an à peccato? Mirum ni à natura. Nam in corporis affectibus minimum intereſt, inter hominem & reliquas animantes. Poſtremò, nos imaginatione fœdum reddimus, quod ſuapte natura pulchrum ac ſanctum eſt. Alioqui ſi res non opinione vulgi, ſed ipſa natura velimus expendere, quî minus fœdum brutorum animantium more, edere, mandere, concoquere, excernere, dormire, quam licita permiſſaque Venere uti? At virtuti potius, quam naturæ parendũ. Perinde quaſi virtus ſit ulla dicenda, quæ cum natura pugnet: unde niſi proficiſcatur, ne eſſe quidem poterit, quæ cultu & diſciplina perficiatur. Sed Apoſtolorum te inſtitutum delectat, qui & ipſi cœlibatum ſunt ſecuti, & alios ad id vitæ genus ſunt cohortati. Imitentur ſane Apoſtolos viri apoſtolici, quorũ cum ſit muneris & docere, & inſtituere plebem, non queunt ſimul & gregi, & uxori ſatisfacere: quanquam & Apoſtolis aliquot uxores fuiſſe conſtat. Epiſcopis cœlibatum concedamus.

Quid

Quid tu apoſtolicum inſtitutum ſequeris, ab apoſtolico munere longe alieniſſimus; homo nimirum & profanus, & privatus? Illis hoc veniæ datum eſt, ut vacent a conjugii munere, quo magis vacaret copioſiorem prolem Chriſto gignere. Sit iſtud Sacerdotum ac monachorum privilegium, quos apparet in Eſſenorum inſtitutum ſucceſſiſſe. Tui ſtatus alia ratio eſt. At ipſe Chriſtus, inquies, beatos pronunciavit, qui ſeſe caſtrarunt ob regnum Dei. Non rejicio autoritatem, ſed ſententiam interpretor. Primum arbitror hoc Chriſti dogma, ad ea tempora potiſſimũ pertinere, quibus oportebat eccleſiaſten ab omnibus mundi negotiis quam maxime expeditum eſſe. Curſitandum erat per omnes terras: imminebat undique perſecutor. Nunc is eſt rerum ac temporum ſtatus, ut nuſquam reperias minus inquinatam morum integritatem, quam apud conjugatos. Exaggerent quantum libet ſuum inſtitutum, monachorum ac virginum examina: jactent quantum volent ceremonias cultusque ſuos, quibus potiſſimum inter cæteros eminent: ſanctiſſimum vitæ genus eſt, pure caſteque ſervatum conjugium. Præterea, non is modo ſeſe caſtrat, qui vivit cœlebs, ſed qui caſte, ſancteque colit conjugii munus. Atque utinam vere caſtrati ſint, quicunque ſuis vitiis magnificum caſtrationis prætexunt titulum, ſub umbra caſtitatis turpius libidinantes. Neque enim mei pudoris eſſe puto, commemorare, in quæ dedecora

ſæpe prolabantur, qui naturæ repugnant. Poſtremò, ne præcipit quidem Chriſtus ulli cœlibatum, at idem divortium palam interdicit. Mihi ſane videtur, non peſſime conſulturus rebus ac moribus hominum, qui Sacerdotibus quoque ac monachis, ſi res ita ferat, jus indulgeat conjugii: præſertim quum ubique tam ingens ſit Sacerdotum turba, quorum quotus quisque caſtam agit vitam? Quanto ſatius concubinas in uxores vertere, ut quas nunc habent cum infamia, cum irrequieta conſcientia, habeant palam cum honeſta fama, ac liberos gignant, quos ut vere legitimos ament, ſancteque inſtituant, quibus & ipſi pudendi non ſint, & viciſſim ab illis cohoneſtentur. Atque id, opinor, jampridem procuraſſent Epiſcoporum Officiales, niſi proventus amplior eſſet ex concubinis, quam ex uxoribus. Sed divina quædam res eſt conjugium, angelica res eſt virginitas: At humana quædam res eſt conjugium. Ego nunc homo loquor homini, plebejus plebeio, infirmus infirmo: Laudanda quidem res eſt virginitas, at ita, ſi non hæc laus ad quamplurimos transferatur. Quam ſi vulgo uſurpare homines incipiant; quid virginitati dici, cogitarive poſſit exitialius? Tum ſi in cæteris maxime laudem mereatur virginitas, in te certe reprehenſione carere non poteſt, per quem ſtabit, quo minus optimum illud genus, & immortalitate cum primis dignum obliteretur. Poſtremò, minimum abeſt à virgini-

ginitatis laude, qui jus illibatum conjugii ſervat, qui uxorem gignendæ proli, non libidini habet. Si frater fratris ſine liberis defuncti ſemen excitare jubetur, tu univerſi tui generis ſpem interire ſines, præſertim cum ad te unum reciderit? Neque vero me clam eſt, magnis voluminibus priſcorum Patrum decantatas virginitatis laudes, quorum Hieronymus adeo miratur eam, ut non multum abſit à contumelia matrimonii, & ab Epiſcopis orthodoxis ad palinodiam invitatus ſit. Verum donetur hic ardor illis temporibus, nunc optarim, ut iſti qui paſſim ſine delectu, ad cœlibatum ac virginitatem adhortantur ætatem, quæ ſibi nondum eſt nota, hoc operæ collocarent in deſcribenda imagine caſti purique matrimonii. Atque his ipſis, quibus tantopere placet virginitas, non diſplicet bellum adverſus Turcarum gentem, qui numero tot partibus nos ſuperant: quorum ſi rectum eſt judicium, conſequetùr, ut in primis rectum & honeſtum habeatur, pro virili liberis gignendis operam dare, & juventutem in belli uſum ſufficere. Niſi forte bombardas, tela, naves, ad hoc bellum apparandas putant, viris opus eſſe non putant. Iidem probant, ut Ethnicorum parentes ferro trucidemus, quo liceat filios etiam inſcientes baptizare? Id ſi verum eſt, quanto mitius eſt idem efficere conjugiorũ officio? Nulla Natio tam immanis eſt, quin exſecretur infanticidium? Principum leges, pari propemodum ſeveritate

puniunt provocatum abortum, & accerſitam pharmacis ſterilitatem. Quur ita? Quia minimum intereſt inter eũ, qui quod naſci cœperit, intercipit: & eum qui procurat, ne quid naſci poſſit. Hoc quod in tuo corpore, vel areſcit, vel magno etiam ſalutis periculo corrumpitur, quod in ſomnis elabitur, homo erat, ſi modo tu eſſes homo. Exſecrantur Hebræorum literæ virum, qui juſſus congredi cum uxore fratris defuncti, ne quid naſceretur, projecit ſemen in terram, & vita judicatus eſt indignus qui vitam invidit naſcituro fœtui. At quantulum ab hoc differunt qui ſibi perpetuam ſterilitatẽ indicunt? An non videntur tot homines occidere, quot erant naſcituri, ſi liberis gignendis dediſſent operam? Quæſo, ſi cui ſit fundus ſoli natura feracis, quem incultũ ſinat perpetuo ſterilẽ eſſe, nonne legibus pœnas daret, quod Reipub. interſit, ut ſuam quiſque rem bene tractet? Si punitur is qui negligit agrum, qui ut maxime colatur, nihil aliud fert, quam triticum, aut fabas, aut piſa: qua pœna dignus eſt, qui recuſat eum fundum colere, qui cultus fert homines? Atque illic diutino moleſtoque labore eſt opus, hic brevem culturam etiam voluptas, veluti paratum præmium, invitat. Quare, ſi quid naturæ ſenſus, ſi honeſtum, ſi pietas, ſi religio, ſi officium, ſi virtus te movet, cur ab eo abhorres, quod Deus inſtituit, natura ſanxit, ratio ſuadet, divinæ pariter & humanæ literæ laudant, leges jubent, omnium gentium conſenſus

ſenſus approbat, ad quod optimi cujuſque exemplum adhortatur.

Quod ſi plæræque res etiam acerbæ, viro bono ſunt expetendę, non alio nomine, quam quod honeſtæ ſunt, matrimonium profecto multo maxime expetendum, de quo quis dubitare poſſit, plusne habeat honeſtatis, an voluptatis. Quid enim dulcius, quam cum ea vivere, cum qua ſis non benevolentiæ modo, verumetiam corporum mutua quadam communione arctiſſime copulatus? Si magnam quandam animi delectationem ex reliquorum neceſſariorum benevolentia capimus, quam dulce inprimis ſit habere, quicum animi tui affectus ſecreto communices: quicum perinde ut tecum loquaris: cujus fidei te tuto committas: qui tuas fortunas ſuas eſſe ducat? quid tu credis habere felicitatis mariti uxoriſque conjunctionem, qua nulla poſſit in rerum natura inveniri neque major, neque firmior? Cum cæteris enim amicis animorum duntaxat benevolentia conjungimur, cum uxore, & ſumma charitate, & corporum permixtione, & Sacramenti fœdere, & fortunarum omnium ſocietate copulamur. Præterea in cæteris amicitiis quanta ſimulatio, quãta perfidia? Sæpe ii quos noſtri amantiſſimos exiſtimas, ſicut hirundines exacta æſtate devolant, ita fortuna reflante deficiunt. Nonnunquam recentior amicus veterem ejicit. Paucos audivimus, quorum fides uſque ad vitæ finem conſtiterit. Vxoria vero charitas non perfidia

corrumpitur, nulla ſimulatione obſcuratur, nulla rerum mutatione convellitur: denique ſola morte, immo ne morte quidem, diſtrahitur. Illa parentum, illa ſororum, illa fratrum pietatem, tui amore contemnit: te unum reſpicit, ex te pendet, tecum emori cupiat. Res eſt? Habes quæ tueatur, habes quæ augeat. Non eſt? Habes quæ quærat. Si res ſecundæ ſint, duplicatur felicitas: ſin adverſæ, erit quæ te conſoletur, quæ aſſideat, quæ inſerviat, quæ tuum malum ſuum eſſe cupiat. An tu voluptatem ullam, cum hac tanta conjunctione conferandam cenſes? Si domi agis, adeſt quæ ſolitudinis tædium depellat: ſi foris, eſt quæ diſcedentem oſculo proſequatur, abſentem deſideret, redeuntem læta excipiat. Dulcis juventæ tuæ ſodalis, gratum ſenectutis ſolatium. Natura quidem homini dulcis eſt vel quævis ſocietas, quippe quem ad benevolentiam atque amicitiam genuit. Hæc igitur quomodo non erit dulciſſima, in qua nihil non commune eſt? Contra autem, ſi feras quoque ſolitudinem horrere, ſocietate delectari videmus, mea ſententia, ne homo quidem ſit exiſtimandus, qui ab hac ſocietate omnium & honeſtiſſima & jucundiſſima abhorreat. Quid enim eo homine odioſius, qui tanquam ſibi uni natus, ſibi vivat, ſibi quærat, ſibi parcat, ſibi ſumptum faciat; neminem amet, ametur à nemine?

An non iſtiuſmodi portentum dignum cenſebitur, quod cum Timone illo ex univerſo homi-

hominum contubernio in medium mare projiciatur? Neque hic auſim illas tibi voluptates proponere, quibus cum natura nihil voluerit eſſe homini dulcius, neſcio tamen, quo pacto à magnis ingeniis diſſimulantur potius quam contemnuntur. Quamquam quis adeo ſevero, ne dicam ſtupido, ſit natus ingenio, qui ejuſmodi voluptatum genere non capiatur: præſertim ſi citra numinis aut hominis offenſam, citra famæ detrimentum, poſſit contingere? Equidem eum non hominem, ſed plane ſaxum dixerim. Etiam ſi minima bonorum, quæ habet conjugium, pars eſt, ea corporum voluptas. Sed fac te iſtam, ut viro indignam, contemnere: quamquam ne viri quidem vocabulum ſine his meremur: ponatur, ſi vis, inter extrema conjugii commoda: Iam quid caſto amore poteſt eſſe amabilius, imo quid ſanctius atque honeſtius? Accreſcit interim dulcis affinium turba. Duplicatur parentum, fratrum, ſororum, nepotum numerus. Natura enim unam duntaxat matrem, unum patrem tribuere poteſt. Conjugio pater alter, altera mater accedit, qui te, ut cui ſua viſcera commiſerint, ſingulari pietate non proſequi non poſſunt. Iam vero quanti illud æſtimabis, ubi pulcherrima conjux *pulchra faciet te prole parentem?* Ubi *quis tibi parvulus aula luſerit Æneas*, qui tuos, tuæque conjugis vultus referat, qui te blanda balbutie patrem appellitet? Iam acceſſerit conjugali charitati vinculum adamantinum,

quod ne mors quidem ipſa queat abrumpere.

*Felices*, inquit Flaccus, *ter & amplius, Quos irrupta tenet copula, nec malis Divulſos querimoniis, Suprema citius ſolvet amor die.* Habes qui ſenectutem tuam oblectent, qui oculos claudant, qui juſta perſolvant, in quibus renatus videaris, quibus ſuperſtitibus, tu ne occidiſſe quidem puteris. Non abeunt ad alienos hæredes, quæ tibi paraſti. Ita tanquam omnibus perfuncto vitæ muniis, ne mors quidem ipſa acerba videri poterit. Omnibus, velimus, nolimus, ſenectus imminet. Hac ratione natura proſpexit, ut in liberis ac nepotibus repubeſcamus. Quis enim graviter ferat ſenectutem, ubi ſuos vultus, quos adoleſcens geſſit, in filio conſpexerit? Mors omnibus parata eſt. At hac una via, velut immortalitatem quandam meditatur naturæ providentia, dum ſic aliud ex alio propagat, ut veluti cum planta, arbore exciſa, repullulat, nec interiſſe videatur, qui prole relicta, moritur. At minime me fugit, quid inter hæc obmurmures. Beata res eſt conjugium, ſi omnia ſecunda eveniant: ſed, quid ſi moroſa contingat uxor? quid ſi impudica? quid ſi liberi impii proveniant? Occurrent animo tuo exempla eorum, quibus conjugium exitium attulerit. Exaggera quantum potes, ſed tamen hominum iſta vitia fuerint, non conjugii. Crede mihi, non ſolet niſi malis maritis mala uxor contingere. Adde quod tibi magna ex parte in manu eſt, ut bonam eligas. Quid

ſi cor-

ſi corrumpatur? A malo quidem marito, uxor bona corrumpi poteſt, à bono mala corrigi conſuevit. Falſo uxores accuſamus. Nemo, ſi quid mihi credis, unquam niſi ſuo vitio improbam uxorem habuit. Iam ex bonis parentibus, ferme ſimiles naſcuntur liberi. Quanque & hi utcunque nati, fere tales evadunt, quales illos finxeris inſtitutione. Iam vero nõ eſt quod zelotypiam metuas. Iſte enim ſtulte amantium morbus eſt. Caſtus ac legitimus amor zelotypiam neſcit. Quid tibi tragœdiæ in mentem veniunt? Hæc maritũ adultera ſecuri percuſſit: hæc veneno ſuſtulit: illa morũ odio ad mortem adegit. Cur non potius Tiberii Gracchi Cornelia ſuccurrit? Cur non Alceſtis non optimi mariti conjux optima? Cur non occurrit vel Iulia Pompeii, vel Bruti Portia? Cur non æterno nomine digna Artemiſia? Cur non Hypſicratea Mithridatis Pontici regis uxor? Cur non Tertiæ Æmiliæ comitas in mentem venit? Cur non Turiæ fides? Cur non Lucretia, Lentulaque ſuccurrit? Cur non Arria illa à Plinio celebrata? Cur non innumeræ aliæ, quarum & pudicitia, & fides in maritos, ne morte quidem potuit immutari?

*Rara*, inquis, *avis in terris*, *mulier proba.* Et tu rara uxore dignum te finge. Mulier, inquit ſapiens ille, bona, pars bona. Aude tuis moribus dignam ſperare. Plurimum & in hoc ſitum eſt, quam diligas, quomodo fingas, qualem ipſe te illi præbeas. Sed dulcior

eſt,

eſt,inquies, libertas. Quiſquis uxorem accipit, compedes accipit, quas ſola mors poſſit excutere. Quid autem dulce eſſe homini ſoli poſſit? Si dulcis eſt libertas, ſociam aſciſcendam cenſeo, qua cum bonum iſtud tibi commune eſſe velis. quanquam quid iſta ſervitute liberius, ubi ita uterque alteri obnoxius eſt, ut neuter manu mitti velit? Aſtrictus es ei, quem in amicitiam recipis. At hic nemo libertatem ademptam clamitat. At vereris, ne liberis morte abſumptis, orbus in luctum incidas. Si orbitatem times, ob idipſum ducenda uxor eſt, quæ ſola hoc præſtare poteſt, ne ſimus orbi. Sed quid tu tam diligenter, imo anxie, omnia matrimonii incommoda diſquiris, quaſi cœlibatus nihil habeat incommodi. Quaſi vero ulla ſit vita mortalium, quæ non ſit omnibus fortunæ ſubjecta caſibus. E vita migret oportet, qui nihil incommodi ferre velit. Quod ſi ad cæleſtem illam vitam reſpicias, mors hæc hominum vita eſt, haud vita dicenda. Sin intra humanam conditionem animum contineas, nihil eſt conjugali vita neque tutius, neque tranquillius, neque jucundius, neque amabilius, neque felicius. Ab exitu rem ſpecta. Quotumquemque vides, qui ſemel expertus conjugium, non avide repetat? Mauritius meus, cujus eximia prudentia tibi non eſt incognita, nonne ab obitu conjugis, quam unice deamabat, altero menſe duxit in thalamum novam ſponſam? Non adeo libidinis impatientia, ſed nega-

negabat ſibi vitam videri vitam, abſque conjuge rerum omnium conſorte. Jovius noſter, non jam quartam ambit uxorem? Sic adamabat vivas, ut nullam conſolationem admiſſurus videretur. Sic una defuncta, ad ſarciendam thalami ſolitudinem properàbat, quaſi leviter illas amaſſet.

Sed quid nos de honeſto ac jūcundo diſputamus, cum non utilitas modo ſuadeat, verum etiam neceſſitas ad conjugium impellat? Tolle matrimonium, perpaucis annis univerſum hominum genus funditus intereat neceſſe eſt. Xerxem illum Perſarum regem, cum ex edito loco gentem illam, ac vix ulli creditam, hominum multitudinem intueretur, lachrymas non tenuiſſe dicunt, quod ex tot hominum milibus, poſt annos ſexaginta, nullus omnino ſuperfuturus eſſet. Cur quod ille de ſuis copiis intellexit, non etiam de univerſo hominum genere perſpicimus? Sublato conjugio, quotus quisque ex tot regionibus, provinciis, regnis, urbibus, cœtibus poſt centum annos ſupererit? Eamus nunc, & cœlibatum miremur, qui æternam ſit generi noſtro cladem allaturus. Quæ peſtis aut lues à ſuperis, aut inferis immitti poſſit nocentior? Quid ab ullo diluvio timeri poſſit acerbius? quid triſtius expectetur, etiamſi Phaëthontæum redeat incendium? At ex hujuſmodi quidem tempeſtatibus multa relinqui ſolent incolumia, ex cœlibatu nihil reliqui fieri poteſt.
Videmus quantum morborum agmen, quot

ca-

caſuum diſcrimina, noctes dieſque hominum paucitati inſidientur: quot peſtis abſumit, quot abſorbet mare, quot Mavors abripit. Taceo enim de quotidianis mortibus. Circumvolat undique mors, irruit, rapit, properat quantum poteſt genus noſtrum extinguere: & nos cœlibatum miramur, conjugium fugimus? Niſi forte placeat Eſſenorum inſtitutum aut Dulopolitarum, quorum gentem facinoroſorum nunquam deficiens numeroſitas propagat. Num expectamus, ut Jupiter aliquis nos eodem munere donet, quod apibus tribuiſſe dicitur, ut ſine concubitu fœtificemus, & poſteritatis ſemina è floſculis ore legamus? An vero poſtulamus, ut ſicut è Jovis cerebro Minervam prognatam Poëtæ fabulantur, ita nobis è capite liberi exiliant? An denique ut juxta veterum fabulas, è terra, veluti mures in Ægypto? è ſaxis projectis, quod eſt in fabulis, è duris arborum truncis homines producantur? E terræ gremio permulta ſine noſtro cultu enaſcuntur. Plantulæ ſub umbra matris ſæpe pullulaſcunt: at homini hanc unam propagandi viam natura eſſe voluit, ut mutua mariti uxoriſque opera mortalium genus ab interitu vindicaretur. Quod ſi fugiant tuo exemplo mortales, ne iſta quidem, quæ tu miraris, eſſe poterunt. Cœlibatum miraris, ſuſcipis virginitatem? At nec cœlibes erunt, nec virgines, ſi conjugii uſum ſuſtuleris. Cur igitur prælata eſt virginitas? Cur honorata, ſi exitium adfert mortalibus?

Lau-

Laudata eſt, ſed pro tempore, ſed in paucis. Voluit enim Deus hominibus cœleſtis illius vitæ tanquam imaginem quandam & ſimulachrum oſtendi, ubi neque nubent ullæ, neque nuptum dabunt ulli. Sed ad exemplum paucitas idonea eſt, multitudo inutilis.

Quemadmodum non omnes agri, quamquam feraces, ad uſum vitæ ſeruntur: ſed pars negligitur, pars oculis paſcendis colitur. At patitur hoc ipſa rerum copia, in tanta arvorum amplitudine, exiguam partem ſterilem relinqui. Verum ſi nulli ſerantur, quis non videat nobis ad glandes fore redeundum? Ita cœlibatus in tanta hominum multitudine, in paucis quidem laudem habet, in omnibus ſummam reprehenſionem habiturus. Jam ſi maxime in aliis ſit virtutis nomen habitura virginitas, in te certe vitioſa fuerit. Cæteri enim puritati ſtuduiſſe videbuntur: tu generis parricida judicaberis, quod cum honeſto conjugio propagare potueris, turpi cœlibatu paſſus ſis interire. Licet è numeroſa ſobole virginem Deo conſecrare. Ruſtici frugum primitias ſuperis immolant, non univerſum proventum: at te unum ſtirpis tuæ reliquias eſſe memineris oportet. Nihil autem refert, utrum occidas, an ſervare recuſes, qui à te uno ſervari & poterat, & facile poterat. At ſororis exemplum te ad cœlibatum adhortatur. At iſta vel una re potiſſimum debebas à cœlibatu deterreri. Generis enim ſpem, quæ prius utriusque erat communis, nunc totam
ad

ad te unum revolutam intelligis. Detur hæc venia ſexui, detur ætati. Puella dolore victa peccavit: ſtultarum muliercularum, aut ſtultorum monachorum impulſu ſeſe præcipitem dedit. Tu major natu, virum te eſſe memineris neceſſe eſt. Illa majoribus ſuis commori voluit: tu ne moriantur, operam dabis. Soror ſubduxit ſeſe officio: tu duorum tibi partes obeundas eſſe cogita. Non dubitarunt filiæ Loth cum patre temulento rem habere, ſatius eſſe judicantes, nefario etiam inceſtu generi conſulere, quam pati interire. Tu matrimonio honeſto, ſancto, pudico, ſine offenſa, ſumma cum voluptate, non conſules tuo generi alioquin interituro? Quare ſinamus eos Hippolyti inſtitutum immitari: ſectentur cœlibatum, vel qui mariti fieri poſſunt, patres non poſſunt: vel quorum tenuitas liberis educandis non ſuppeditat, vel quorum genus aliorum opera poſſit propagari: aut certe ejuſmodi eſt, ut magis Reipublicæ conducat intermori quã propagari, vel quos peculiaris quidam æterni numinis favor, è communi hominum ſorte ſelectos, cœleſti cuipiam functioni deſtinavit, quorum mira eſt varietas. Tu vero cum teſte Medico, viro neque imperito, & minime mendaci, magnam poſteritatem promittere videaris: Patrimonium habeas ampliſſimum, Genus autem tum optimum, tum clariſſimum, ita ut obliterari ſine nefario ſcelere, magnoque Reipubl. detrimento non poſſit: tum adſit

ætas integra, nec deſit forma : offeratur vero conjux puella, qua neque integriorem, neque illuſtriorem ullam viderunt cives tui, pudica, modeſta, pia, facie divina, cum dote ampliſſima: quum rogent amici, lachrymentur propinqui, inſtent affines, patria flagitet, ipſi majorum tuorum cineres è tumulis idipſum te obteſtentur, tu tamen adhuc contaris, adhuc cœlibatum cogitas? Si qua res parum honeſta abs te peteretur, ſi qua difficilis, tamen vel tuorum vota, vel generis charitas animum tuum expugnare debuerat: quanto æquius eſt id, amicorum lachrymas patriæ pietatem, majorum charitatem abs te obtinere, ad quod te divinæ pariter & humanæ leges hortantur, natura inſtigat, ratio ducit, honeſtas allicit, tot commoda invitant; neceſſitas etiam ipſa cogit. Sed jam argumentorum plus ſatis. Confido te jamdudum me monitore ſententiam mutaſſe; animumque ad ſalubriora conſilia appuliſſe.

# ERASMI PRÆCEPTIVNCVLÆ

## *De exercitio huius generis,* ET *Generis diſſuaſorii.*

Plurimum conducet in *hoc Suaſorio genere*, longè omnium utiliſſimo, diligenter exerceri. Dominatur enim ferè in omnibus generibus. Primum igitur cujuſmodi ſit, quod perſuadere cupis, attentè eſt conſiderandum. Deinde quæ ſunt in eo commoda omnia diligenter colligemus, & amplificabimus: contra verò, ſi qua inſunt incommoda, quæque illius animum deterrere videntur, ea aut extenuabimus, aut removebimus, excogitatis quamplurimis rationibus, & rationum confirmationibus, ac locupletationibus. Qui loci incident communes, ad rem accommodandi ſunt: velut hîc incidebat, *omnibus rebus inſitam eſſe vim propagandi ſui.* Item, *Mille morbis, mille caſibus atteri genus humanum.* Item, *Quum nihil in hac vitâ iucundū ſine conſorte.* Item, *ſenectutem ac mortem tolerabiliorem fieri paratis liberis.* Poſtremò verò videndum, quibus argumentationum formis, aut quibus exornationibus ea quæ excogitata ſunt, quàm commodiſſimè poſſint explicari.

In *Diſſuaſione* omnia incommoda colligemus.

mus. Hæc quemadmodum inveniri poſſint, paucis demonſtrabimus, quæ quidem meditata & tanquam ad manum habere oportebit. A me modo ſuaſum eſt *Matrimonium.* ubi pleraque ejus vitæ commoda collegi, contra autem Cœlibatus incommoda exaggeravi. Incommoda vero Matrimonii, quæ illic partim extenuavi, partim refelli, ea in *Palinodia* erunt exaggeranda: contrà, commoda aut vehementer deprimenda, aut commoda eſſe neganda.

Quonam igitur modo erit hæc *Palinodia* inſtituenda? Aut hoc ipſum argumentum iiſdem poſitis circumſtantiis in diverſam partem tractabimus: Aut fingemus amicum ſecum hæſitantem, utrum cœlibem vitam, an nuptias jam animo deſtinatas velit amplecti. Et ut à circumſtantiis diſcamus invenire argumenta, Thema certis perſonis confictum proponemus, hoc pacto: *Petrus adoleſcens, minimus fratrum ſuorum, ſummo ingenio & iam literis initiatus, matris operâ à ſchola revocatus, ab eadem ad ducendam uxorem ſollicitatur, puellam, & divitem, & egregia forma. Pater neque uxori, neque filio refragatur, ſed liberum illi permittit, ut eligat.* Scribit nunc illi ſodalis, æqualis, & ſocius ſtudiorum, conaturque illum à matrimonio deterrere. Hic ut *coniugium quam miſerrimum* oſtendat, *omnes eius vitæ ærumnas* contrahet, Primum, ab ipſius conjugii natura. Adducet enim *ſervitutem*; & eam quidem, quam ſemel admiſſam effugere nullo

modo poſſis. Nulla enim ſervitus non miſera eſſe poteſt, quum hominem natura libertatis avidum finxerit. Atque hic incidit locus communis, late tractabilis. Adhæc, *quum omnis ſervitus miſera eſt, tum illa minime viro convenit, qua cogimur mulierculis inſervire.* Præterea, quod mutua eſt ſervitus. *Accedit etiam alterum incommodum, quod eam ipſam ſuſtinere cogeris & alere, cui inſervis. Nam reliquis in ſervitutibus ſervi ex dominis pendent; at illa ex te. Prius ibas quo volebas, cœnabas ubi volebas: vivebas quicum volebas: vagabaris, nugabaris, convivabaris, luſitabas, confabulabaris. Nunc domi deſidendum, cœnandum domi, cubandum domi, vivendum more illius. Quæ ſi facis, ubi dulcis illa libertas? Sin minus, lites domi paratæ, audienda iurgioſæ uxoris convicia.* Res augeri poterit per Contentionem. *Servus vernaculus, ſive emptitius, vel pretio dato, vel ex heri benignitate, ſperat libertatem: hîc ſola mors habet ius manumittendi. At formoſa eſt, non poteſt non eſſe voluptati! Imò ſi formoſa eſt, certam effugere miſeriam non potes. Nam ſi deformis eſſet, minus quidem animum voluptate oblectaret: at rurſum metu minus angeret, minus procax eſſet. Nunc quum formam ſuam non ignoret, multo erit inſolentior. Tum ſi parum pudica ſit, quî tibi iucunda poterit eſſe vita: ſin pudica, quod haud ſcio an fieri poſſit, perpetuo metu cruciaberis, ne te non ſatis amet, ne corrumpatur, ne mutet animum. Nam ſi non ames, miſerum eſt vivere cum eâ quam non ames: Sin ames, hæc omnia ſecum incommoda adfert Amor,*

*Amor, ſuſpiciones, iniurias, iurgia, rixas, & cætera. Præterea ſtulti eſt, compedes ſuas quamvis aureas amare. Quid refert, lineo an ſerico fune ſtranguleris?* Deinde extenuabis eam corporis voluptatem, quâ negabis tantos dolores eſſe emendos. Eſt enim *pecuina prorſus, plena faſtidii,* & juxta Arbitrum,

FOEDA EST IN COITU ET BREVIS VOLUPTAS,
ET PIGET VENERIS STATIM PERACTÆ.

*Plus aloës quam mellis habens, indigna magnis ingeniis. An hæc una tanti eſt, ut multo dulciores voluptates relinquas, & tot miſerias adeas?* Atque hîc rurſus incidit locus communis, *adverſus eam voluptatem quæ ex coitu percipitur: quam quidam non inſcitè morbi comitialis ſpeciem dixêre, Plato eſcam malorum. Nulla res magis hebetat animi vigorem, nulla magis enervat vires corporis, nulla magis accelerat ſenium.* Poſthæc oſtendat rem eſſe plenam periculoſæ aleæ. Hîc locus incidit odioſus, de vitiis feminei ſexus: *quam paucæ bonæ aut pudicæ reperiantur: quam paucos non pœnituerit initi coniugii.* Hæc omnia, quæ nimium frequenter accidunt, ponet ob oculos. *Vxorem rixoſam, procacem, impudicam; breviter, his moribus, ut, quod frequenter accidit, maritum ad mortem adigat: perennes querelas, dotis exprobrationem, affinium grave ſupercilium, garrulam ſocrus linguam, ſuffoſſorem alieni matrimonii, liberos impios ac perditos, aliaque,* quæ plurima collegére Juvenalis, Tertullianus, Hieronymus, & alii qui in vituperando matrimonio vires

eloquentiæ deprompſerunt. Atque hinc veluti gradu facto deſcendet ad ea incommoda quæ felix etiam matrimonium ferè conſequuntur: *maiorem rei domeſticæ curam, ſtudium augendarum facultatum, adipiſcendorum honorum; huc enim exſtimulat uxoris fœcunditas; morbum filiorum aut uxoris, mortem, luctum, orbitatem.* Contrà, quæ voluptas ſit in literis. *Non poſſe quemquam ſimul & uxori & Muſis vacare.* Quæ dignitas, quæque felicitas virginitatis. Hìc per Contentiones enumerabit, quæ relinquat, quæ ſubeat. *Sed ſine matrimonio genus humanũ ſuſtineri non poteſt: quaſi verò deſint, qui iſto munere fungantur. Iſtuc aliis relinque qui humanis rebus ſunt nati: tu ad divina, ad cæleſtia factus es. Sunt tibi fratres, quorum operâ genus tuum poſſit propagari. Tuum eſt, illud non liberis, ſed literis illuſtrare. Plures filios tibi parabis beneficiis tuis, quam uxor poſſit gignere. Et ſæpenumerò fidelius amant, quos pararis, quam quos genueris. Puta te tot habere filios quot pueros, quot adoleſcentes ad honeſtas literas ac piam vitam inſtitueris. Hi parentem non gravant ſumptu, non diſcruciant alendi ſolicitudine: imò potiùs alunt parentem.* Et hic eſt locus communis, *longè verius eſſe patrem qui fingit ac format animum, quàm qui generat corpus.* At horum omnium ſingula poterunt accommodari exempla, cæteraque quibus oſtendimus orationem locupletari. Hæc indicaſſe ſuffecerit, ne plus ſatis oneremus lectorem.

F I N I S.

THO-

# THOMÆ MORI
## ANGLI
# Qualis uxor deligenda.

THOMÆ MORI·

ANGLI

# Qualis uxor deligenda,

## AD CANDIDVM.

Verſus Jambici dimetri brachycatalectici.

*Iam tempus id petit,*
*Monetque, Candide,*
*Vagis amoribus*
*Tandem renuncies,*
*Tandemque ſinas*
*Incerta Cypridis*
*Sequi cubilia.*
*Quærasque virginem,*
*Quam rite iam tibi*
*Concorde vincias*
*Amore coniugem,*
*Quæ iam genus tuum,*
*Quo nihil beatius,*
*Fœcunda dulcibus*
*Natis adaugeat.*
*Pater tibi tuus*
*Hoc ante præſtitit.*
*Quod à prioribus*
*Prius receperis,*
*Non abſque fœnore*
*Repende poſteris.*

*Non ſit tibi tamen*
*Hæc cura maxima*
*Spectare, Candide,*
*Quid dotis afferat,*
*Quam ſitve candida:*
*Infirmus eſt amor,*
*Quem ſtultus impetus*
*Decore concitus*
*Parit, vel improbus*
*Ardor pecuniæ.*
*Quicunque amaverit*
*Propter pecuniam,*
*Amatur huic nihil*
*Præter pecuniam.*
*Capta pecunia*
*Vaneſcit ilico,*
*Item fugax amor,*
*Fereque iam prius*
*Perit quam naſcitur.*
*At nec pecunia,*
*Quam avarus antea*
*Miſer cupiverat,*
*Iuvare poſtea*
*Quicquam poteſt, ubi*
*Quam non amaverit*
*Invitus. attamen*
*Omnino cogitur*
*Tenere conjugem.*
*Quid forma? nunquid hæc*
*Vel febre decidit?*
*Annisve deperit,*
*Vt ſole floſculus?*

Tum

*Tum defluentibus*
*Genæ coloribus*
*Amor, ligaverant*
*Quem hæc ſola vincula,*
*Solutus aufugit.*
*At verus eſt amor,*
*Quem mente perſpicax,*
*Ratione conſule*
*Prudens iniverit,*
*Et quem bono omine*
*Virtutis inclytæ,*
*Quæ certa permanet,*
*Non febre decidit,*
*Annisve deperit,*
*Reſpectus efficit.*
*Primum ergo quam voles,*
*Amice, ducere.*
*Quibus parentibus*
*Sit orta, perſpice.*
*Vt mater optimis*
*Sit culta moribus,*
*Cuius tenellula*
*Mores puellula*
*Inſugat, exprimat.*
*Tum qua ſit indole,*
*Quam ducis. hoc vide,*
*Vt ore virginis*
*Inſit ſerenitas,*
*Ab ore virginis*
*Abſitque torvitas.*
*At rurſus ut tamen*
*Sit in genis pudor,*

Nec

*Nec ore virginis*
*Inſit procacitas:*
*Et ſit quieta, nec*
*Cingat ſalacibus*
*Viros lacertulis:*
*Vultu modeſta ſit,*
*Nec ſpectet undique*
*Vagis ocellulis.*
*Proculque ſtulta ſit*
*Parvis labellulis*
*Semper loquacitas:*
*Proculque ruſticum*
*Semper ſilentium.*
*Sit illa vel modo*
*Inſtructa literis,*
*Vel talis ut modo*
*Sit apta literis.*
*Felix, quibus bene*
*Priſcis ab optimis*
*Poſſit libellulis*
*Vitam beantia*
*Haurire dogmata:*
*Armata cum quibus,*
*Nec illa proſperis*
*Superba turgeat,*
*Nec illa turbidis*
*Miſella lugeat*
*Proſtrata caſibus.*
*Iucunda ſic erit*
*Semper, nec unquam erit*
*Gravis, moleſtave*
*Vita comes tua.*

*Quæ docta parvulos,*
*Docebit & tuos*
*Cum lacte literas*
*Olim nepotulos.*
*Iam te iuvaverit*
*Viros relinquere,*
*Doctæque conjugis*
*Sinu quieſcere:*
*Dum grata te fovet,*
*Manuque mobili,*
*Dum plectra perſonat.*
*Et voce, qua nec eſt*
*Progne ſororcula*
*Tuæ ſuävior:*
*Amœna cantitat,*
*Apollo quæ velit*
*Audire carmina.*
*Iam te juvaverit*
*Sermone blandulo,*
*Docto tamen, dies*
*Noctesque ducere:*
*Notare verbula*
*Mellita, maximis*
*Non absque gratiis*
*Ab ore melleo*
*Semper fluentia:*
*Quibus coerceat,*
*Si quando te levet*
*Inane gaudium.*
*Quibus levaverit,*
*Si quando deprimat*
*Te mœror anxius.*

*Certabit, in quibus*
*Summa eloquentia,*
*Iam cum omnium gravi*
*Rerum ſcientia.*
*Talem olim ego putem*
*Et vatis Orphei*
*Fuiſſe conjugem:*
*Nec unquam ab inferis*
*Curaſſet improbo*
*Labore fœminam*
*Referre ruſticam.*
*Talemque credimus*
*Naſonis inclitam,*
*Quæ vel patrem queat*
*Æquare carmine,*
*Fuiſſe filiam.*
*Talemque ſuſpicor,*
*Qua nulla charior*
*Vnquam fuit patri,*
*Quo nemo doctior,*
*Fuiſſe Tulliam.*
*Talisque, quæ tulit*
*Gracchos duos, fuit,*
*Quæ quos tulit, bonis*
*Inſtruxit artibus:*
*Nec profuit minus*
*Magiſtra, quam parens.*
*Quid priſca ſecula*
*Tandem revolvimus?*
*Noſtrum videbitur*
*Vtcunque ruſticum,*
*Vnam tamen tenet*

*Quicumque virginem,*
*Tenet, ſed unicam:*
*At ſic, ut unicam*
*Pleriſque præferat,*
*Cuique conferat*
*Ex his fuiſſe, quæ*
*Narrantur omnibus*
*Tot retro ſeculis,*
*Quæ nunc & ultimam*
*Monet Britanniam*
*Perlata pennulis*
*Fama volucribus.*
*Laus atque gloria*
*Orbis puellula*
*Totius unica,*
*Ac non modo ſuæ*
*Caſſandra patriæ.*
*Dic ergo Candide,*
*Si talis & tibi*
*Puella nuberet,*
*Quales ego tibi*
*Supra recenſui:*
*Deſit, licet queas*
*Formam requirere.*
*Dotiſve quod parum*
*Lucrere conqueri,*
*Hic ſermo verus eſt,*
*Quæcunque ſit, ſatis*
*Eſt bella quæ placet,*
*Nec quiſquam habet magis,*
*Quam qui ſibi ſatis*
*Quodcunque habet, putat.*

Sic

*Sic nunc me amet mea,*
*Vt nihil ego tibi,*
*Amice, mentiar.*
*Cuicunque gratiam*
*Forma negaverit*
*Natura virgini,*
*Certe licet ſiet*
*Carbone nigrior,*
*Foret tamen mihi hæc*
*Virtutis indole*
*Olore pulchrior:*
*Cuicunque lubrica*
*Dotem negaverit*
*Fortuna virgini,*
*Certe ſiet licet*
*Vel Iro egentior,*
*Foret tamen mihi hæc*
*Virtutis indole*
*Te Crœſe ditior.*

DA-

# DANIELIS HEINSII
# EPISTOLA,

Qua agitur,

An, & qualis viro literato ſit ducenda uxor.

*Ad Virum Clariſſimum*

IACOBVM PRIMERIVM.

T

# V. C. IACOBO PRIMERIO

## DANIEL HEINSIVS S. D.

Duacum.

Delicatos vere ac ſuaviſſimos, Primeri optime, verſiculos, quos ante dies aliquot ad nos miſiſti, recte accepimus. quibus ne Muſas quidem quicquam dulcius aut elegantius in Cadmi olim ceciniſſe nuptiis exiſtimo. Tum, quod ſane miror, ſummam rationem habitam accentuum hic video: quæ Gallorum & Belgarum ſyllabas, quod pauci hactenus obſervant, moderatur. Beatam vero eam Nympham, quam tu famæ & æternitati venuſtate illa traditurus es. Ferent enim annos, ſi quid judico, quæcunque ab hoc genio judicioque condimentum acceperunt. Legi & Latinos; quorum non eſt minor elegantia. Ut mihi quidem plane Aſteropæus videaris; vere ambidexter. Nam quid ego de tuarum elegantia nunc dicam literarum? in quibus cum acumine felici terſa quædam ac nativa ſic venuſtas ac Latinitatis indoles conſpirat, ut qui merito de utriusque imitatione deſperaret, utrumque à natura proficiſci libentiſſime concederet. Idem ſcio judicabit noſter Baudius, ætatis noſtræ, ut tu vere, ſummum ornamentum. Sed lepôrem, & feſtivitatem quæ in illo viro eſt, præſentes

tantum vident: quia maximam merentur admirationem, quæ ſine ulla meditatione ac cura, aliud agenti excidunt. Inprimis Jambi; quibus cum antiquitate certat. Quicquid enim illi benigniſſima ſuppeditat memoria, hoc carmen, quia proxime ad ſermonem, ut de eo recte ſentit Ariſtoteles, accedit, facile admittit: nec varietatem illam dictionis, quã ubique ſimilem & uniformem reliqua, quæ graviora ſunt, deſiderant, ſimillimum ſermoni, reſpuit. contra quam fit in Tragœdia: in qua ſeveritas conſideratur. Atque utinam ad reliqua tam reſpondere poſſem, quam de illis tuis judicare potui. Quia tamen vim amicam plane adhibes, o bone, & in re quam maxime ardua ac gravi, non tam poſcere conſilium quam extorquere hic videris: age ſane, viro optimo geramus morem. Non ut præſcripſiſſe quicquam videamur, ſed ut de judicio unius quantum eſt eritque unquam hominum vere amiciſſimi, conſtare tibi poſſit. Tria ſunt videlicet, de quibus quæris. Primo, Utrum literato ducendam eſſe exiſtimem uxorem. Secundo, De tua quid exiſtimem. cujus tu hic dotem, formam, ac ingenium, mirifice extollis. Et de ſingulis ex aliis non pauca jam audivi. Tertio, Quo pacto hanc amandam tibi arbitrer. Primum quod attinet, miratus ſum, ut controverſum id à te proponi, quod ipſa hactenus dijudicat natura. quæ à communi hominum conditione literatos non excepit, neque ſexu quodam tertio diſtinxit.

Quod

Quod & antiquiſſimorum exempla probant ſapientum: quorum nemo, ne in maxime ſevera quidem ac auſtera Stoicorum gente, fuit, qui non barbam quoque & ſupercilium uxoriis amplexibus ſummiſerit, aut in iſta parte a reliquis diſſenſerit. Non quin cælebs forte vixerit nonnemo: ſed quod non qua talis. verum quia hic adverſus voluptatum ſtimulos præſidii a natura pluſculum, quam ille, accepit: vel quod minus acres ſentit: vel poſtremo, quod amoris ſimulachra diligentius vitare ſolet. Nam hoc plurimum in hac re poteſt. Humanus quippe animus in eam penitus converſus partem, quam præclare Imperantem Stoici & Plato dicunt, qua ad Deum immortalem proxime homines accedunt, & in qua ſupremum hominis ac propriũ verſatur opus ac officium, a ſenſibus externis ſeparatus, tutũ ac immunem a contagione iſta facile ſe præſtat; quæ ut primo ſe per oculos inſinuat, ita parte ea quã natura rationi maxime oppoſuit, ac cujus pudere omnes voluit, reſtinguitur. Cui qui honeſte imperare nõdum didicit, honeſte ſerviat, ſi volet: & ad generis humani propagationem, quod vectigal omnes conſervationi ejus debent, caſte ac legitime accedat. Adde his infinita, quæ præ reliquis ad hanc videndi rationem invitare literatum hominem debebant. Inter quæ vel primo illud loco pone, quod plerumque rebus ſuis & domeſticis negotiis, dum alibi intentum habent animum, præeſſe, ut alii, non poſſunt. Qui

quo eſt nobilior, eo, cum in ſe reflexus & à curis iſtis ſine quibus ſe tueri paterfamilias non poteſt, longius remotus eſt, eo contemplatur acrius. Quod Democrito & Anaxagoræ evênit. Quorum, à corpore & humanis cogitationibus divulſus quaſi ac adverſus, peregre dum eſſet animus, culta & agellos, ut antiqui notant, pecudes depaſcebantur. Quare in partem domus ſane uxor, non illepida, non invenuſta, nec laſciva tamen, veniat. Quæ poſtquam interdiu, curas iſtas minimas, ſed tamen neceſſarias, in ſe ſuſcepit, noctu matronali verecundia, quam caſtus ac legitimus mariti amor non lubido ſua aut procacitas remittit, graviores quoque abſtergat, & complexibus ſuaviſſimis, moroſam illam contemplandi voluptatem diluat. Non ut corpus, quod eſt belluarum, defatiget, ſed ut majus deſiderium in animo accendat: menti autem inſtrumenta ſua integra relinquat. Quæ in corpore, non vegeto non ſano, aut ſi nimia libido id afflixerit, opus ſuum, ut oportet, exercere, venuſtiſſime Primeri, vix eſt ut poſſit. Jam quid ſuavius, à publico negotio aut libris venienti, quam uxorculæ conſpectus, quam occurſus liberorum, qui ut è parentis ſententia inſtituantur, mature de conditione aliqua eſt cogitandum. tum vero, quia ætas nulla ſatis tuta eſt ab eo, quod hac prima tantum tempeſtive fieri putatur. Turpe enim eſt ſenilis amor, ut Poëta tuus canit. Quod ſi urges, & exemplũ mihi, non alterius ſed meum,

homo

homo urbaniſſimus proponis, nec conſilium à nobis modo petis, ſed & inſtitutum pro lepore tuo noſtrum ſerio miraris; pro me pauca loquar, & in ſinum tuum animum hunc noſtrum ſemel candide effundam. Ego, libero, ſi verum vis audire, lectulo ac meo, nihil hactenus beatius, nihil ad Deorum vitam propius accedere putavi: in quo inter ſomnum ac nocturnam cogitationem tota nox dividitur, neque ad arbitrium cujuſquam dormiendum eſt aut vigilandum. Ex quo ipſo, cum videtur, ne libellos quidem meos, intimæ admiſſionis ſocios, excludo. Quod in matrimonio, ſi quiſquam, optime vitare queam, & vitandum eſſe in primis cenſeo. Nullus enim Ariſtoteli eſt locus aut Platoni, ubi ſtola regnum poſſidet: neque quicquam magis diluit amorem, quam auſteræ maritorum noctes & Muſarum pervigilia. Ipſum quoque Homerum, cum corona & unguentis, non è civitate, quod volebat ille, ſed è lecto relegandum puto. Et profecto, cum, ſive ipſe Deus immortalis, ſive ancilla ejus, mater optima Natura, ſexui infirmiori huic plurima graviſſima duriſſimaque propoſuerit, adeo, ut hanc ipſam, ſi quam è complexu maritali, re tam caſta, tam honeſta, voluptatem expetit, graviſſimis redimere doloribus, tanquam debito naturæ, ſit obſtricta, quid tam æquum eſt, ô noſter, quam in comitate viri ac lubentia, nonnihil ſolatioli habere mulierculam? Animal ut imbecille ac blandum: ita, niſi quate-

nus mariti amor intercedit, prope ad calamitatem natum. Cum præſertim huic rei ignaviſſima pars vitæ noſtræ nox ſit deſtinata: ne cuiquam, ſcilicet, diſcedat, quod uxorculæ impenditur. Quare apage iſtos, qui ad lectum, tanquam ad tribunal publicum, accedunt: qui eodem vultu conjugi ſe ſiſtunt, quo ſententias pronunciant. Adde eos, qui moroſe nimium ac pertinaciter addicti Muſis, in ſuaviſſimo atque omnium participe corpuſculo, librorum moles ex inepta conſuetudine deponunt. Nam & iſtos novi. Vere umbratica ingenia: quibus nimia in literis intenſio ac cura, uſum pariter vivendi adimit ac fructum. Jam nonnulli ſunt, qui ſatis eſſe exiſtimant ſi virum egerint, cum plus ſit agere maritum. Quod in reliqua non tantum vita, ſed & iſta quoque parte latius diffunditur. Itaque ubi tanquã neceſſarium tributum, jus uxori præſtiterunt, iterum de libris cogitant. Cum benignitate potius totius vitæ ac jucunda conſuetudine, quam indicta aut prçſcripta ad arbitriũ naturæ voluptate, matrimonium alatur. quæ in belluis coacta, in hominibus à ratione, quaſi condimenta quædam, delicatas accipit blanditias, à quibus ipſa ſuperatur. Mea autem alia eſt ratio: cui ne hic quidem otioſo eſſe licet, ubi præter ſapientiam amplector neminem. In lecto ſcilicet. Ubi de divinis ac humanis rebus mecum cogito: ubi, tanquam poſitus in ſpecula, ambitionem fori, aulæ vanitatem, neque valde literatus neque triſtis

admo-

admodum homuncio, ridere mecum ſoleo, & judicium de nobis utriuſque, innocentiſſima ingenii hilaritate ulciſcor. Interdum, ne quid mentiar, ex anima & bona fide dormio. Video enim, viros eruditos, & qui nimium ſe macerant, plerunque haud diurnare. Quare operam inprimis dandã puto, ſuaviter ut vivam: unice ſecurus, ne aut cauſa excidam in foro, aut in ambitu repellar, aut in mari Indico, aut noſtro, bonis eluam, ac cadam: aut, dum male neſcio quis noſtra gerit, publice conturbem. Multo minus, ne de dote filiæ, aut patrimonio hæredis, quotquot anni, aliquid diſcedat. quos mortales ego qui aut quales ſint futuri, nec dum novi, neque ſcire admodum exopto. Felicitatis hujus meæ ne fortaſſe aliquando obliviſcar, aut non ſatis talis mihi videar, ut conditionis noſtræ noſmet pœnitere ſolet, Hagam me ſubinde confero. ubi vultus intuor eorum, qui aut calide ambiunt, aut litigant ſollicite, aut miſere excidunt. Quorum numerum ſubduco, &, quemadmodum Conſulibus Romani, ita annos ſingulos calamitate ambitionis noto. Neque raro epigrammate aliquo feſtive iſta rideo ac ludo, quæ prudentiores, ut putantur, quam ſum ego, ſola admirantur. Jam ſi quando ſtudiorum aut quotidianæ lectionis tædium me percipit, corpuſculum ſuaviſſime exerceo. Eſt in iſta urbe equus, notæ lenitatis animal, ac plane invictæ, tanto robore animi, ut ſtimulos, calcaria, ac flagra, (quanquam & in aliis nonnunquam

me exercui) pluſquam Stoica conſtantia contemnat: tam exacta autem macie & exquiſita, ut propemodum jam, quod in equo generoſo commendavit Maro, ſtare loco neſciat. Quem ubi aliquantulum defatigavi, ſine ullius Principis benignitate, Eques domum redeo. aliquanto, mihi crede, alacrior, quam ſi (de quo te nunc totum cogitare reor) ab uxoriis complexibus redirem. Rempubl. autem, & quæcunque eveniunt in ea, eminus aſſpecto. ut & Sacrum bellum hoc, quod tot jam annos ſtyli geritur mucrone; veræ tantum pietatis ſtudioſus: quam ex ſacris libris & Theologis antiquis, quos non parum reverenter tracto, hauriendam arbitror. Cætera quæcunque, doctioribus relinquo. Inter quos nonnulli, qui arcana Dei ignorare nolunt. Quaſi parum ſit dare operam ut ſalvus fias, quanquam iſta neſcias quæ Deus voluit neſciri. Mihi vero ſufficit quod illi ſatis eſt. Diſputando autem nec fortaſſe illi placeas, & plurimos neceſſe eſt offendas. Accedit huc, quod nulla ratione magis veritas involvitur, quam qua plerique eam quærunt. Hæc cogitanti (& nonnunquam puer ex Bernardo, aut Hieronymo, aut Auguſtino, cæterisque viris ſanctis, legit aliquid) ſomnus placide obrepit; nihil minus quam ſollicito, ne poſtridie ſurgendum ſit mane: nam ut plurimum in multam lucem lego aliquid aut meditor in lecto, ſi præſertim nihil ſit in publico dicendum. Cui rei hora deſtinatur. Quæ ubi cecinit,

cinit, autorem aliquem in manus ſumo. è quo, vultu graviſſimo, inſuper togatus (ne tu nihil agere nos credas) aliquid interpretor. In quo, aut de Hectore, aut Polydamante, aut de Priami majore nuru, diſſero. Interdum horam integram iraſcor Agamemnoni, quod nullo loco habeat Achillem: interdum huic ipſi, quod tam graviter ſuccenſeat. Interdum parricidium Oreſtis, Clytemneſtræ adulterium accuſo. Hæc qui impoſuerunt nobis, nullo modo metuunt, ni fallor, ne arcana Reip. ad hoſtem perſcribamus, aut in ea anxie inquiramus. Fieri autem poteſt, ut nec illis ego ſuam invideam felicitatem. Ita pares ſumus. Mihi vero placet hactenus profeſſio non gravis. quæ ad alia quæ lubet cogitanda ſpatium ac tempus concedit. Hac moleſtia defunctus, domum redeo: ubi in omne ſtudiorum genus animum diffundo. Quibus à contemptu olim facile, ut ſpero, vindicabimur. Neque raro & publicam bibliothecam peto: cujus regni cura, beneficio eorum quibus cura ſtudiorum in hac urbe incumbit, nobis contigit. In quam ſimul pedem pono, foribus ac vulgo peſſulum cum cura obdo. Ambitionem autem, ac amorem, aliaque id genus, quorum parens eſt ignavia, excludo, atque in ipſo æternitatis quaſi gremio, inter tot illuſtres animas menteſque, ſedem mihi ſumo. tam ingenti quidem animo, ut magnatum ſæpe ſim miſertus, qui felicitatem hanc ignorant. Hujus vitæ ſuavitate mirum hactenus

nus in modum oblectatus, ſi fortaſſe quæris, quare uxorem domum non deduxerim: Ita felix mihi hoc quod ago ſit & fauſtum, ut propemodum oblitus ſum. Ea meditationum noſtrarum vis eſt & illecebra. Porro, ut nemini ſum autor, qui ſic poteſt vivere, ut uxorem ducat: ita qui uxorem duxit, ei non ſum autor ut ſic vivat. Alia enim viri felicis, alia prudentis mariti eſt ratio. Tum & fœminæ ambitioſæ ſunt, ac liberi plerunque multis egent. Jam ad tuam venio, quod erat alterum. In qua primo omnium de dote agis. De qua jurejurando ut ex animi ſententia me loqui credas, opus non arbitror. Ego, mi Primeri, dotem luculentam nunquam contemnendam putavi. Cujus quidem tu opinionis meę cauſam ſi expectas, non te ad Philoſophum, ſed in macellum, aut ad Ianum medium, abire jubeo. Quo cum adveneris, quem quantumque uſum nummis habeat, ſine præceptore ullo facile intelliges. cujus beneficio ac uſu omnia mortalibus contingunt, præter bona animi: quæ eſſe alibi quærenda, non ignoras. Ad hæc quoque cum ſplendorem ſuum Diva contulit Moneta; cætera aut confirmat, aut non mediocriter illuſtrat. Quam & comparare ut oportet, & conferre quo oportet, materia virtutis eſt. Ex eodem enim dives fuit Crœſus, liberalis Cimo, qui turmatim pauperes ad ſe vocabat; quos mox bene ac prolixe habitos, ad ſuos dimittebat. In egentes quoque, ſi quos norat, conferebat ſtipem.

ſtipem. Qua virtute nihil dignius eſt homine: ut quæ nomen accipit ab eo. Eadem enim & humanitas nonnunquam dicitur. Ut de magnanimitate nihil dicam: quæ cum omnium virtutum ſit regina, ſine opibus tueri ſe vix poteſt. Cætera vivendi quoque officia omitto, quæ ſine iis vix deſcribi à Philoſophis poſſunt, tantum abeſt ut ab actionibus nonnullis queant ſeparari. Quare, qui tantopere Ariſtotelem condemnant, quod nonnihil ad felicitatem uſus ac momenti in his ponit, Stoicorum autem nimiam ſeveritatem extollunt quotidie ac commendant, & ſine iis tamen frui iſtis quæ exoptant maxime, non poſſe ſe fatentur; idem mihi facere videntur, quod choragium qui tollunt cum libenter in theatro ſedeant. Nam ſi in contentionem cum virtute veniant aut moribus, cedant ſane: ſi præſertim ea ſit felicitas mariti, ut virtutem conjugis ac mores, ſua ſibi dote ſuſtinere poſſit: quos plerique laudant, pauci imitantur. Nec jam dico, quam ſit homine feſtivo dignum, ad complexus quoque & oſcula, & cuncta, quæ per te lubenter agas, quaſi ſtipendiolo adduci. ne vel gratis ſcilicet ſis felix. Quo auctoramento, nullum minus eſt moleſtum: ſicut contra nihil eſt miſerius quam procreare liberos, ad quos nihil ex hæreditate tua præter famem perventurũ videas ac ſitim. Adde jam, quod ipſa quoque Venus cum culina fervet pariter ac friget. Secundum erat, Forma, quam in tua

cum

cum tantopere commendas, riſum equidem vix tenui. hoc enim ipſum eſt amare. Vellem tamen, quod in primis dignum hac vernilitate erat, ejus nobis definitionem aliquam dediſſes. Næ tu maximam, o noſter, præſtitiſſes rem, & quam hactenus Venerei nepotuli ubique quærunt. Inter quos non magis de hac hactenus convênit, quam de ſummo bono inter priſcos ſapientiæ conſultos. Sed ponamus tamen aliquid. Frontem tenuem, quam quidam latam eſſe malunt: ſuperciliũ, quale Jovem olim habuiſſe credidit Homerus, cæruleum: oculos nigerrimos: crines ſumma ſui parte aureolos, ſed qui infra ſupercilio ſi non reſpondent plane, aliquantulum accedunt tamen: quales in Bathyllo ſuo eſſe voluit Anacreon. Candorem exquiſitum, ſed quem rubor virginalis, genarum ille pictor, illuſtret potius quam pingat: oſculum anguſtum, quod rubente utrinque labellorum purpura diſtinctum, dentium candorem quoque plurimum commendet. Nares ſurſum leniter inflexas, ſed quæ à Socraticis quamplurimum recedant. Veſcum corpuſculum, & tamen ſolidum ac ſucci plenum: quod nec mole carnis amplectentem oneret, neque exhauſtum magna ſui parte offendat. Papillas autem, parvas quidem illas & quæ orbe modico cohibeantur, inſtar vero marmoris, ut vetus loquitur Poëta, conſiſtant. Ne jam cætera hic tangam, quæ natura tegi maluit. De quibus vos, præclari, ſcilicet, aſtrologi, ex ingenio

genio vultus, oculorum radiis, circumdu-
ctione oris, ſciſcitari ſoletis. Quid enim non poëtæ poſſunt, qui Dis ipſis dant quod ament, & cœleſtes vultus non inveniunt ſed formant? Quis non in imagine aut ſtatua hæc malit quam in conjuge? Quæ cum uni placuit, tam facile aliorum judicia quam pudicitiam tuetur: & ſi recte eſt morata, vultum minus elegantem cætera emendant aut abſolvunt. Illa vero, quæ, cum prodit, aliorum in ſe oculos convertit; etiam ſi ſit pudica, ſemper habet quod excuſet ipſa, aut maritus ſuſpicetur. quippe quæ ſuſpicionis cauſas publice circumfert: cui in formoſa quidvis ſatis eſt. Huic adde aliud Naturæ arcanum. quod in florido plerunque corpore, & ſucci pleno, multa quoque copia luxuriat ſpirituum: quam pruritus acer & in Venerem laſcivia conſequitur. Hanc vero alia non pauca, quæ cum viri eruditi rationibus haud multum, mihi quidem, mi Primeri, facere videntur. De Nobilitate ſequebatur aliquid in tuis. Quæ, ut recte Ariſtoteles, virtus eſt generis, non noſtra. Quare in te quoque eadem ſi ſit, non diſſuaſerim ut ejus rationem habeas. Sin autem, onus eſſe ſcito, niſi auro aut agilitate redimatur. quam ut ſemper æſtimare, ita viris imputare ſolent fœminæ. Ne jam de putiditate ſexus dicam: quod perpetuo cum tædio virorum, avos ſuos atavosque narrant & loquuntur. Verum de ingenio jam videamus: quod tu, tum in iis quas ad me dediſti literis,

tum in verſibus, mirifice extollis. Scribis, Memoriam illius eſſe ſummam, admirabile judicium, incredibilem ſolertiam, ingenium autem, ſupra ſexum: quod prope in ſtuporem quemlibet abripiat. Martialis quoque verſus plurimos tenere: quos in primis ſcite, ſuo quemque loco pro ingenio expromit. Quare ſervitutem novam creſcere indies, amantiumque plena eſſe omnia. ac cætera, quæ diſertiſſimus virorum pleno ore prædicas. Neque enim, ſi quid judico, metuere videris, ne, quod fieri nonnunquam ſolet, fidem habeam tam large tam facunde commendanti, & rivalis tranſmarinus fiam. Ante omnia mirari ſubit, quod tam accurate omnia diviſeris: ut qui nihil in illius commendatione, præter unicam virtutem, mihi quidem præterire viſus ſis. Sive quod hoc totum nunc ruſticitas vocatur, ſive quia vos Poëtæ cætera libentius laudatis: virtus autem minus lepide extollitur, neque ſemper belle dicitur in carmine. Adde, quod qui Elegos conſcribunt, temperantiam ac caſtitatem, primas fœminæ virtutes, ubi ponant non inveniunt. reluctantur enim ſyllabę. Ut tam male vobis cum matronæ honeſtate, quam poëſi veſtræ cum illius convenire moribus ac vita videatur. Jam vero, de parentibus hic nihil, nihil de amicis ac propinquis: quæ præcipue ſpectari ſolent. neque ſine cauſa, ſi quid judico. Primo enim plurimum ad dignitatem tuam ac fortunam refert, qui qualesque ſint hi: ſi præſertim ad

ma-

majora, quod virtute tua dignum eſt, aſpires. tum ad hoc negotium, quid æſtiment aut ſpectent. Ne tu quemvis eruditioni tuæ aut ingenio favere exiſtimes. cum pauciſſimi ſint tales; hoc præſertim ævo, quo plerique collybo infectas habent manus: & nunc permutatio in nuptiis, quæ emptionis ſpecies, inſtituatur. Ætatem quoque addis. Annum undevicesimum jam attigiſſe. qui eſt flos ipſe. Et educationem. Aliquamdiu in Gallia vixiſſe. Sed, ut dixi, de ingenio jam videamus. Quod quis non aut æſtimet, ſi adſit? aut non optet vehementer, ſi non adſit; Omnes enim æque id ſpectamus. Et in primis inter eos nomen ſemper ſum profeſſus meum. Neque hoc ignorare potes, ſi verſiculos legiſti noſtros, qui jam annos aliquot multorum manibus teruntur. diu eſt enim cum fregerunt clauſtra. Addo, ſicubi ingenioſam video aut eruditam, magis admirari me, quam ſi ab iſtis ſexum commendari noſtrum videam. Sed quandoquidem nec ſemper agimus poëtam, neque ingenium per ſe conſideramus; quid ſi ego, ſerio nunc tecum agam, & nugarum omnium oblitus, rem ut habet ordine examinem? Primo autem omnium, ſi lubet, vide, ne quod tu ingenium nunc vocas, ac tantopere commendas, alii protervitatem dicant merito aut petulantiam. Quam nec damno prorſus, quanquam nolim quidem. (ſed quid agas ſæculo invito?) Novi quoque citra famæ aut pudoris labem, multas eſſe ta-

les aut fuiſſe: neque raro poſt Lucinam & familiæ moleſtias mutari. Neque ego, ne tu cenſeas, Sabinam aliquam nunc laudo: quæ nihil præter pondus ſupercilii pro dote adferat ad virum. Verum hoc potiſſimum nunc quæri arbitror, Qualis literato homini conveniat: aut, ut ſic propius accedam, tibi. Non enim quælibet honeſta. quemadmodum quæ tibi non conveniet, non minus ideo hoc erit. Abſit ſane omen. Ut ſi meus calceus, non pedem meum urgeat ſed alienum: aut qui factus eſt ad alienum pedem, premat meum. Quicquid autem eſt diſſimile aut nimium, ut in Republica ſeditionem, ita in familia moleſtiam creare ſolet. Pulchritudo quoque, & opes, & nobilitas. Quia cum ſuperiores horum aliquo ſunt fœminæ, ſimpliciter ſuperiores eſſe volunt. Ut imperium affectent in familia: ſicut cives in Rep. Ideoque medii in Rep. tantopere laudantur. qui nec cauſam dant ſeditioni; & ab urbe eam facile avertunt. Tranquillitatis enim ſimul fundamentum & remedium moleſtiarum, mediocritas. Et eodem ſane modo, mariti imperium ad fœminam, quo Principis transfertur ad populum. Tamen de ingenio quandoquidem nunc agitur, velim primo omnium, quem ejus uſum eſſe exiſtimes in fœmina, reſpondeas: ne aliud agamus. Nihil enim fruſtra eſſe expetendum noſti: & ad finem ſuum cuncta eſſe referenda, homo doctiſſimus neſcire non debes. An in Senatu ſententiam ut dicat? An ut

ver-

verſum æque elegantem ac tu ſcribat? Nihil horum credo. Ergo aliud in ſenatore, aliud in patrono, aliud requiri vides in poëta. Et hoc ipſum cui id requiritur, nos opus ſingulorum dicimus. Sicut aliquod eſt equi, aliquod eſt hominis, aliquod eſt patris, aliquod mariti: & in homine, aliquod oculi, aliquod pedis opus eſſe dicimus. Hoc tu forte credis, choreas venuſte ut ducat, facunde de ſingulis ut diſſerat, ſubito & præter expectationem ut reſpondeat: verſus Martialis commode & ſuo loco expromat: ſchacchiam quam dicimus, aut aleam, ex arte ludat: conviviolum lepôre ſuo condiat: voces liberiuſculas prima ut excipiat, prima intelligat, prima oculis retorqueat, nictet, argutetur, annuat. Nam hæc noſtras Veneres commendant: neque parum nos, ut verum fateamur, oblectarunt olim. quanquam in hac parte nunquam pudicitiæ modeſtiæque limites egreſſus ſum. Primum igitur, Primeri noſter, vide ſodes quam nunc tecum agam candide. An tu quicquam horum, aut Gnathænæ, aut Glyceræ, aut Phrynæ defuiſſe, aut Laidi exiſtimas? quarum argutiolas non paucas & venuſta dicteriola, libro fere integro recenſet Athenæus. Quæ ſi tu percurras, metuo ne tua parum tibi jam ingenioſa videatur. Ut omittam, plurimas earum literis mirifice, ac præ cæteris, fuiſſe inſtructas. Dices, Atqui quæſtum corpore feciſſe has quidem conſtat. Hoc eſt quod volebam. Paucæ enim ſunt, quæ, quid non li-

 ceat,

ceat, intelligunt: paucæ, quæ non admodum anguſto limite imminutam & virginem diſtinguunt. Cæterum, quodcunque aut faciant aut dicant, parum intereſſe credunt: nec referre putant quibus moribus ſit caſta. Sunt igitur in ea urbe in qua tu nunc amas, & doctatæ plurimæ & honeſtiſſimæ, quibus nihil poteſt objici, niſi quod fortaſſe pluſculos in ædes, aliquos in animum admittunt. quod fit crebra conſuetudine & uſu. in quibus nihil tam timendum, quam quod ſunt ingenioſæ. Quas plerique accedunt, non ut ament, ſed ut ſe oblectent. Quis enim non vernilitate iſta capitur? Neque ſane mirum, homines forenſes aliosque, poſtquam paria cum vitæ muniis fecerunt, quærere ubi ſe oblectent: aut, ut moleſtiam deponant, non ſeveras neque graves, ſed argutulas ſectari. Quam virtutem ideo in vernis magis quam in liberis Romani æſtimabant. Illæ vero, hercules, quantumlibet verſutæ, ne hoc quidem vident; non amari ſe ſed oblectare. Quare ſperant ſemper, & faſtidiunt: inque vicem ludunt alios, ab aliis luduntur. Igitur, ſi interim conditio ſe offert, & honeſta, neque indigna de qua cogitetur, ſi præſertim literatus ſit atque eruditus (tua enim res hic agitur) ibi omnes illi, ſæpe inepti putidique, & qui literas non norunt quas oderunt, ideoque grati ſunt præ illis, in conſilium vocantur: niſi ultro ſeſe ingerant. Similes autem cum ſimilibus facile congregantur, Solis quippe iis ar-

tibus

tibus obſtrictos puellarum ſibi habent animos, quas vel qui procantur ſerio, non diſcunt, vel qui didicerunt; jam mariti, malunt oblivíſci, etiam ſi non coguntur. Interim labuntur anni: perit occaſio: diſcedit formæ, quantum ad ætatem accedit. Alibi plus licet. Voces liberæ, oſcula obſcœniuſcula, colloquia ac nutus oculorum, motus impudici, contrectationes parum verecundæ, papillarum oppreſſiunculæ, etiam expetuntur: quæ ſpectari hodie ſe gaudent, & amantis oculos laceſſunt. Hederam ſuſpenſam dicas; Vinum venale eſſe. Guſtus datur. Cætera quid? Inter bonos bene agier oportet. fere promittuntur. Si qua minus ſibi fidit, carbaſo, ſed tenuiſſima, ſororiantes leviter obducit. ne reſtinguat deſiderium, ſed acuat. Ut ſi fuſca cutis expectationi non reſpondeat, velata amplius promittat. Sunt quæ feminalibus Gallorum more utuntur: quæ neceſſitati, ut ſolvantur quoties natura flagitat, utrinque patent. quod vel conſuetudo, vel patria, vel uſus, nonnunquam valetudo, excuſat. Neque ſane hoc reprehendo: neque quicquam magis, etiam in aulis, uſitatum. Sunt quæ penitus, ut nos, braccatæ incedunt. Atque ita mane, cum è lecto ſurgunt, aliquot, exemplo noſtro, ſpatia conficiunt: quibus amiculum invitæ aut tunicam inducunt. Iratæ nempe, quod non ſe quoque mares fecerit Natura. Ideoque ſexum ſuum fugiunt ac lugent: viros imitantur ſimul & exſorbent.

Nam quid ferrum illud dicam, quo honeſtæ etiam utuntur: quod cum veſtem ſupra alvum ad poſteriora pariter extendit, ſi quid latet illic, facile diſſimulat aut celat, & virginitati lepide patrocinatur? Dignum eo tempore inſtrumentum, quo diſſimulamus crimina, non fugimus. Ne jam de libellis quicquam dicam, quos in ſinu geſtant, & quotidie alios atque alios, aut poſcunt, aut, ſi dentur, non recuſant. Quibus dum lubido puellaris non ab uno aliquo accenditur aut irritatur, nos ab uno aliquo reſtingui poſſe exiſtimamus. At plerique, etiam feſtivitatem hoc aut jocum vocant. Quaſi verò non jocando fieri majora quoque ſoleant: aut grave ſit hoc opus quo virginitas minuitur. Sed corruptus nimia licentia, aut (quod nunc fit) exemplis vitæ, muliebris animus, quo præſidii in ratione minus habet, eo, ſi impellas, ad lubidinem proclivius magisque fertur: cum præſertim ab ingenio ſcintilla, ab educatione adeſt libertas, qualis eſt plerunq; tranſmarina. Hinc querelæ conjugales, ſi ſuſpicioſi ſint mariti, aut, ſi ab uxoria omiſſiores cura, primo omnium ingratæ, mox inviſæ quæ per ſomnum tranſiguntur noctes. Hinc ſine cauſis odia, ſine occaſione ſimultates. Si quid poſtulet maritus, torva ipſa & ſevera: hoſpes ſi excipiendus, triſtis ac moroſa. Quæ res generoſæ menti plane intoleranda. ut jam reliqua omittam. Poſtremo, niſi palleat vir quantum volunt, aut ſi jacuit averſus, ad vi-

cinum

cinum itur. Senſim enim eo ac per gradus deventur. Primo quippe, alienæ à marito, nihil majus adhuc audent. Cæterum, ubi ſemel honeſtatis tranſiere limitem, vel audaciam à ſucceſſu, vel a ſcelere ipſo, ſi ſit manifeſtum, ſumunt confidentiam. At Poëta noſter, optimus ac diſertiſſimus, canoros verſus meditatur, aut ſecure ſtertit: vel Tibullum ſuum & Naſonem cuculus percurrit. Interea

*Speluncam Dido, dux & Trojanus, eandem*
*Deveniunt.*

Nam hoc totos dies audiunt. Ridere autem vitia, & in vitiis rideri, primus ad peccandum gradus & ſuprema ſimul ſæculi licentia eſt. Nec deſipiunt, ſi verum volumus fateri, quæ, cum viros, aliorum alios ridere probra ſentiunt, maritos ipſæ clam eludunt, & hoc agere videntur, ne benigna illis vel feſtivitatis vel lepôrum materies deeſſe poſſit. Quæ non ab ingenio hic tantum ſuo, quia rem occulte gerunt, ſed & noſtro ſe abſolvi judicio intelligunt. Hæc tu verba eſſe exiſtimas & voces? Ego novi aliquot, qui nihil credunt eſſe verius. & tacent. Ut de reliquis nunc nihil dicam, quendam genere optimo prognatum, qui non ita diu eſt cum ad plures abiit. Is ergo, terſos adeo, Primeri noſter, adeo venuſtos, addo & Latinos, verſiculos ſcribebat, cum non pauca eſſent alia à quibus commendari poſſet; nihil ut toto vitæ tempore, egiſſe aliud aut cogitaſſe, videretur. Vocatus autem quodam tempore ad conviviolum cum

eſſet, evênit, ut puella quoque ibidem eſſet, mire arguta ac venuſta. Myrothecium Veneris, lepôrum omnium ac elegantiarum effigiem, homo factus ad poëſin dixiſſes. Vultu autem ita emendato ac feſtivo, nihil ut amari ulterius a quoquam poſſet. Accedebant oculi ( Dii boni quales ! ) voluptate ac illecebra pleniſſimi; aucupium amoris. Oſculum præterea exiguum.quod, veſtibulum Cupidinis, Gratiarum pyxidem, tuo more, in carmine vocares. Enimvero, pedem in choreis ſi quando poneret, præter ipſam artem ita lubrice ac agiliter ſaltare erudita, ſingula ut membra, non moveri ſed aut fluere aut natare diceres. Hic quid faceret, primum adoleſcens, tum, quod rei caput, poëta; benigna in amorem, ſcilicet, materies & prona? Primo ſcribere verſiculos, mox & amore ejus deperire cœpit. Quid multa? Ambit, & poſt menſes aliquos exorat: homo opulentus quidem ſatis, ſed qui durum atque illepidum in liberos parentem, tum adhuc ſuperſtitem haberet; novam matrimonii calamitatem. Cæterum; cum & ille aliud plane ageret, illa autem virum in lecto, non poëtam in carmine deſideraret, cœpit ei cum vicino quodam, homine viliſſimo, ſed admodum robuſto, belle convenire. Interim optimus ac ornatiſſimus vates, Iliada & Ulyſſeam totos dies cantillabat, aut fortaſſe Divæ Caſtitatis Hymnum ſcribebat. Τὸν δ' ἀπαμειβομένη illius conjux, in alterius amplexibus aſſidue ac diligenter verſabatur.

Nec

*Nec miſero prodeſſe in tali tempore quibat*, quod Elegias terſiſſimas conſcriberet, & verſiculos, Ovidiano more, alternos ( nam religioſe id quidem obſervaverat ) diſſyllabis concluderet. Noctu autem quoties jus ſuum peteret maritus; illa, ut plurimum, cunctando, & lenonia difficultatis arte, honeſtatem ſuam, quam proſtituebat foris, apud virum tuebatur. Quod ignaviæ illius tædio, non caſtitatis ſtudio, fiebat: quæ unius viri in matrona cultu ac obſequio cenſetur. Ille interim, ſi quando cum amicis animum laxaret, cum præſertim aliquantulum maderet, de pudore conjugis & caſtitate, totos dies pejerabat. ſæpe, ne abſente quidem illo, qui menſuram corporis illius, juxta ac maritus, cognitam habebat ac perſpectam. Multa in hoc juvene convenerant, quæ conjugii ſerenitatem ſingula turbare poterant. Meditationibus aſſiduis, neque dies neque interdum nox ponebat finem. Quemadmodum avarus fœnori, ita horas omnes & momenta cogitando aut ſcribendo deſtinarat. Jam, incredibilem vigorem animi, ætate prima ad lubidinem appulerat. Quo hoc conſecutus erat, ut ex illo priſtino ardore, nihil præter vitæ cœlibis impatientiam haberet relliquum. Cætera conjugii præſidia, inprimis illud maximum, ante ipſum jam conſumpſerat. Quæ res, optime Primeri, ſicut corpus, ita animum diſjungit atque avertit. Itaque in præſenti re cum verſaretur, & jam viro eſſet opus, continentiam aut tempe-

rantiam, plerumque commendabat. Et ut hoc uxori perſuaderet, è Platone ſuo aliquid aut Ariſtotele de ſummo bono & intenſione mentis adferebat: animo paratus miles, ſed quem aliqua (quod fit, quoties lubido annos antevertit, ac mox deſerit) calamitas attigerat. Interdum quoque locum aliquem Pollucis, ſcilicet, aut Feſti, à ſe emendatum cum gauderet, ne hoc quidem apud conjugem diſſimulare poterat. Cæterum matrona venuſtiſſima, verum quæ in Ariſtotele ac Platone nihil unquam legerat, ſed & de acumine & ſagacitate Criticorum, nihil audiviſſe videbatur, unius loci emendationem ſerio optabat. quem corruptum eſſe & in vitio jacere, ne ipſe quidem ſummus Criticus & optimus Poëta ignorabat. Sed, invita Venere & Minerva, nihil fieri ſolere noſti. Prima autem nocte, cum hilaritati & Lyæo patri indulſiſſet pluſculum (quod nec ordine nec recte à quibuſdam fieri videmus) illa autem pro virginitate, ut putabat, & ut mos eſt puellarum, ultimum certamen cerneret; ibi vates diſertiſſimus, qui tam ſæpe *Hymen Hymenae*, apud collegas ſuos legerat aut ipſe ſcripſerat, oblitus oris purpurei, cujus laudes decantaverat, oblitus genarum, quas cum nivibus ac minio toties contulerat, cæterorum omnium oblitus quæ referre mora eſt & adhuc in ejus carmine leguntur, nihil quidem ſe indignum fecit, ſed dormire cœpit: integramque, quanta fuit, noctem, bene ac pudice, gravis ac moleſtus nemi-

nemini, tranſegit. Mane autem, aut, quia de poeta loquimur, ubi

*Purpureis formoſa genis Aurora ruberet,*

cum nullius ſibi eſſet conſcius facinoris, & ex conſcientia inertiæ puderet, audiviſſe ſe ajebat, cum dolore calculi ſolere eam conflictari: cui omnes agitationes corporis inprimis eſſe adverſas. Id ex viro docto, Coo Hippocrate, ſe didiciſſe. Ea re commotum ſe, adverſus animi lubidinem, abſtinuiſſe illa: quippe qui illius valetudini conſultum vellet. Atque ita ſummus vir, neque contemnendus Themidis ſacerdos, præcipua duo Juris præcepta, una nocte expreſſerat. Nam & vixerat honeſte, neque quenquam læſerat. Suum autem cuique an reddidiſſet, quæri poterat. Mucius, ut reor, & Trebatius negaſſent. Idem autem & uxori ejus videbatur. Quæ pertæſa tandem hujus conſuetudinis ac vitæ, domi eruditas, alibi feſtivas noctes agitabat. Poëtas autem omnes oderat aut torvo intuebatur vultu,

*Vnius ob noxam & furias Ajacis Oilei.*

Me quoque inter eos, quoties ad virum ejus ventitarem. Quaſi vitium in carmine, non autem potius in viro eſſet. Ad Martialem quod attinet, ſcriptor terſus, elegans, venuſtus & acutus eſt. Quæ in eo autem ſpurca ſunt, improbitate & flagitio, utilitatem, quæ è reliquis percipitur, excedunt. E quibus quædam, ſine abominatione & horrore, ab honeſto viro legi non poſſe judico. Tantum abeſt, ut in

in fœminarum manibus, abſque detrimento pudicitiæ, verſari poſſe exiſtimem. Ne jam dicam, parum eſſe in eo quod ad proprium matronæ munus faciat. id enim à poëſi, niſi fallor, quam longiſſime recedit. Adeo, ut ne Sapphonē quidem, quamvis ejus qui de multis pauci hodie verſiculi leguntur, ipſum nobis ſuavitate ſua animum excutiant, ſi jam ſuperſit, ambiendam nobis credam. Nam Phaonem, aut, ſi viri nulli eſſent, vel Sicelidas vel Leſbidas timerē. Hoc ingenio profecit quippe, ut nequitiæ illius ſexus noſter non ſufficeret. Timerem autem, ne, ſi meram poëtriam duxiſſem, etiam prandendi nobis ac cœnandi verſus eſſent: aut, ne liberi communes immunditie perirent: aut poëtæ potius quam boni cives, educatione aut imitatione matris fierent. Quæ profecto re & uſu diſtinguenda ſunt in vita. Pauci autem oppido ex iis ſunt quos Muſæ totos vindicant, qui ludibrium non debent, cum à libris abſunt. ne tu aliud à fœmina expectes. Quare ut Ariſtoteles, alias in ſervo, alias in domino, alias in fœmina requirit virtutes, ita mihi alia amica, alia placeat conjux. At Poëtæ, poſtquam in Propertio Cynthiam, in Tibullo Deliam legerunt aut Nemeſin, quas proſtituiſſe formam confitentur etiam qui laudant, eaſdem carmini & vitæ ſuæ convenire arbitrantur. Digniſſimi mortales, qui tam caſtas habeant uxores, atque eorum, quos ſequuntur, dominæ fuerunt. Itaque non raro evenire ſolet, ut quo quiſque

eſt

eſt eruditior,eo magis ſub imperio uxoris vivat. Neque mirum. Nam quemadmodum Lacænæ, quod eit apud Ariſtotelem, dum in caſtris degerent mariti, jus eorum & autoritatem ſibi vindicarant : ita iſtæ, viris aliud agentibus, hoc eſt abſentibus, familiæ imperium invadunt. An tu autem domi eſſe cenſes, qui nunc in Homero,nunc in Seneca,aut in Platone (novi enim qui ſic vivunt) ſemper habent animum ac mentem?qui nunc Romæ, nunc Athenis, aut, ſi ad recentiora animum dimittunt, in Britannia, aut Gallia, aut India vagantur. aut, ſi nihil legunt, tamen in Parnaſſo aliquo aut Helicone aberrant, & præſentes etiam plerunque abſunt?

*Qui mihi ubi ad uxores ventũ eſt,tũ fiunt ſenes.* Unde faſtidium primo, mox contemptus: ſi præſertim ſint dotatæ aut liberius eductæ, quales vos ut plurimum ſectamini. Ita ſæpe evenit, venuſte noſter, ut dum iſti veſtri, ſapientes ſane ac eruditi viri, infrequentes ſunt ad ſigna, illæ quoque, neque inelegantes neque inficetæ, alibi ſtipendia clam faciant: vosque, publica & ubique nota nomina, ne privatas quidem ſæpe uxores habeatis. Aut ſi ſint honeſtæ, etiam amaræ ſint & viro graves. Neque ſine cauſa. Vos enim nihil præter numeros & pedes cogitatis. illæ autem peſſimæ, in lecto pedem tolli volunt. Quare ut feſtive & improvide amatis, ita ſæpe uxorem ducitis. cum nihil magis ſerio agendum, quam quod poſtea mutari nequit. Ergo ubi

ſemel

ſemel jugum boni viri, tanquam aſini aut boves, ſubiiſtis, culpam ipſi veſtram, ſed cum emendari jam non poteſt, miſeri agnoſcitis: ideoque, quicquid committitur ab illis, toleratis. tam ridiculi mariti, quam faceti amantes. Nempe, quia placido ingenio ac miti eſtis: &, præſertim ſi quis adſit, rixæ fugitantes. Obſtat enim pudor, qui in illis jam decoxit. Præterea, acceptam ac poſſeſſam ſemel vim imperii, non armis, ſed perverſitate muliebri, quod eſt multo efficacius, tuentur. Quæ cum ſemel jam virilibus intendere negotiis cœperunt, quod à vobis negligantur, animo feroces, ſenſim fœminarum exuunt virtutem: quæ eſt viri reverentia. Vos autem alia dum agitis, prius periiſſe eam quam perire vobis, animum advertitis. Quomodo & ſæpe in Republica imperium mutatur. Hoc eſt grande arcanum illud, quod interdum *ἐκ προσαγωγῆς*, interdum *παρὰ μικρὸν*, ab Ariſtotele in Politicis vocari non ignoras. In familia autem, quod de civitate dixit idem; nihil refert, utrum imperent matronæ, an qui imperare debent, mulieri pareant. Vides cauſam, quare minus commodis uxoribus utantur eruditi, aut cur ſerviant. Nam ut in Republica, induſtria imperium ſervatur, ita negligentia amittitur. Eodem autem modo hic. Negligentiam nunc voco, non quæ nihil agit, ſed quæ aliud aut cogitat aut curat. Quare ſæpe miror, Reges quoſdam impotentes aut tyrannos, literarum uſu interdixiſſe ſuis, ne imperium

rium

rium invaderent. ut Julianus ille, qui hoc alibi in Ariſtotele obſervarat. Ego ſane Rex ſi eſſem aut tyrannus, clam optarem, ut poëtæ omnes, philoſophi, aut oratores eſſent: aut in legibus aut aſtris animum haberent. Nam & animum enervant illa, ſi ſint nimia. & occupant: nec facile dimittunt. Fraudem præterea nec cogitant beati illi, nec intelligunt: & facillime imperium tum ferunt, tum admittunt. Niſi qui cum modo, & ad uſum, illa didicerunt: aut qui nati ad imperium, aut generoſo ſupra cæteros ſunt animo. Nam ad libertatem quoſdam, alios ad ſervitutem naſci, certum eſt. de quibus Ariſtoteles. Reliqui ut minime ambitioſi, ita honeſtiſſimi, ut plurimum, ſunt viri: qui opinione ſua ſeſe & ſtudiis oblectant. Ideoque nuſquam pictum, aut fictum, aut ſcriptum in hiſtoria invenies; virum cuiquam eruditum, regnum, aut imperium eripuiſſe. Multa quoque inter Stoicorum Regem & Iberiæ interſunt. Contra vero noſtri, ne in famulos plerunque quidem aut ancillas, inhibere imperium, ut par eſt, didicerunt. quod non minus, quam à conjuge extorqueri ſibi patiuntur. Mihi ergo matronale prius in puella placeat ingenium, ut in matrona mox probetur. Ac optarim quidem hilarem (non enim nego) ac feſtivam potius quam gravem ac ſeveram, ut nimirum habeat mens noſtra, cum ad ſeſe redit, ubi ſe oblectet. Sed ſi illa virum dedignetur eruditum, proba ſaltem veniat ac caſta. Quæ ſi ante

te nuptias in matris gremio non multis nota, honeſtiſſime educata eſt, poſtquam autem in amplexus viri bono cum parentum omine tranſivit, rem, quemadmodum oportet, domeſticam tuetur, domi ſæpius quam alibi conſpicitur (frons enim dominæ quam occipitium, familiæ plus prodeſt) marito morem gerit, & quousque ſatis eſt pudicam, etiam delectat, liberos cum cura educat, ancillis imperat, culinæ præeſt, in menſa autem vultum ante omnia lubentem ac ſerenum, tum vero fercula, quæ cura ac mundicies commendat potius quam apparatus cum judicio apponit; ſi quid minus verecundum (nam his moribus nunc vivitur) ab hoſpite effertur, aure neque prona id excipit, & facilius plerunque erubeſcit quam reſpondet; de ingenio, Primeri noſter, & hilaritate iſta gratiam lubenter faciam: & hanc laudem huic homini ſervabo. illi autem obſequendi gloriam relinquam. Quantumcunque enim vel prudentiæ in nobis vel ingenii, utrique ſatis ſit oportet. quemadmodum in Regno, cura Regis ac prudentia ſufficiat neceſſe eſt. Uxoris enim, teſte maximo Philoſophorum, virtus, ut quam optime de viro ſentiat. Cui cætera relinquat. Ac prudentiam inprimis. Quæ eſt virtus imperantis. Maritus autem ejus ſemper reſpicit utilitatem cui imperat: quemadmodum & pater. Ejus enim cauſa imperat ac præeſt. ſicut contra herus, non ſervorum proprie, ſed ſua. Memoriam ingentem quoque illam at-

que

que inuſitatam, non magnopere requiram. nec nomenclatorem quæro, ſed uxorem. de cujus agitur nunc bono. Suum enim cuique eſt, quod laudabile unumquemque reddit. Viri virum, ſervi ſervum, fœminæ fœminam. Cujus primum temperantia. Quæ per ſe in fœmina ſpectatur & ad fœminam refertur, ſicut cætera ad eum in quo ſunt perfecta. Memoria autem & ingenium, perfecta ſunt in viro. Id enim ejus actiones poſcunt. quæ ſine illis perfici non poſſunt. Tales autem raro fœminæ incumbunt: & in iis ſatis eſt, maritum ſi ſequatur. Neque enim imperat, ſed paret. Non ut ſervi (ne Di ſirint) verum ſuo quodam modo: ſicut quodam modo filii parentibus. In quibus eadem cum requirantur, tamen mediocria ſufficere putamus. Ut monentes, nempe, intelligant, non ut monendo præeant, aut aliquid præſcribant. In matrona autem niſi temperantia ſit abſoluta, tantum illi deerit, quantum huic deerit virtuti. Quod profecto dici de ingenio nō poteſt, niſi prius quale eſſe debeat matronæ, doceas definiasque. Hæc tu philoſophica fortaſſe dices. Et ſint ſane: non poëtica ſunt certe. ſunt enim vera. Eadem in veſtris tamen quoque invenies. Nam quis ante eos ſapientiam tractavit? Vide Euripidem, quem fœminis fuiſſe infenſum volunt; magnum in his talibus cenſorem. Vide quæ Andromache in Fabula cognomine. Quantum eſt Muſarum uſquam, omnes oderint nos, quantum volent, niſi a-

mem eam, ac propemodum depeream: niſi Hectori conditionē ſuam ter milleſimo poſt anno gratuler. Ita paucis verbis matronale ingenium expreſſit. Vide quid & apud ipſum cothurni Principem Tecmeſſæ Telamonis ille filius præſcribat. non ut lepide loquatur, ſed ut multum taceat. Dices, ſerviiſſe hanc quidem. Atqui in libera hoc probat Ariſtoteles: qui virtutem primam fœminæ, non ſine cauſa vocat. Cujus proprium ſi quæris opus ac ingenium, verſiculos, mi homo, aliquantum tuos, ſuaves quidem illos ac venuſtos, ſed ab inſtituto iſto nimis alienos, aliquantulum è manibus depone: mox, ſi lubet, reſumpturus. Dum quæ Perictione & Phyntis, Pythagoricæ matronæ, hanc in rem ſcripſerunt, diligenter legeris. Moriar, ni magnas illas fœminas continuo amabis. Quæ non, ut puellæ noſtræ, balbum quid & peregrinum, ſed, quemadmodum noviſſe te exiſtimo, gravi, hoc eſt Dorico ac ſibi proprio ſermone, loquebantur. quo & ſua conſcripſerunt. Vide & apud Xenophontem noſtrum Socratem quid dicat, de familia cum agit. At, ingenioſam, inquies, amplecti malo. Et, hæc major eſt voluptas. Fortaſſe. Neque enim ita ex amœnitate exarui, ut negem omnia. Sed quantilla hæc voluptas! Quam ἀποπληξίην μικρὴν Democritus dicebat. Verum vos ætate illa prima, miras fingitis imagines.

*Forſitan & ſylvas illic lucoſque Deorum*
*Concipias animo, ſimulachraque ditia donis*
*Eſſe.*

Adde

Adde quod è cella aut ſuburra aliquam in ea arte magis eruditam dabo; cujus nihil præter ignorantiam in virgine laudatur; & , ni fallor, etiam ſimplicitas delectat. Ita enim illi veſtri, nuptialia cum ſcribunt, & congreſſum illum primum, Diis atque hominibus invidioſum faciunt. Cogita enim mihi innocentiam illam, quæ è matris lectulo & complexibus ad virum cum tranſit, diverſum aliquid ab eo ſuſpicatur potius quam novit. Cogita lacrymulas illas, quas, ut venuſtiſſimus Poëta loquitur, certatim thalami intra limina fundunt. Quæ ſive ſunt veræ, gratiſſimam ſimplicitatem arguunt: ſive matrum gaudia, ut ille loqui amat, fruſtrantur, mariti quoque amorem vehementer acuunt. Cogita jam tenerum ruborem illum, pudicitiæ fidejuſſorem, qui ad nomen nuptiarum una cum lachrymulis ſubinde, invito quoque vultu, prorumpit, & integritatem animi non tam teſtatur quam fatetur. Et id genus alia quæ veſtri melius. Satis enim eſt, ſi talia eſſe intelligas nonnulla, quæ hoc ſæculo, quo ignorantur, ipſum adhuc carmen commendant. Tum diverſa eſſe, quæ amatis, & ignari extollitis. Da mihi enim aliquam ex iſtis, quas feſtivas aut ingenioſas vos vocatis, quæ eodem vultu alienas ſpectat nuptias & ſuas, thalamum cum riſu petit, matri blandum illud & ſupremum vale, lepide ac argute dicit; totum vobis, ô Poëtæ mei, illud artificium perierit. Quod ne quando fiat, mentiri etiam ſoletis. Obſerva-

ſti denique unquam, quam diverſa ratione Leſbiam illam ſuam & Torquati ſponſam deſcripſerit Catullus tuus? Quarum altera, mulier ingenioſa, noſti in triviis & angiportis quid faciat. Nam nec meminiſſe eſt honeſtum. Altera, quo ingenio memoriaque nihil refert (neque conſtat ſane) uni viro deſtinata, eo fruſtra expectante, moras nectit, trepidat, cunctatur, thalamum formidat. Poſtremo.

*Flet, quod ire neceſſe ſit.*

Et,

*Tardat ingenuus pudor.*

Et ſimilia nonnulla, quę mirifice nos capiunt. Diu eſt enim cum puriſſimum Poëtam illum & Romanæ linguæ optimum autorem, ſtudioſe legi. Sed ut cætera omittam, ſcin tu, amatorum quantum vivit uſquam lepidiſſime, adventurum illud tempus, cum, ut conjugem, mox etiam, ut matrem, quam feſtive deperis, amare incipies: cum intelliges, uxorem eſſe dignitatis nomen potius quam voluptatis: cum ex utero, Primeri, illo, qui tot ineptiſſimarum cogitationum, quamdiu amas, ſcopus eſſe ſolet, feſtiviſſimum hæredem, tanquam è perula, depromet tibi? in quo matris pudicitiam, patris ingenium ac vultum, maxima cum voluptate agnoſces? Siquidem hoc ipſum, patri ut ſit ſimilis, à materna caſtitate, non ab ingenio, eſt expectandum. Scin, futurum illud tempus, cum papillas geminas gemellas illas, quas nunc or-

bes

bes gemmeos, nunc, ſuaviſſimos colliculos, &, ſi ita videatur, nævulos (quid enim non auderis Galli?) in carminibus vocare ſoles, non in voluptatem tuam, ſed domeſticam neceſſitatem nudabit? cum ſanctiſſimum illum fontem, hominis educatorem, qui concretus è paterno primum ſemine, è materno mox & animo & corpore decurrens, ex utroque multum trahit, ad tuorum alimoniam conferre incipiet. & qualis eſt ipſa, talem Primeriolum formabit nobis. Ne tu fruſtra quicquam factum a natura putes: quæ diu antequam philoſophus extaret aut poëta, hominem produxerat. Poſtremum eſt, Quā ratione amandum tibi cenſeam. Quod cum riſu, ut ſuperiora, legi. Serum quippe eſt, ſi amas. Neque enim magis quomodo amandum ſit intelliget qui amat, quam quo ſit eundum qui jam uſum oculorum amplius non habet. Sed nec illud petis, quibus artibus conciliandæ ſint puellæ. nam hoc Naſo melius docebit. Nulla enim hic philoſophia opus, ſed prudentia. Totum enim ex ingenio illius pendet quam jam elegiſti. Quæ ſi talis, mi Primeri, eſt, qualem eſſe è tuis conjecturam feci & ex aliis audivi, habes equidem quod agas, etiam ſi nullos, homo feſtiviſſime verſiculos conſcribas. Plane enim non tu quidem in Charybdi, ſed ſuaviſſima Sirene hactenus laboras. Quippe, ut Homericæ, Ulyſſem protinus advenientẽ, & πολύαινον, & μέγα κῦδος Ἀχαιῶν, compellant: ita iſta, ig-

nem tuum ſi exponas, & beatam eſſe ſe honore tanto, &, ſi voles, etiam indignam protinus fatebitur. Quidni enim, viro tali, tam eximio poëta? Tum, ſi quicquam tibi detrahas, aſſcribas illi; univerſum fœminarum ſexum, tanti eſſe quanti vos putatis, callide negabit. Id imponere plerumque vobis. Illis autem ea ratione pluſculum accedere animi. Jam ut aliquod ingenii argumentum fuerit quærendum tibi (ſcire enim ſe, ceſſare vos non magis poſſe quam hoc cœlum à quo ducitis originem) alias ſane eſſe, quæ non paulo plus merentur. Se quoque, qualiſcunque ſit tandem, parum intereſſe quin jam melius ſentire de ſe ipſa incipiat: non tam ſuis ſibi meritis, quam quod viro non diſpliceat qui tantis ac tam multis placet. Hic, ſi te ſat novi, ægre temperabis tibi, quin epigrammation effundas. & fortaſſe hoc ipſum, vel candorem vel modeſtiam vocabis: interdum enim ſtulte ineptimus. Hoc Regina, ut ſereno amœnoque vultu, ita cupidiſſimo admittet animo. Quin ſi præmium, baſiolum efflagites, id illa reluctando paulum, mox proditione ſua ſibi ſenſim expugnata, oculis natantibus atque in ipſo prope amplexu liqueſcentibus, concedet tandem. Hinc jam prima mali labes. Habet. tenetur Poëta noſter. captus eſt.

*Interea Libyæ magnas it fama per urbes,*

adveniſſe doctum neſcio quem hominem,

*Cui ſe pulchra viro dignetur jungere Dido.*

Idque non nolente illa. Ea enim ratione o-

mnium judicia aucupatur. Ergo,

*Heu vatum ignaræ mentes!*

Primo omnium conveniunt proceres, delicata ac faſtidioſa natio, qui, ut in antiquo eſt carmine, præter propter vitam, non in ipſa, vivunt, & agendo nihil admodum defatigati, à rumuſculis queiſcunque otii vindictam ſimul ac ſolatium, cum malo tuo petunt. Ibi in vivendi rationem, in ingenium, in ſtudia miſerrimi amantis accurate inquiritur. Nam amicis aut propinquis, nulla fides, nullus hic locus eſt. Symbolam quiſque pro ſe affert, quiſque ſententiam exponit. Inter quos Iarbas ſæpe unus eſt aut alter, cujus in animo repulſarum cicatrices adhuc manent. Qui in primis ſua intereſſe arbitratur, idem tibi ut eveniat. Et hoc totum nunc agitur. Conſedere duces. Poſt hos advocantur Patres Conſcripti, quibus infra umbilicum & ſupremum femur, omnia deducta ſunt ac plana; inſolentes ac dicaculæ puellæ. E quibus quædam, nihil præter criſtas ſomniant ac galeas. & in tanta pacis ſpe, ferrum tamen amant; cujus ad menſuram noctis gaudia diſponunt. Quædam forma corporis ac modo amatores inter ſe contendunt: neque eos æſtimant ſed metiuntur: cæterum quo quiſque ſpecie inanium plus valet, eo magis antefertur. Nonnullæ faſces ac ſecures, meras denique Reſpublicas, loquuntur. Quædam fratrem habent aut affinem, quem prælatũ tibi mallent.

*Omnes hæ metuunt verſus, odêre Poëtam.*

Quid expectas? Narro tibi, ipſæ, ſi Dis placet, literæ periclitantur: quarum è ſuffragiis Senatus Populique tunicati, tota dignitas jam pendet. Alii Philoſophum, alii Poëtam, tardum alii aut taciturnum dicunt. Erunt & qui peregrinum dicent: homines, qui ubi nati ſint non refert, cum ſi nati nondum eſſent, ne id quidem aliquid referret. juxta enim ignorantur. Et hi tamen de doctorum capite comitia nunc habent. Si qua vitæ tuæ aut fortunæ labes hæret, ſi qua genii infelicitas aut formæ, ea quoque ventilatur & paulatim in apricum producitur. Poſtremo, ſi non tuis, omnium eruditorum moribus urgeris ac calamitatibus: & hæc tua fiunt. Multorum enim intereſt ut talis habearis. Quæ tamen leviora ſunt quam aſſiduæ calumniæ, quas aliæ libenter fingunt, aliæ libenter credunt. Denique, vir eruditus & clariſſimus, ut veſtri vocant, paries es factus, quem caniculæ commingant: pueri & artium tirunculi, in compotationibus & circulis loquantur: omnes enim de ſucceſſu judicant, qui cætera nec capiunt nec æſtimant. Nam ſi aliud expectas, vehementer erras. Tu interea quid? Homo literatus, inter ſcapham & Neptunum hæret. Inveniſti Parcam, quæ tuorum tibi ſeriem fatorum ordinet. Quorum ſane ordo, non jam in Deorum, ut Homerus loqui ſolet, ſed in puellarum genibus verſatur. Quid ergo? Obambulas, & verſus facis. Quos Dione tua, ſcilicet, cantillet & circumferat:

aut in aurem Philematio aut Glyceriolo ſuſurret. Nam ſi pluris ea fieri exiſtimas, haud parum erras. Nulla eſt enim è feſtivis illis, quæ non carmen malit optimi Poëtæ quam fortunas ejus. De quibus non immerito nonnunquam male ſentiunt. Nam quis uſus, ajunt, viri eruditi eſſe poteſt, quem ut ſtatuam plerique admirantur aut commendant, uxorem autem nemo reſpicit aut curat? Eſſe anguſtum iis plerunque ſtipendiolum: quo cum vitam ipſi vix ſuſtentent, ſupereſſe, ut ex aſſe in paupertatem liberi ſuccedant. Interea, ſi minus impetras quod petis, verſus tui ad maritum tranſeunt cum dote. Ut ad tuos numeros, videlicet, ſperatam tuam amplectatur. Itaque ut citharœdi & tibicines, in aliorum nuptiis plerunque canunt, ita eæ, quas vos celebratis feſtiviſſime, aliis non raro cedunt: vobis autem cantum & lachrymas relinquunt. Interim, dies ducitur ex die: ſtrenue itur ac reditur. Quippe pluſculum ſi urges, ibi vero formæ ſuæ & amoris tui conſcia hoc monſtrum, modo metu, modo ſpe, miſerum ludificatur, & extrema ſemper metuentem. Nam ſi de diſceſſu verbulum; illa contra, dicteriolum aut alterum de melioribus aſpergit. Quibus condimentum illud admirabile ab oculis & geſtibus, accedit,

*Quod miſero cordi affixum viveſcit ut ignis.*

Ergo interim aut illicit cupidum, aut captum jam illecebris producit: neque ſine magna

temporis jactura, tempus extrahit. Aut ſi ſatis firmiter teneri credit, ad ſuperbiam convertit animum. Hactenus, ut vinctum non dimittat. Qua in re uſitata formula eſt, Placere te quidem, ſed ad matrimonium non poſſe adhuc animum appellere. Semper enim alias conditiones videt: quæ ſi offerantur, tuis amplius hiſtoriis nec partes ſint nec locus. Ac ne verſibus quidem. Quos interea percurrit. Quid enim minus poteſt? majus autem quo ſe occupet non habet. Interea, non deeſt illi, à quo colitur cum cura, & quem populo oſtendat. Iis qui bene eruditioni volunt, ipſam quoque ut æſtiment: cæteris, ut clam illudant & illudi tibi videant. Nam hæc illis maxima voluptas; cum præſertim inter ſuas regnant. Inter hæc (arcana quippe imperii propemodum intelligis) inprimis caves, ne calamitatem alii exponas tuam. Quid enim? Nonne in theatrum hoc veniſti? Nonne hoc intriſti ipſe? Nonne uni tibi exedendum eſt? Et quid agas? Succenſeas nimirum. Quis? Amator, hoc eſt, publice ſtultitiam profeſſus. Cui? Puellæ. Quam eodem tempore, ſi iraſcare, amplecti tamen malis. Adde quod videtur eſſe viri, muliebres ferre injurias potiſſimum. Honeſti autem, vitia diſſimulare. & præcipue quæ proſunt nobis. etiam cum ſubito mutantur. Nullum enim niſi in prudentia ac probitate noſtra involucrum habet iſte ſexus. tum, qui beneficium cum famæ detrimento clam colla-

collatum, aut favorem nimium vel comitatem dominæ celare nequit, ut ingratum, ut conſtantem parum futilemque, aut levem, odimus. Omnes quippe infirmioribus favemus: cum præſertim melius vindicta tempori ac Deo committatur. Nunquam enim laudi aut impune cuiquam fuit, virum, qui honeſte ambit, nequiter circumduxiſſe. Nam ſi nihil aliud, honoris ſui ſemper faciunt jacturam quæ de alieno ludunt. Ut vix magis improbentur quæ de flore ſuo largiuntur. Nemo autem ita prudens, ita bene ſubducta ad vitam ratione unquam fuit, cui non imponi iſta ratione poſſit. Ideo cordati & boni, illam odio, juvenem commiſeratione dignum judicant aut venia. Vere enim illud hic uſurpatur

*Cuivis poteſt accidere, quod cuiquam poteſt.*

Interim, ſi feſtivi es ingenii & ridere alios plerunque ſoles; metuis ne idem viciſſim eveniat nunc tibi. Neque raro cogitas interea, quanto meliora reliqueris: quam tibi bene domi olim cum clariſſimis doctiſſimisque viris, L. Annæo Seneca, Plutarcho, Cicerone, aliisque conveniret, A quibus, nihil ut ageres, divortium feciſti. Ut omittam nunc, quam multa tibi præter morem conſuetudinemque ſint agenda. Vicini prehenſandi & amici, obſidendæ fores, ſalutandi plures, omnes metuendi. Cogitandum, quid ancillæ, quid pueri, abſente te, ſugillent. Noctes inſomnes traducendæ, literis & ſan-

ctis meditationibus renunciandum: ſæpe gemendum: nonnunquam clam illachrymandum ſorti ac conditioni tuæ. Videndum ac cura expendendum, quæ veſtis qui cultus potiſſimum te deceat: inprimis autem, quid jam uſu ſit receptum. Utrum latus barbę quod ad Orientem ſpectat, recte conveniat cum eo quod in Occidentem tendit. Sartore accurato & tonſore utendum eſt. Danda eſt opera, ne pallium ab interiore habitu, tanquam in civili bello, diſſideat, aut æquo ſit prolixius. Ne calcei, præter æquum ac bonum, caligarum terminos invadant, aut altius aſſurgant. Ut periſcelides intra pręſcriptum ſe contineant ſpacium: ne, Uti poſſidetis, interdicat prætor. Incedendum cum cura, cum cura edendum ac bibendum, cum cura inſaniendum eſt. Denique

*Muliebres mores diſcendi, oblivıſcēdi ſtratiotici.* Si quem vides virum gravem & quem æſtimare ſoles, tacito pudore, ſi quem inimicum, ira ac indignatione emoriaris neceſſe eſt. In hoc ſtatu, mi Primeri, ſi res tuæ ſunt, & in iſto pelago jactaris, homo minime ſceleſtus, ſed Poëtica ſimplicitate vitam ſolitus tranſigere, ideoque humanarum imperitus fraudum, quales plerunque eſtis, qui ab hominum, ſtudio diſcendi ſemper aliquid, remoti oculis, tenemini; quæris quidnam faciendum tibi cenſeam? Primo, ſi amorem admiſiſti, actum eſt. Mala enim merx eſt. Proximum eſt ergo, ut eſurias: quod in his conducere arbitran-

trantur Græci. Neque parum ſane abſtinentia hic poteſt. Secundum eſt, ut moram temporis opponas. Tertium, ut locum mutes (nam & hoc prodeſſe ajunt) & cum loco pariter amorem, ſi potes. Non enim quartum addam: de laqueo ut cogites. Ut quod abſque vitæ detrimento fieri non poſſe exiſtimem. Sin, miſſis ambagibus, tecum me ſerio vis agere, ſic agam: Vin tu, optime Primeri, rationi quam fortunæ potius amores tuos credere? Vis de te, vis de ſana mente aliquando cogitare? Adeo rediſſe res tuas, ut potiſſimum illius te amore maceres, quæ deſpectum te habet, eludendum autem aliis propinat? Neſcire te egregiæ exiſtimationis virum, univerſum fœminarum ſexum tanti non eſſe, ut tu omnibus ludibrium debeas! Ne id quidem cogitare te, famam fruſtra te doctrina peperiſſe, ſi vivendo nullam ejus curam habes: fruſtra eruditum eſſe, ſi receptam populi opinionem re ac factis adſtruis, Ne communem quidem ſenſum eruditis eſſe! Si ætati dare ludum placet, quæ honeſtior voluptas petitur quam è conjugio? Hoc (ſi diſplicet, quare in re ſeria nugari lubet? Quare Catullus & Tibullus, & amandi artifex Ovidius, aſſidue in manibus verſantur tibi: Plato autem, Xenophon, & Epictetus, ne tractantur quidem: quorum tamen ſcriptis nullum efficacius ad tolerandas res adverſas remedium invenies? Et quia ad ſeveram Stoicorum ſectam ablegare te vix audeo, quæ urit

urit tantum & incîdit vulnera; noverca perturbationum potius quam emendatrix; agedum, Platonem tuum inſpice, ſuaviſſimum ac jucundiſſimum ſcriptorem, & qui nihil venuſtati Poëtarum ac amœnitati debet, ne quid dicam amplius. Is tibi dicet, Nihil aliud amorem eſſe quam opinionem boni. Ut ſi lippus plumbum videat. hoc autem plumbum eſſe aurum credat. Interim hoc amet, ejus torqueatur deſiderio: dies totos, totas noctes ſeſe maceret, ſi abſit: laudes denique ejus celebret ac canat. Nunc ex Euripide exclamet

*Ὦ χρυσὲ δεξίωμα κάλλιστον βροτοῖς.*

Nunc ex tuo Pindaro,

*ὁ δὲ*
*χρυσὸς, αἰθόμενον πῦρ*
*ἅτε διαπρέπει νυ-*
*κτὶ μεγάνορος ἔξοχα πλούτου.*

Interdum verſus ipſe ſcribat, in quibus omnia commemoret quę auro comparari ſolent: eum, qui hoc habeat, obſervet, colat, ſectetur, totos dies oculos in eum pariter & animum conjiciat. interim de medico non cogitet. Ita tecum, mi Primeri, nunc, ni fallor, agitur. huic ſimillimus eſt morbus tuus. Nã nec pulchra omnibus videntur, quæ videntur tibi: nec exactum ſatis eſt, in bonis an habenda ſint, quæ bona tibi nunc videntur. Niſi forte credi mavis tibi, eſſe quendam puerum, cui puero, Vulcanus pater, mater ſit Venus. Hunc cum face & ſagittis miras

res

res gerere: quemque attigit, ut Comici loquuntur, ſolido mactare infortunio. Qui, ut tu canis,

*E Dominæ ſacros accendit vultibus ignes,*
*Et flammam geminis ſuſcitat ex oculis:*
*Vt quondam Titana ferunt immanibus auſis*
*Æterno flammas ſurripuiſſe Iovi.*

Aut ſi audire illa mavis, valde enim ſunt delicata,

*Oſcula cum indulſit roſeo mihi Margaris ore,*
*Et trahit ad ſe intus transfugientẽ animam,*
*Tũ loquor, ô ſi quid animæ ſupereſt mihi, Divi,*
*Atque ipſum pulchræ impendite me Dominæ.*

Niſi quod ab illis ſuperantur:

*Cum Dominam aſpexit, clypeum abjicit, & procul imos*
*Infelix mi animus effugit in digitos.*
*O Divi, fugitivo illi latebram date tutam*
*Hoſtili in gremio. ſic fugiat dominum.*

Hisne tu verſiculis dolores mitigari poſſe credis, quos in ſeſe amor habet, & moleſtias? Hisne tu puellas, quibus ipſa ſordet eruditio, moveri poſſe credis? Quin ſi vires, ſapere audes aliquando, ac te ignominiæ ſubducis? Quin das aliquando operam, ac ſerio hoc agis, ut uxorculam modeſtam, liberos ſuaviſſimos, ſimillimosque tui, vitam, non incertam, ſed compoſitam, amici tibi gratulemur? Denique, ſi me, ſi te, ſi exiſtimationem tuam amas, aut puellam ama qualem tibi conjugem optares: non procacem, non alternam animi & vagam, ſed quæ precium amori tuo ponat: aut

aut conſtanti animo, ac ad exemplum, ſi videtur, meum, pro uxore ſemel ſapientiam amplectere. Sin res adhuc integra eſt, & vacas; autor tibi ſum ante omnia, ut ſerio ne ames. Aut ſi id non potes (novi enim quo ingenio Poëtæ ſitis) ut id ſerio diſſimules. Donec penitus perſpectam ejus indolem atque exploratam habes. Ita ſimul in celando ad effectum ſpem habebis, neque, ſi res aliter ſuccedit, fabula cujuſquam eris. Interim conducet, plures tempore eodem ut accedas. Ne hærere uſquam te, aut alii intelligant aut ipſa: & , ſi ſapis, loco quoque & genere ſuperiores. Hactenus enim ut ubique admittamur, literæ nonnihil poſſunt: quas nonnulli æſtimant, nonnullos pudet non videri. Ad ipſam ubi venies, operam in primis dabis, ut quam ſimpliciſſimum te illi exhibeas. Tales enim omnes eruditi facile creduntur. Qui videntur autem tales, eos nec vaferrimæ celare quicquam ſolent. Negligenter quippe apud illos & loquuntur quidlibet & faciunt. Quare hoc conducet plurimum. Nam ut Parthi tantum fugiendo pares militi Romano erant, ita qui ſimplicitatem, cum videtur, induit, ac cujusque ingenium, in uſum ſuum penetrat aut tentat, calliditatem alienam facile expugnat. Habeo amicum, virum literatum, qui his artibus arcana plurimorum, penetrat: neque parum liberaliter, pro fide ac candore ſuo ſingulari, multa ejus generis, nobiſcum, in congreſſu ac colloquiis communicat. Jures, ubi

cum

cum hominibus verſatur, ſilentii plane alti ac magnarum cogitationum mortalem eſſe: aut in libris animum habere. Ille vero hoc agit. Advertit quæ non cenſeas. Ac ſi quando, vel ex aula vel è foro ad ſe redit, quicquid alibi vel vidit vel audivit, chartis feſtiviſſime cõmittit. & dexteritate ſumma mores ineptorum & qui literas oderunt, callidiſſime depingit. De quibus poſteritas fortaſſe judicabit. Non minoris enim eſt prudentiæ, non ante tempus ſua edere quã optime ſcripſiſſe. Eſt & aliud, fortaſſe non omnino contemnendum. Sæpe obſervavi, nullam eſſe tam verſutam quæ affectus ſuos moderari poſſit. Quod centeſimus virorum quiſque vix poteſt. Igitur, ſi paululum nonnunquam aut irrites, aut ad iram provoces, rumuſculum extemplo aut alterius de te judicium, impinget tibi. Tantum vindictæ amor poteſt. Neque raro fit, ut, dum aliena ſciſcitantur, ſua non occultent. At vero ſi jam hæres, quod omnino judico, & nolles tamen, neque intelligere non potes quid expediat, videri tamen aliis conſtantem minus pudet, primum erit ut friguſculo paulatim eam ferias, & amorem, quantum potes, non abrumpas quidem, ſed cunctando diſſuas. Ita ſuis peti artibus ſe ſentiet. Et interdum ſunt nonnulla hoc cur fieri expediat. Si, nimirum, non omnino male cum amicis ejus aut propinquis convenire tibi credis. Præclaris ſæpe & eximiis hominibus. addo & tui ſtudioſis. Quibus ægre eſſe

 debet.

debet, virum probum ſic ludibrio exponi. Sed quis Deus inter tot judicia vel opem ferat tibi, vel Reginæ animum emolliat? Nam qui frigide aut nimium remiſſe intercedunt, nihil promovent. qui calide, ne illi quidem: fidem enim non inveniunt. Et vero, cujus intereſt, ne tu inſanias? aut quis adducere eam poteſt, præter animi ſententiam ut viro nubat? Quod ego quidem nulli autor eſſe velim. Debetur quoque hæc tanquam merces pudicitiæ, ut libenter id & ſua ſponte faciant puellæ, quod ſi imperetur, non voluptas ſit, ſed pœna. cujus partem ſemper maximam maritus fert. Adeo etiam hic difficile eſt

*venatum ducere invitas canes.*

Interim ſuus illis honor deferendus eſt (etiam cum agere aliud intelligis) & judicio puellæ, ſine ejus ac ſuorum invidia, omnia deferre. Id quod hodie non nemo facit. Ea enim ratione ut quiſque eſt ſimpliciſſimus, ita circumducitur facillime, & ſatisfieri patitur ſibi. Qui autem non eſt, dabit tamen operam ut videatur. Quod ſi dignam tuis moribus tuaque vita es nactus, nunquam differendum eſt quod agis. Ne dum tu in Pindarum, aut neſcio quem alium ſcriptorem, commentarium moliris, alius in eam notas ſcribat. Stylo enim expedito hic eſt opus. Et præſertim, ſi ſit procax aut agilior. Neque raro evenit, ut, dum vos pugnatis tepide, alius cuniculis rem gerat, & dolabra animum expugnet. Quod ſit corpore expugnato. Pudoris

doris enim ſui labem neceſſario puella ſequitur: aut, ſi eſt honeſta, antevertit. Virtutes quoque minus movent animum: commune contra dedecus & conſcientia obſtringunt. Vos vero fide optima ac moribus amatis: neque minimum audetis per laſciviam. quæ illecebra hoc tempore amoris eſt ac glutinum. Ita fit, ut dum boni viri eſtis, alius de ea & de vobis pariter triumphet. Quippe ſi, quemadmodum in Optimatum Republica, eundem eſſe bonum virum bonumque civem docet Ariſtoteles, in reliquis diverſa ut plurimum hæc eſſe; ita, inquam, optimarum quoque puellarum aliqua Reſpublica ſi eſſet; idem vir bonus & amator bonus eſſet. Nunc corruptis moribus, Primeri noſter, capiuntur optime quæ tales ſunt. viri autem boni & modeſti locum dant prudentioribus: ſicut in palæſtra eruditi fortibus. Non enim ibi ſi Poeta eſſes, & valentem nactus eſſes adverſarium, quicquam efficeres. Idem tamen hic fieri miraris. Et plerique eſtis tales, ut cum impetu agatis omnia. Ideo non raro fit, ut acribus initiis, fine incurioſo, infelici exitu ametis. quod in multis obſervavi. Atque idcirco pridem in poſſeſſione repulſarũ eſtis. Nam, ut veteres omittam, neque Claudiam Lotichius, neque Hyellam Flaminius, neque Caſſandram exoravit Ronſardus. Ilia autem

*Vatis amatoris Iulia ſculpta manu*,

relicto vate, amatore ſuo & ſculptore, peregrino cuidam nupſit. Qui, Poeta multum in-

dignante, quod ex ejus verſibus apparet, in illius gremio cantare merito pro illo potuit,

*Centum baſia centies,*
*Centum baſia millies,*
*Mille baſia millies,*
*Et tot millia millies,*
*Quot guttæ Siculo mari,*
*Quot ſunt ſidera cœlo,*
*Iſtis purpureis genis,*
*Iſtis turgidulis labris,*
*Ocellisque loquaculis,*
*Figam continuo impetu*
*Magni Iulia nominis.*
*Namque amans tuus excidit,*
*Et ſculptor tuus excidit,*
*Exciditque Poëta.*

Miſer autem baſiator & ſuaviſſimus Poëta, cum inſtaret jam nox illa, cujus uſum ille ac fructum ſola cogitatione delibarat, Solem orat, vultum ut abſcondat; Jovem, fulmina ut emittat. quaſi novum rebus inducendum eſſet chaos: aut Titanes cœlum oppugnarent: aut Deorum intereſſet,à quo ejus Julia devirginanda eſſet. Qua de re & literas illius legi; ſed quæ nondum formis ſunt deſcriptæ. Quoſdam tam abjecto novi animo, ut in ejus animum quam amant, ſerio inquirere non audeant: ne ſi ſubito deſiſtant, ferre repulſã dicantur. Nam hoc ignominioſum ducunt. Quaſi id non Regibus eveniat quotidie: aut quaſi poſſint cogi quæ ſe exorari nolint: aut hæc tota res non fato diſpenſetur potius quã meri-

meritis: poſtremo, quaſi de prætura aut de conſulatu hic agatur. Atqui Cato a victore orbis populo repulſus, pila dicitur luſiſſe: nec Vatinio poſtpoſitus, minorem ſe propterea exiſtimavit. Nos contra, qui ſi bona noſtra novimus & parvo vivere didicimus, quod Philoſophia ſola dare poteſt, ſupra Regum omnium ac Principum repulſas longe aſſurgimus, quaſi non in foro & in aula plurimi reperiantur, qui auguſtam ſapientiæ ac eruditionis dignitatem, quia capere non poſſunt, pertinaciter contemnunt, & autoritate ſua oppugnatum eunt, ad ſtolatum judicem abimus. Itaque ſtultiſſimi mortalium, quanti aliqua, ſi Diis placet, Eromonion nos eſſe aut Lampadion exiſtimat, tanti eſſe ipſi arbitramur. Cum præſertim ſint & aliæ, nec forma neque dote inferiores, quę & eruditioni multum, & parentibus deferre quidvis, ut honeſte educatas decet, didicerunt. Quas qui tacite ambiat, modeſte petat; conſcio nemine, favente quolibet, confectam rem habeat: neque temporis jacturam faciat, aut exiſtimationis notam publice incurrat. Sed plerunque nimis aut demiſſi aut ſupplices nos ſumus. Hinc autem ſpiritus aſſumit iſte ſexus. Tum quæ placent nobis, ſine modo extollimus. quod & lubentiſſime admittunt. Idem quoque quod Pygmalioni accidiſſe ajunt, accidit Poëtis. Nam ut ille ſtatuam ex ebore feciſſe fertur, quam mox deperire cœpit; ita formam ſæpe ipſi nobis fingimus, in qua ut

primo ludimus, ita tandem miſere hæremus. Quicquid enim deeſt ei de qua cogitamus, ex ingenio ſupplemus. neque parum addimus: quidvis autem excuſamus. Ut ſit alia propemodum in verſibus & mente noſtra quam quæ aliis videtur. Non enim ſemper veritatem exprimit aut imitatur Poeta, ſicut recte obſervat Plato: amator autem raro eam videt. Adde quod qui captus jam eſt, odit eam ſemper, & neſcire mavult etiam quæ novit. Unum addam nunc, ac deſinam. Rationes veſtras, optime Primeri, vehementer admirari me ſolere. Qui cum ea tractetis ſtudia, quæ in rebus humanis quidem prima ſunt, à vulgo tamen aliena ſunt, ideoque contemnuntur; ſi quæ tamen eſt puella vel in aula vel in foro, moribus & indole a vobis aliena, hanc ut plurimum ſectamini. Neque minus non procedere quæ cogitatis admiramini. Id plerumque in vobis riſi; homo ſimplex, & qui nihil ſoleo diſſimulare. Eas quoque urbes eligitis nonnunquam, quæ cum inſtituto veſtro minime conveniunt. Ut ſi tu Bruxellæ, Amſtelodami ego amem: cum in animo & mente patrimonium omne, omnes habeamus copias: hanc monetam autem ibi nemo norit. Eorum opes interim ſtultitiam & ſapientiæ contemptum patiuntur. virtus autem noſtra & ſcientia, laudantur quidem: ſola autem illa expetuntur. Id memento quoque qua ſis tempeſtate natus. Qua nimirum ad interitũ ac certam mortem, omnis properat humanitas.

tas. tantum quia minus quam debebat æſtimatur. Legimus Virgilio non ſecus quam Auguſto, venienti, Rom. populum aſſurrexiſſe. Auguſtum ab Horatio repulſam tuliſſe, quia Mæcenatem præferebat. Veſpaſianum, jucundiſſimum Imperatorem, a Plinio vocari. Principum filios, ætate patrum humaniores docuiſſe literas. Laurentio Medici, Politianum; Franciſco primo, alios familiares fuiſſe. Quem & ad Robertum Stephanum ſubinde viſitaſſe: & cum ei non vacaret, quod eorum quæ tum edebantur emendationibus intentus eſſet, paulum expectare juſſum. Neque parum refert, ubi vivas: penes Principem an penes Populum ſit ſumma rei. Plerunque quoque ingenia præclara pluris fieri poſt obitum dicuntur. Sed tum ſerum eſt uxorem ducere. Neque ego autor tibi ſum propterea, ut moriaris. Habes noſtram, optime virorum, de Poëſi tua, habes de Amoribus ſententiam. Quod ſi tua interim placere tibi pergit (non enim invidere poſſum tibi) & ad hoc judicium quotannis duo aureorum millia accedunt, per me licet, ut ex his nonnulla prætermittas. Emi enim tales facilius quam exorari ſolent. Vale. ac ſcito, totum me in deſcribenda nova Republica nunc eſſe. In qua hoc cavebitur, ut, quemadmodum nunc ſoli Reges Regum amant filias ac ducunt, ita Poetarum ac Philoſophorum inter ſeſe liberi jungantur. Pudet enim vos ab aliis non ſatis æſtimari. Tum ut emptiones & venditiones,

non, quod nunc fit, auro & argento, ſed Poetica moneta contrahantur: hoc eſt verſibus. Quadringenta millia qui poſſidebit, Eques erit: qui Romanum carmen, Græcum, & vernaculum, dexteritate pari ſcribet, imperabit reliquis. Si quæ ſunt puellæ, quæ Poetis olim illuſerunt, quas & ego odi peſſime, eæ in hac Urbe mea atque in hac Republica, eunuchis nubent. Idem quoque ut illis poſt hanc vitam eveniat, Minos, Jovis, dum viveret, arcanis admotus, nunc autem inferorum Prætor, Æacus præterea & Rhadamantus Gnoſſius, curabunt. qui, ut noſti, præfecturam ſuam atque imperium Poëtis debent. Quorum ad tribunal, ubi mortem commutaverint cum vita, Venus aut Cupido, foliis malvarum uſque ad necem eos cædet, cum ſolenni formula ad plagas ſingulas,

*Diſcite juſtitiam moniti, & non temnere vates.*

Rivales autem Poetarum, quamdiu vivent, ære diruti, atque, ut in militia, diſcincti, ſine ſica ambulabunt: non de qua Cornelia lex agit, ſed quam tangit Julia. Ut intelligant, cum viris ſibi rem fuiſſe. Ergo vide etiam atque etiam quid agas. Nam ſi expectare potes, donec omnia, ut oportet, ibi erunt conſtituta, faxo lepidam puellam ex Anacreonte aut Homero eligas: cui dotem dabit Penia Platonis aut Idea. Nullus enim ibi uſus erit nummi. Nunc autem quanquam vena lenis & terſiſſimus character in ſuaviſſimis verſiculis ſcriptisque tuis omnibus elucet: eſt tamen

qui-

quidam in ſcutatis veſtri Regis & circumforaneo hoc auro, qui non paulo plus poteſt. Hæc res nobis fraudi eſſe ſolet. Unum opto (ne perpetuo jocari me exiſtimes) fidem ut habeas, homini non quidem erudito, ſed qui aliquem, ni fallor, uſum habet rerum atque experientiam. Quod ne ſero fatearis atque intelligas, iterum atque iterum, ſuaviſſime Primeri, cave. Vale, & Bellocherium, tuum juxta ac meum, meis verbis ſaluta. Lugduni Batavorum M D C VII. Kal. Jul. Mi doctiſſime & venuſtiſſime Primeri, iterum Vale.

ANONYMI

# DISSERTATIO,

De

## LITERATI MATRIMONIO;

*An, cœlibem eſſe; an, vero nubere conveniat.*

ANONYMI

# DISSERTATIO

*De*

## LITERATI MATRIMONIO.

Amplitudo commodorum magnitudoque utilitatum, quæ ex conjugio liberali capiuntur, tanta eſt, tantaque dignitas, ut de hujus vitæ ſplendore aliquid facilius magnifice cogitari, quam verborum copia explicari poſſit. Nam primum, ſi originem ejus ortumque conſideremus, ab ipſo Deo, mundi opificio abſoluto, ſtatim eſt inter primos noſtros parentes inſtitutum, in loco deliciis omnibus affluenti, domicilioque virtutum & felicitatis, ubi integritas & ſapientia regnare, impietas & dementia exulare debebat. Deinde ab his tam præclaris & illuſtribus primordiis, & quaſi fontibus matrimonii ſocietas cum profluxiſſet, continuo in univerſas orbis terrarum partes ſe longe lateque diffudit, & ad totius poſteritatis uſum, fructumque redundavit. Ac in populo quidem Dei ita ſtatim celebrari cœptum eſt, ut non ſolum ad homines plebejos, verum etiam

tiam ad optimates, & patres in Republica principes, qui religionem & ſapientiam tradebant in vulgus, idque legibus vinciebant, & in officio diſciplina continebant, potiſſimum pertinere crederetur. Paulatim vero cognitione Dei in hominum animis oblivione obſcurata, & ardore pietatis refrigerato, leviculorum ingeniorum petulantia exorta eſt, quæ matrimonium, tanquam jugum aliquod ſervile, à ſuis cervicibus excuſſerunt, &, ne reprehenſionem aliquam incurrerent, ſed à conjugio probabiliter abſtinere viderentur, cum alia multa in medium attulerunt, tum ſingularem quandam ſanctimoniam ſimulantes reliquis perſuadere voluerunt, qui uxorē domum duxiſſent, illos ſapientiæ nequaquam eſſe poſſe ſtudioſos. Turbulentum genus eſſe fœminarum, obnoxiumque vehementioribus illis motibus animorum. Viro autem, qui literarum ſtudiis excolendis ſeſe totum dedidiſſet, otium, & quietem, & animi tranquillitatem inprimis convenire. Quæ cum ſpecioſe dicerentur, infinita quædam eorum conſecuta turba eſt, qui ſexum muliebrem non tam aſpernarentur, quam conviciis proſequerentur & proſcinderent, intoleranterque perſtringerent. Quorum in numero vel potius grege, univerſa Græcorum poetarum eſt natio, quibus tamen omnibus nemo vel ad conſpectum fœminarum adhinniit ardentius, vel in amores prolapſus eſt frequentius: ut, quod de Euripide Sophocles ajebat, eum

mulie-

mulierum in tragœdiis exagitatorem accerrimum, in lecto amatorem fuiſſe maximum, ( quod in lectulo commodioribus eſſent moribus, quam quibus ab eo verſibus depingerentur : ) illud ipſum de poetis pene omnibus affirmari poſſe videatur. Eoque impudentiæ nonnullorum provecta eſt audacia, ut aſſererent mulieres non homines eſſe natas, ſed ex variis beluis, ex ſue, cane, equo, ſimiaque conflatas. Cumque hodiernis etiam temporibus inveniantur non pauci, quorum animis non leviter hæc eſt impreſſa, ſed penitus infixa ſententia, unum eundemque hominem libris lectitandis, & liberis procreandis operam dare non poſſe : minuenda eſt illa, & evellenda opinio, inſerendaque contraria. Ut itaque in cauſſæ arcem invadam, ita concludo : aut commendemus matrimonium, aut improbemus, neceſſe eſt : nihil eſt tertium. Ergo ſi laudabimus illud vitæ inſtitutum, quid cauſſæ erit, quare conjugio ſit eruditis interdicendum ? ſin vero vituperabimus, illud profecto conſequetur, matrimonium non ſolum non à literatis, ſed ne à male quidem feriatis eſſe contrahendum. Sed quia nobis adverſarii reponunt odioſe, moleſtias, quæ hanc vitam quaſi neceſſario comitentur, minori negotio, leviori periculo à literarum imperito, quam ab erudito poſſe ſuſtineri: ut me illis animoſius opponam, & fortius reſiſtam, rem univerſam neceſſe eſt, paulo altius à fonte repetamus. Neminem autem eſſe arbitra-

bitramur, neque adeo à natura male informatum, neque tam inſtitutione depravatum, aut præpoſteris opinionibus excæcatum, qui non conjugii ſocietatem Dei quandam officinam eſſe fateatur, è qua quotidie ipſe mundus augeatur. Confirmant hoc leges Romanæ, quæ dotes uxorum tot privilegiis ſeptas atque munitas eſſe voluerunt, & olim jus trium liberorum introduxerunt, & indictam viduitatem funditus ſuſtulerunt: cum ut civitas liberis repleretur, & Reſpublica bellis ardentibus externo milite non magnopere indigeret, cum ut unuſquiſque nominis ac ſtirpis memoriam ad univerſam poſteritatem propagaret. Idcirco filios, filiasve concipimus atque edimus, ut ex prole eorum, earumve diuturnitatis nobis memoriam in ævum relinquamus, inquit Calliſtratus. Nam hac ratione illud evenit, ut nos ab interitu aliquo modo vindicemus, mortuique vivamus. Jam ſi exquirimus, rationemq; ſubducimus, à quibus potiſſimum hoc præſtari, efficique Reipublicæ plurimum interſit: facile opinor intelligemus longe optabilius, & præſtabilius eſſe, ſi liberi non à proletariis, ut Agelliano verbo utar, ſed à clariſſimis quibusque generentur, quorum beneficio ad omne honeſtatis decus educentur, quorum exemplis ad virtutum ſtudia complectenda inflammẽtur, & ad majorum gloriam adæquandam incitentur. Quanti enim hoc ducendum faciendumque ſit, in Alexandro Magno clariſſime

ſime perſpicere poſſumus, qui à laudatiſſimo rege procreatus, & ab Ariſtotele diſciplinis optimis informatus cum eſſet, patri quidem Philippo vivendi, præceptori vero etiam bene vivendi rationem ferebat acceptam. Multum eſt igitur in eo poſitum momenti, ad capeſſendam à teneris unguiculis imbibendamque virtutem, habere parentem eleganter excultum, expolitumque diſciplinis: qui non ignoret, quantum in educatione liberorum amori ſit tribuendum: qui teneat ac ſciat, inter indulgentiam moderatam, atque negligentiam nimiam atque deploratam quantum interſit: quem virtutum luminibus enitentem puer primum admiretur, mox etiam, quamprimum per ætatem poſſit, tanquam ſpeculum domeſticum honeſtatis ad imitandum ſibi propoſitum contempletur ac æmuletur. Ita continget, ut mores puriſſimi ejus animo in tenella illa ætatula inſtillentur, ejusque indoles ad diſcendam arripiendamque doctrinam apta, non ſolum liberalibus artibus mature tingatur, ſed præclaris etiam, maximisque virtutibus, quas parenti matrimonii vita ſuppeditat, celeriter imbuatur. Nam qui uxores duxerunt, omniumque fortunarum domicilium in aliqua civitate conſtituerunt, ipſa neceſſitate ad permultas honeſtas actiones erudiuntur, quæ in cælibes à vita civili & communi abhorrentes non cadunt: Cum enim in domo privata non adumbratæ, ſed expreſſæ omnes publicarum rerum for-

mæ reperiantur: ( quod aliter ſit cum uxore vivendum, quam cum liberis: aliter item cum liberis, quam cum ſervis ſit agendum: ) hoc pacto accidit, ut mariti, qui intra parietes privatos & imperare, & diſſimulare didicerunt, atque ad prudentiam in gerendis rebus patientiam adjunxerunt, animumque gravitate, humanitate, & lenitate, comitateque exornaverunt, his quaſi præludiis ad Rempublicam gubernandam inſtruantur, & ex domo ſua in curiam atque in forum introducantur. Tum aliis etiam de cauſis multo facilius, quam cælibes ad gerendos honores evehuntur. Nam poſteaquam familia conſtituta affinitatibus implicati ſunt, multorumque amorem & ſtudia ſibi adjunxerunt, benevolentiamque pepererunt, non indigni judicantur, qui in loco illuſtriore collocentur. Præterea non temere aliquid contra ſalutem civitatis populique molituri putantur, quod in officio facilius liberorum amore & charitate retineantur. Eſt etiam nullus, qui non certiſſimam ſibi ſpem faciat, ſi increpuerit tumultus, hos patriam, in quam ſalutem ſuam videant eſſe incluſam, minime deſerturos, ſed tanquam ad commune incendiũ reſtinguendum celeriter accurſuros, magnoque animo arma eſſe ſumpturos. Cum enim domi ſuæ conjecturam faciant de ſemetipſis, multo facilius aliorum ſuorum civium commiſeratione commoventur. Igitur vita domeſtica & res uxoria maritos ad laudabilia multa vitæ

inſti-

inſtituta adhortatur, ad adipiſcendasque dignitates eis tacite ſuffragatur. Nec injuria: cum ita ſint in rebus communibus exercitati, beneque verſati: cum & norint tolerare præſentia, & ſperare in adverſis proſpera, didicerintque in ærumnis (quibus tanquam fortunæ telis propoſita vita ſingulorum eſt, & quibus fides Chriſtiana, ut aurum igni, expolita ſplendidius eniteſcit:) Dei Opt. Max. auxilium, præſidiumque implorare, ac in uno Numine ſempiterno ſpem omnem collocare, ab eodemque opem exſpectare: cum denique (ut uno verbo omnia comprehendam:) animo ſedato, & ad utramque fortunam ſubeundam ſint parato, hoc eſt, ſumma incredibilique libertate perfruantur. Non enim illiciti amoris incendiis inflammantur: non in amatoria rota, quam Plautus nobis ob oculos in conſpectu ponit, dies, noctesque verſantur atque jactantur, ut Ixion, qui ſe ſequiturque fugitque quo ſe vertat & applicet dubius: non à cupiditatibus libidinoſis cruciantur & excarnificantur: non de gradibus rationis dejiciuntur & deturbantur: non denique manus ſibi inferunt violentas, ut multi proci, amatoresque fecerunt. Hæc eſt vera illa & germana libertas, ut eam Florentinus Jure conſultus definit, facultas ejus, quod cuique facere libet, niſi quod vi, aut jure prohibetur. Quæ libertas longiſſimo intervallo à parva licentia, quæ nullis ſe patitur legum vinculis alligari, nullaque ratione

cohiberi, ſejungitur. Hanc ego libertatem vere eſſe defendo, ut Deo, rationi, legibus, reique publicæ ſerviamus & morem geramus: illam autem licentiam immanem & efferatam, quæ perturbationibus animorum, & cupiditatibus effrænatis, tanquam furioſo & crudeliſſimo domino & hero obtemperat, duriſſimam & acerbiſſimam judico eſſe ſervitutem. Nolitote itaque exiſtimare, in matrimonio ſervitutem aliquam eſſe, in cælibatu libertatem. Nam cælibes pleroſque infinita quadam libidine ardere incenſos, impetuque cupiditatum fluctuare & abſorberi quodam quaſi æſtu, exemplis evinceremus ambitioſe conquiſitis, niſi ea ita eſſent nota, ut vel tonſorum, ſubroſtrariorumque quotidiano ſermone celebrentur. Aliud enim eſt agere cælibem, longe aliud caſtum eſſe, & non ſolum turpitudine vacare, ſed etiam oculos, & animum, & cogitationes habere ab omnibus Venereis rebus abſtinentes: ut homini honeſtatis appetenti pudice magis, caſteque vivendum, quam uxore carendum eſſe videatur. Vidit & animadvertit hoc ſine dubio Paphnutius, qui minime conſultum putavit, ut matrimonii coëunda ſocietate ſacerdotibus interdiceretur, a quibus tamen non morum ſolum probitatem, vitæque puritatem & innocentiam poſtulamus, verum etiam in literarum divinarum ſtudiis aſſiduitatem & diligentiam omnes uno ore poſtulamus. Quo mirificentius mihi ſæpenumero ſolet videri

figmen-

figmentum Luciani, hominis non inſulſi & certe eruditi, Muſas, Pallademque in ſtudiis ſemper occupatas, ociumque fugientes, Cupidinis ſagittis nunquam potuiſſe vulnerari, & Muſas perpetuam virginitatem coluiſſe, eaque laude floruiſſe: cum tamen ab auctoribus aliis ſcriptum ſit relictum, proditumque literarum monumentis, Muſarum nonnullas & viris nupſiſſe, & ex iis liberos quoque ſuſcepiſſe. Quod ſi neceſſarium eſſe ducimus, ut is, qui eruditionis alicujus præclaræ & ſingularis cupidiſſimus, appetentiſſimusque ſit, bellum ſibi eſſe cum Venereis amoribus indictum arbitretur: (nam hoc Luciani fabula ſibi volebat:) cur non eam ipſam ob cauſſam uxorem literato viro ducendam eſſe cenſeamus? ne, niſi ardorem a natura ingeneratum, inſitumque conceſſa omnibus medicina repreſſerit, ad illicitas voluptatum meretriciarum illecebras, quaſi ad Sirenum cautes, ſcopulosque deferatur. Etſi enim exiſtimatur eſſe facilius omnino voluptate carere, quam ea ſemel guſtata ſe cohibere, aut modum aliquem tenere: & minus eſt operoſum, hoſtem primo aditu prohibere, quam ſemel admiſſum coërcere & expellere: tamen, ut concedamus id iis in rebus, quibus omnes abſtinere non incommode poſſunt, quęque fortaſſis ad omnes non æque pertinent, ita natura eſſe comparatum, hac in parte longe ſecus ſe res habet. Nam, cum natura dederit nobis ſtimulos acerrimos, mirasque libidi-

nes, ut Cicero teſtatur, in omni animalium genere commiſcendorum corporum excitarit: nego,& conſtanter pernego, cælibes laudem obtinere poſſe caſtitatis, cum & naturæ ſuæ ſenſu alio ducantur, & a quibus voluptatibus vitæ quodam inſtituto arcentur, in eas propenſiore animo ferantur, procliviores que rapiantur. Præterea ſicut fortiter dimicantem inter pericula,temperantem inter pocula certiſſime cognoſcimus: eodem plane modo caſtum putabo, non, qui uxorem non habet, ſed qui non deſiderat: cujuſmodi mentis,animique magnitudo, ni fallor,in Xenocrate legitur infuiſſe, cujus in cubicularem lectulum cum diſcipuli continentiæ ejus periclitandæ ergo fœminam impudicam, ſed non invenuſtam collocaſſent, ille eam ne extremo quidem digito attigit, ut poſtridie ipſa profiteretur, ſeſe prope ſtipitem, non hominem ea nocte dormiiſſe. Ideoque eum ajo laude caſtitatis eſſe cumulandum, qui, cum habeat, quo uti, perfruique poſſit,non tamen utatur, quaſi omnino non habeat: aut qui nihil amplius decerpat, quam naturæ & virtutis ratio, moderatioque permittat. Tales vero aut nulli ſunt, aut certe conjuges ſunt: qui,licet primo anno ob inſolentiam, & quod ardor nondum deferbuit, minus credantur eſſe continentes, id quod color pallidulus plerunque deſignat: tamen ita in poſterum ſibi moderantur, ut voluptatum delicias tanquam experiundo contempſiſſe, ſatietate abjeciſſe videan-

deantur. Quamobrem homo eruditus, qui in ſapientiæ inveſtigationem incumbit, a matrimonio tanquam a ſchola aliqua & ludo, in quo cum cæteras virtutes, tum etiam continentiam, caſtitatemque perdiſcat, non erit repellendus, aut ob moleſtias, neſcio quas, quæ ipſi ſint forte ſubeundæ, verbis abſterrendus. Quod ſi contingat, aut literarum optimarum, artiumque ſtudioſus, uti ſæpe fit, in morbum aliquem periculoſum atque diuturnum, verbi gratia febrim, quam vocant quartanam incidat: an auctores ipſi erimus? valetudinem ſuam ut negligat, medicum non accerſat: quod ſi faciat, multum ipſi eſſe de priſtina ſtudiorum contentione remittendum. Non opinor: quid eſſet enim abſurdius? Illud potius conſulemus, ut morbo faciat mature medicinam, quo recreato, refocillatoque corpuſculo animi quoque ingeniique vigor, viresque inſtaurentur. Cum igitur literatos morbo conflictari, pertentarique communi cum cæteris, igniculisque amoris ardere videamus: non diſſimili ratione iis dicemus eſſe agendum, & nulla interpoſita mora corpori affecto conſulendum, de ſociaque vitæ providendum. Hoc ſi fecerint, etſi nonnihil ipſorum antelucanis vigiliis, lucubrationibusque decedet: jacturam tamen non maximam facile ſarcient, cum paulatim animi morbo ſuaviter revelati, indies ſeſe fieri ad ſtudiorum labores obeundos acriores alacrioresque ſentient. Morbus autem hic, de

quo loquor, cum omnium pene animos contagione pervagatur: difficile eſt enim fœminis, a quibus tot menſes alvo continemur primum & naſcimur, poſt educamur etiam & enutrimur, non favere, ut ille non inepte dixerit, ver ex anno eum tollere, qui mulieres auferat de civitate: (tum illa ſive lues, ſive ægritudo in animo doctiſſimi cujusque maxime hæret atque inſidet altiſſimis defixa radicibus: vel quod affectionem illam, quam Græci στοργὴν nominant, in qua ſemina maximarum ſane continentur virtutum præclarius perſentiunt: vel quod naturam ipſius pulchri, quo intellecto & conſpecto non poteſt amor non exiſtere, acrius intuentur, & ita ejus aſſidua recordatione delectantur atque permoventur, ut fructum aliquem ex eo capere ingenti cum ardore concupiſcant. Quod ſi alicui minus videbitur conſentaneum veritati, graviſſimum, acutiſſimumque ſcriptorem noſtri temporis Natalem Comitem audiat lib. IV, cap. XIII, ita de amore philoſophantem: Sunt in ſingulis animalibus ſpiritus quidam ad conciliandos amores præpotentes, quibus temperies aëris pro læna eſt, atque eorundem ſpirituum alii ad id munus tardiores ſunt, alii promptiores, & magis ingenioſi: quare accidit aliquando ut mas fœminam vel non viſam amaverit, aut marem fœmina. Alii naturam ſapientiſſimam, rerum harum parentem, ſimilium & animorum, & temperamentorum conciliatricem crediderunt,

runt, quæ radios quoſdam occultos e toto corpore mitteret: quos tamen alii ex oculis manare maluerunt, atque alterius animum percutere, atque illum, qui ſit ictus, converſum eo unde percuſſus fuit, quantam voluptatem divinantem, & quaſi præſentientem, ſimilisque conjunctionem appetentem, in ejus deſiderium delabi, quod deſiderium amor, & proprio nomine Cupido appellatur. Cum tamen eveniat aliquando, ut ex altero tantum illi radii manent, cum ad ſcopum ob diſſimilitudinem hi pervenire non poſſint, nullam ſe facere impreſſionem ſentiunt. Quare neque ita intenduntur, neque ſunt diuturni, & a ſuſcepto negocio facile recedunt. Nihil enim natura fruſtra fieri diutius patitur. Audiiſtis, quid de ſpiritibus ingenioſis atque ſubtilibus loquatur & ſentiat. Id autem mea quidem ſententia ita perſtudioſe machinata natura eſt, ut quo quiſque acumine & lumine indolis obſtrueret aliis hominibus vehementius, eo celerius amore incenderetur. Nam cum eadem natura ſui conſervationem appeteret, maximeque vellet eſſe diuturnam, ad hoc conſequendum, efficiendumque opera vicaria uti voluit hominum ſapientia, ingenioque præſtantium. Nec immerito: cum enim matrimoniorum beneficio hominum natio conſervetur: & eorundem nullum aliud genus ad idipſum vitæ inſtitutum aptius atque convenientius reperiretur: artificio aliquo illi, qui perſpicacis ingenii bonitate a-

 lios

lios antecellerent, huc a natura erant impellendi, & velut urgendi. Hi enim & in uxore deligenda optimam poſſunt adhibere cautionem, & tenere in diligenda modum, ne ab imbecilliore natura ſe quovis impelli, regique patiantur. Tum ſive divitem nacti fuerint, pecuniam utiliter collocabunt: ſive inopem duxerint, rem familiarem honeſtis rationibus amplificabunt. Jam ſi in deformem inciderint, animum ejus ut lucidiſſimis gemmis, ſic ſplendidiſſimis virtutibus exornabunt, & quod corpori à natura fuit invidioſe denegatum, in parte meliore, videlicet mente compenſabunt. Sin autem formoſa & ſpecioſa potiti erunt, plures inde commoditates conſequentur. Nam non ſolum dabunt operam, ut mores cum præſtantia elegantiaq; formæ, & venuſtate vultus, amabilitate & concinnitate conſentiant, & formoſa matre ſobolem pulchriorem (ut ex Horatio unum verbum mutem:) ſperabunt: ſed etiam longe majorem, uberioremque voluptatem, quam alius capere potuiſſet, ex domeſticæ pulchritudinis quotidiano obtutu, conſpectuque percipient. Ajunt Alexandrum Macedonem puellam à ſe inſigniter adamatam aliquando pictori nudam depingendam locaviſſe: pictorem autem in artificioſam illam, & generoſá membrorum, artuumque omnium conformationem, coagmentationemque diligenter intuentem, ejus amore vehementer & ardenter inflammatum fuiſſe. Quod cum Alexander

der cognoviſſet, qua fuit in omnes liberalitate, pictori eum dono dediſſe puellam ferunt, ac dixiſſe, illi hanc jure eſſe tribuendam, qui illam membrorum exquiſitam, & à pulchritudinis legibus nuſquam aberrantem ſtructuram optime intelligeret Quid? an non idem de literatis, quos proverbium Græcorum ſermone tritum plus duplo videre confirmat, erit dicendum & ſentiendum? Sic cæteras res quod attinet, quæ in uxore expetuntur, omnia erunt erudito & ad perfruendum ſuaviora, & ad intelligendum illuſtriora: quæ autem fugiuntur, ipſi longe faciliora ad corrigendum ſunt futura, ad perferendumq; leviora. Hic ſi philoſophorum ſummorum auctoritatem, teſtimoniumque requirimus: non ignorare debemus Platonem in ſua Republica mulierum communionem non omnino promiſcuam eſſe voluiſſe, ſed optimis, præſtantiſſimisque civibus fœminas præſtantiſſimas adjungendas decreviſſe, è quibus filii non degeneres, Deique cultores, ut quodam in loco dixit, procrearentur. Ille autem ipſe Plato quam eſt in Sympoſio ſolers, quam curioſus in amoris inveſtiganda, explicandaque natura! quem tanquam divinum aliquod numen in cœlum laudibus extollit. Eademque res non minori curæ fuit Ariſtoteli, qui & œconomicum libellum confecit, & cum uxore familiaritatem ea ſocietate, quæ nobis cum univerſis civibus intercedit, ut tempore priorem, ita natura homini aptiorem eſſe de-

pre-

prehendit. Nec in diverſa ſententia liquet fuiſſe Xenophontem, qui non ſolum librum œconomicum à Cicerone latine converſum, ſed etiam Sympoſium admirabili eruditione conſcripſit, in quo Socratem ita de amoris laude fecit perorantem, ut mariti omnes qui adfuiſſent, eo ſermone inflammati ad uxores ſuas amplexandas equis ad curſum concitatis avolarent: qui autem uxores nondum duxiſſent, quamprimum ſe ducturos eſſe jurarent. Quid de Plutarcho, nobiliſſimo illo, varioque ſcriptore dicemus? qui non ſolum amatorium ſermonem in lucem edidit, & de mulierum virtutibus præclare multa congeſſit: ſed etiam in matrimonio vivendi normam rationibus & ſimilitudinibus elegantiſſime expreſſit. Ex quo elucet, graviſſimos viros amorem ab honeſtate non abhorrentem non ſolum probaviſſe, ſed de ejus etiam conciliandi, conſervandique ratione nobis præcepta tradidiſſe. Non enim arbitrati ſunt, ad amorem ita veniendum eſſe ſapienti, ut legimus fere unico ex ictu, conflictuque oculorum mutuo incenſos eſſe Paridem & Helenam, Æneam & Didonem, Euryalum & Lucretiam, vel Amadiſum & Orianam, quorum poſtremus cum in cœna oculis internunciis, animoque in virginem Geniis utrinque faventibus delatus eſſet, deinde anulos ejus, qui in terram erant prolapſi, comiter ſuſtuliſſet, & puellæ illum prævertere, & prævenire cupientis manum forte fortuna tetigiſſet,

ex

ex unica illa preſſiuncula in manifeſtum prope evaſit amatorem. Hæc auſpicia fortaſſis non injucunda, ſed tamen exilia & puerilia, levitatisque pleniſſima, quanta Ilias dolorum & malorum ſubſecuta eſt! Quod ſi mihi conceditur fabularum ſcriptores nobiles & ingenioſos noſtrorum temporum adducere, a quibus non minus, quam a veteribus poetis res humanæ prudenter, excellenterque exprimuntur, in Printampſio cernimus quam a tenui origine & ſcaturigine amor inconſideratus ſæpe exortus manaverit longius, & leniter primum, æquabiliterque profluxerit: ad extremum autem nimio æſtu impetuque exundans, ruptis quaſi aggeribus, in calamitatum mare ſe quoddā procelloſum, furioſumque præcipitarit. Ab his difficultatibus & incommoditatibus immunes ſunt eruditi. Nam, ut ante fuit indicatum, nec, ad initia & auſpicia quod attinet, in amore falluntur, & illo jam conſtituto eum modum tenent, ut ſine ſuſpirio ament, quod Stoici facturum dixerunt eſſe ſapientem, & facile totius amoris progreſſum proſpiciunt. Quare tantum abeſt, ut ſtudiorum curſum hac de cauſa retardari patiantur, ut multo etiam diligentius literarum tractationi incumbant, id quod infinitis prope exemplis maximorum virorum comprobatur. Nam quid uno Socrate, a quo proſeminatæ ſunt tot familiæ philoſophorum, fingi poteſt in omni doctrinarum genere divinius? At is non unam habuit uxorem,

ſed

ſed duas: nec id ſatis erat, (quod per ſe magnum videri poterat:)niſi iiſdem etiam acerbis & auſteris, ſuperbis & prope feris uteretur:ut illud proverbium nullam debeat fidem promereri, quo uxor, liberique magna viro tyrannis eſſe dicuntur: ſed materfamilias (quod etiam eſt Dei ipſius antiquiſſima voce comprobatum:viri magis ſocia in ferundo onere, ſubſidiumque nominanda videatur. Nec illud nos valde movere debet, quod plauſibiliter magis de Cicerone, quam probabiliter veriſimiliterque narratur, illum, cum Terentiæ nuncium remiſiſſet, & Hircius ſuā ei ſororem obtuliſſet, operam ſimul ſe philoſophiæ, & uxori dare non poſſe, reſpondiſſe. Quaſi vero non dederit, cum Terentiam haberet in matrimonio: quaſi ſtudium, diligentiamque remiſerit, cum ætate affecta puellulam pene immaturam duceret, quam ob cauſam ab amicis reprehenſus, quod admodum ſenex virginis vix puberis & viripotentis ſe novis nuptiis implicaret, At cras mulier erit, inquiebat. Cum igitur ſit vita Ciceronis univerſa tam in cauſis perorandis forēſibus contrita, quam in pertractanda philoſophia conſumpta:non magis eum in literis unquam eſſe ab uxore impeditum putandum eſt, quam noſtra tempeſtate Andream Tiraquellum, qui non minus fœcundus, quam facundus, & bis quindecim librorum & liberûm parens fuiſſe legitur:cujus ſane Commentarios, ſi vel ordinem in tanta rerum ubertate, varietate ſtudio-

ſtudiorum magno ingenio inſtitutum, judició etiam abſolutum majore conſideres, à viro & marito potius, quam adoleſcentulo apparet eſſe elucubratos atque perfectos. Nec Budæum à literis uxor avocavit, ſed magis in iis confirmavit, quam ſibi in Muſarum ſacrario ſemper aſſidentem, & aliquid librorum in manibus habentem, non tantum vitæ, ſed ſtudiorum quoque ſociam & commilitonem nominabat: nec eundem magnus liberorum nepotumque numerus in ſtudiis interpellavit, qui quidem dicitur fuiſſe tantus, ut antequam moreretur, noctu ſuum funus efferri, tumularique mandaret, ut aliquo modo compeſceret fletum ejulatumque puerorum, quem futurum non obſcure providebat. Quid? quod Sebaſtianus Francus, qui libros bene multos, nec omnes contemnendos, poſteritati conſecravit, non minimum eorum numerum, cum familiam ob inopiam alere non poſſet, cunis agitandis occupatus exaravit? Unde fit, ut jocari & ludere voluiſſe credam Marianum Socinum, qui interrogatus, cur a nuptiis ſtudiorum contentionem intermiſiſſet, neque Socratis exemplum ſequeretur, qui ejuſmodi rebus non fuiſſet paſſus ſe impediri, reſpondit, Xantippen felle amariorem fuiſſe: ſuam vero novam nuptam eſſe bellam, & melle ſaccharoque dulciorem. Quaſi vero non fuerit mirifica ſuavitate condita aut Theano, uxor Pythagoræ, quæ ob morum ſingularem honeſtatem valde cele-

bra-

bratur : aut eruditiſſima illa Hipparchia, quam, ut haberet ingenii doctrinæque magnitudine præſtantem contubernalem, à cujus latere non abſcederet, matrimonio ſibi Crates ille copulavit: aut Meliſſa, quæ Chryſippo cum eſſet nupta, & is in menſa cibi ſæpe capiendi obliviſceretur in argutam & acutam Stoicorum diſciplinam totus immerſus, illi cibum in os inſerebat. Non igitur mariti ab uxoribus impediuntur, aut redduntur in diſcendo ſegniores: ſed potius ad id ipſum incenduntur ſæpe, efficiunturque meliores. Cujus rei teſtem poteſtis habere locupletem, Cimonem illum Bocatianum, qui ab ineunte ætate cum ingenio hebeti eſſet & valde obtuſo, pueritiamque omnem, & magnam adoleſcentiæ partem ruri conſumpſiſſet, & aliquando greges paſcens profundo ſomno ſubito fuiſſet oppreſſus, eo ſolutus forte fortuna videt virginem nobilem, quæ oblectationis ergo cum famulatu in pratis deambulabat, admirabili, propeque divina oris ſpecie enitentem, morumque amabiliſſimorum lepôre & gratia circumfluentem, incredibiliterque elucentem. Quam dum ſtupore primum correptus defixis in eam oculis ſemper intuetur, & tanquam de cœlo delapſam admiratur, tacitoque naturæ ſenſu, ut aliquid divinum, veneratur: paulatim cum oculis animi mentem, ut Comici verbis utar, ſupra ſuam conditionem, captumque attollit, intellectaque natura ipſius pulchri amore, (nam ita fieri

erat

erat neceſſe: ) incenditur, eoque perducitur, ut mores agreſtes & ruſticanos una cum vita paſtoricia ſibi deſerendos, urbanos autem & civiles in animum inducendos arbitretur. Hac ille occaſione ex ſtupido & bardo compos eſt factus repente rationis. Magna eſt enim vis admirationis, in iis præcipue rebus, quas nunquam ante conſpexeris. Igitur qui hoc ita negat evenire potuiſſe, idem negabit Hiſpanos, cum primum in provincias Peruanas appuliſſent, in deorum numero fuiſſe habitos, quod morum comitate, & ſermonis affabilitate, qua inter ſe utebantur, perpoliti, ſplendideque veſtiti à nudis & barbaris inaudita cum admiratione cernerentur. Quæ quidem opinio barbarorum deinceps non minimum dicitur pondus habuiſſe ad mores beluinos exſuendos, induendosque mitiores. Hæc autem ita ſe habere, ut credamus, & ratio noſtra jubet, & rerum geſtarum hiſtoria ſuadet, & eorum, qui ad tranſmarinas nationes proficiſcuntur, experientia compellit.

Ne tamen à propoſito longius abeamus, ſi quis evidentiori teſtimonio comprobari poſtulet, quod diximus viros à fœminis interdum effici ſolere meliores, poteſt hoc eſſe vel ex jure manifeſtum, in quo mulieres dicuntur viros dignos ſæpe ſacerdotio ſua converſatione reddidiſſe. Ac ipſe Juſtinianus, princeps abundans bellicis, togatisque virtutibus, à Deo datam ſibi Theodoram non ſemel in rebus arduis ſe conſuluiſſe profitetur, imo

gloriatur. At quantus Imperator! Civium igitur aliquem pudebit fortiſſimi ſapientiſſimique principis exemplum imitari: præſertim quod ſit cordatum, & cum ratione conjunctum. Nam, ut video hoc magnis quibuſdam viris placuiſſe, fœminæ conſilia in rebus ſubitis atque improviſis multo ſolent celerius expedire, & finem aliquem exitumque reperire. Cumque frigidior ſit natura muliebris, multa ſæpe calida maritorum acta & inſtituta fœminarum lenitate atque prudentia temperantur: ut minus admirari debeamus, multos ab initio deditos ſuperſtitionibus ad veram fidem, religionemque colendam ab uxoribus eſſe perſuaſos, eoque perductos, ut Chriſtianorum ſacris initiarentur. Quid enim eas deliciis & blanditiis apud viros putemus non poſſe obtinere? quarum vel in objurgatione amariore, ut veterum theologorum unus affirmat, aliqua inſit dulcedo. Multa enim dicta & facta uxorum amori condonantur, quæ ab aliis cum proficiſcuntur, iniquiſſime tolerantur. Quare, ſicut apud Macedones erat in more poſitum, ut qui in acie minus ſe fortiter geſſiſſent, eorum os ignominiæ gratia capiſtro cingeretur: ita contra ad compeſcendam ferocientem, exſultantemque juvenili impunitate naturam erit inveniendum, indendumque matrimoni capiſtrũ, & virilis ille fervor uxoris modeſtia, conſilioque refrigerandus. Quæ cum ita ſint, volumusne tot fructibus, tantisque utilitatibus,

quæ

quæ ex legitima uxore capiuntur, ſpoliare & defraudare artium, literarumque ſtudioſum? Quanquam etiam nova mihi in mentem venit ratio, cur fœminæ ſocietas ab erudito nõ ſit negligenda. Uni tertio æqualia inter ſe eſſe æqualia notiſſima illa Geometrarum regula demonſtrat. Quoniam igitur in eo fœminæ cum maribus conveniunt, quod utrique liberaliter eruditi, inſtruique poſſint, puellularumque ingenia, cum ſtudiis adhibentur, fere celerius doctrinam ſoleant arripere: quid eſt, cur inter ſe congruere & convenire, ac conſenſione quadã conſpirare non poſſint? Quod autem verſatile earum ingenium aptum, accommodatumque ſit ad cognoſcendas, percipiendasque diſciplinas, nemini poteſt eſſe obſcurum, qui aciem oculorum in Palladem, quam veteres ut ſapientiæ deam, præſidemque coluerunt, intendet, & cur Muſæ virgines eſſe, non mares exiſtimentur, ſecum cogitatione perpendet, videlicet puellas, ſi præclaris artibus excolantur, duce plerumque natura philologas & logodædalas exiſtere. Sed fabularum involucra & obſcuritatem omittemus, & ad hiſtoriæ candorem nos, lumenque conferemus. Prodeat igitur Aſpaſia, Socratis & Periclis illius, qui fulminare & concionibus ſuis permiſcere dictus eſt univerſam Græciam magiſtra: aut Corinna, quę Pindarum, principem (ſi Horatio credimus:) poëtarum omnium, non dubitavit reprehendere, eumque admonere, cum nimis denſus

 atque

atque copioſus eſſet, non toto culeo, ſed manu ſementem eſſe faciendam: aut Cornelia, mater Gracchorum, cujus epiſtolas Cicero tantopere commendat, & illius non tam in gremio, quam in ſermone filios enutritos eſſe confirmat: aut Lælia Gracchi, vel Hortenſia Hortenſii filia, quæ ambæ hæreditatem eloquentiæ paternæ creviſſe dicuntur: aut illa multarum perita linguarum Cleopatra, quam Romanis imperatoribus ejus rei laude Plutarchus anteponit. Multas cogor ſilentio præterire, quæ libris in publicum editis floruerunt, & quarum ſuaviſſimas, graviſſimasque ſententias à Stobęo conſervatas quotiens in manibus habemus, totiens dolemus quod illa divina monumenta ingenii, ſapientiæque muliebris, hominum incuria, temporumque injuria perierunt. Ac ne ſemper antiqua meditemur, ſed paulo recentiora contemplemur: veniat in conſpectum filia Accurſii, quam leges de loco ſuperiore docuiſſe accepimus. Quid dicam de Olympia Fulvia Morata? cujus erudita ſcripta nulla unquam delebit oblivio. Quid de Hippolyta Taurella? cujus artificioſum, affectuoſumque carmen, cum legimus, amplexari, exoſcularique compellimur. Quid de Elyſabetha Gonzaga? quam Bembus ita laudat, ut lapideum eum eſſe dicat, qui non unam hujus ſeſſiunculam omnibus philoſophorum ambulationibus & diſputationibus anteponat. Quid denique de Angliæ regina? quæ hodie florentiſſimum regnum

gnum ſumma ſapientia prudentiaque adminiſtrat: ut Weſenbecius veteris poëtæ verſus ad eam vere accommodaſſe videatur:

— *Vos* (juvenes) *animos geritis muliebres,*
*Illa virago viri.*

Hujus de ingenii magnitudine, & cognitione linguarum, variaque doctrina, & heroicis virtutibus nulla unquam ætas, poſteritasque conticeſcet. Ex his in medium allatis conſtare autumo, quod puellæ apud homines noſtros non ita erudiantur, conſuetudine potius fieri vulgari, quam vel certa aliqua ratione, vel quod ingeniis deſtituantur. Nam & olim maxime liberalibus artibus eas fuiſſe inſtitutas, ex legibus quoque poteſt deprehendi: L. qui filium 4. ubi pup.educ. vel mora.debeat. & fœminis indolem non deeſſe ad genus omne literarum perdiſcendum, multis exemplis propoſitis ſatis oſtendi. Ut igitur locum hunc concludam, aut ſtudiis fœminæ erunt eleganter expolitæ, & eam ipſam ob rationem ab eruditis ſunt ambiendæ, quod pares cum paribus facillime congregentur: aut rudes erunt, & inopes ab omni doctrina, & ne ſic quidem ſunt à virorum literatorum conjugio atque complexu avellendæ, cum homini docto, ubi abſtruſam & latentem vim ingenii ex ſcintillis emicantibus perſpexerit, eam ut erutam abſtergat & poliat, non difficile ſit futurum. Verum quid multis diſputo? quid eruditis matrimonium libenter eſſe contrahendum conſulo? cum ſeſe ad hoc i-

pſum neceſſitate impelli ſentiant, ita cogente natura. Nam, quia præceptum illud divinũ, quo homines creſcere & augeſcere jubentur, pertinet ad univerſos, eademque fabrica eſt corporis humani omnino in omnibus: efficitur non facilius, quam unum de populo, ſe poſſe continere ſapientem. Ac vereor, ne rarius etiam fortaſſis ſapientia cum continentia conjungatur. Nam, quo erit quiſque prudentior, eo præclarius intelliget, quantam rationem habuerit natura in membrorum collocatione ſingulorum, & ad quem uſum ſit unumquodque conformatum. Cum autẽ in ſtructuram corporis intuebitur, & tria in primis à magno illo Platone celebrata membra, quæ quaſi principatum & triumviratum in corpore conſtituunt humano, contemplabitur, cerebrum quibuſdam oſſibus ſeptum videbit, ſimiliter à coſtis munitum vallatumque cor: jecur autem in molliſſimas partes inſidere, remotumque à functionibus præſtantioribus & ſublimioribus non de vitæ humanæ ornamentis, ſed de alimentis tantum laborare, &, ut ita dicam, curis omnibus abjectis quaſi luxuriari: ideoque ad ſeſe optimum ſuccum coctionis ſevocare, eumque diligentius elaboratum in vicinas, & propinquitate ſibi devinctas partes, quas procreationis gratia natura corpori affinxit, in primis tranſportare: quæ partes, & quæ membra, quod nutrimento præ cæteris affluunt, &, ubi pejuſcule habueris, prima convaleſcunt,

cunt, &, ubi bene valueris, indies vigore efflorescunt. Et cum jecur à cerebro, domicilioque rationis longius abſit, quam cor, accidit, ut difficilius libido, quam ira comprimatur: more ſervulorum, qui, quo minus dominorum præſentia coërcentur, eo magis vivunt nequiter & diſſolute: quin & a medicis doctiſſimis ſumma conſenſione eſt approbatum, vitam humanam ſine Venere non modo inſuavem eſſe & invenuſtam, ſed etiã nulla ratione poſſe conſiſtere. Quotus enim hominum quiſque reperitur, qui poſſit ita ſe animo conſtitutum eſſe gloriari, ut nunquam à libidine vexetur aut exagitetur, nec ſe unquam his quaſi ſtimulis, aculeisque compunctum eſſe ſenſerit? quem ſi poterimus aliquando invenire, ſingulari laude proſequemur. Nec mihi aliquis vulgarem hic illam, veteremque næniam decantet, plerorumque hominum ingenioſorum & eruditione excellentium liberos ſtolidos eſſe, & deliros ſolere, ac propterea viros doctos rectius & commodius eſſe facturos, ſi fœminam minime attingant & ad conjugium non accedant. Nam, etſi ab Ariſtotele conſignatum eſſe literis non ignoro, omnes melancholicos eſſe ingenioſos, & illam melancholiam, gravitatemque generoſam, quæ ſit in ſummis viris, in eorum liberis plerunque degenerare, & in ſtuporem declinare: tamen & illud certum, exploratumque eſt, alias ejus rei & plures afferri poſſe rationes. Ad hoc enim, ut aliquis

ſuis majoribus, qui virtute, gloriaque claruerunt, dignus evadat, non ſolum poſitum eſt in recta, & laudabili educatione permultum: ( nam ingenia bona fieri poſſunt inſtitutione meliora, & quæ non ſunt optima, corrigi tamen aliquo modo, acuique poſſunt: ) verum illud etiam eſt à parentibus magnopere, & ſtudioſe cavendum, ne liberis dent operam, aut cum valetudine utuntur non ſatis firma, aut alias tempore prorſus alieno. Sed hæc alterius ſunt loci & temporis, & à medicis, quorum ad ſcientiam proprie pertinent, copioſe, ingenioſeque definiuntur.

Eruditus autem, qui & iſta non ignorabit, & valetudinem ſuam amabit, uxorem dignitatis, meretricem voluptatis nomen eſſe, ut quidam dixit Imperator, & illam poſteritatis, hanc voluptatis concubinam etiam ſanitatis ergo, ut loquitur Demoſthenes, haberi cogitabit.

Uxorem igitur non incendendæ, ſed reſtinguendæ, ſedandæ, non irritandæ libidinis gratia ſe duxiſſe meminerit, meretriciamque voluptatem quam jura pontificum etiam c. liberorũ XXXII. q. IV, legi. ima in uxore damnant, oderit: alias vero nihil humani à ſe putabit alienum. Quod cum faciet, non modo non hebetem & indole abſurda ſobolem generabit, ſed filiolos etiam perbellos, ingenioſosque procreabit:

*Quaque juventutis ſunt præmia puriter acta,*
*Conſpiciet caſti pignora certa tori.*

Tum

Tum domi habens, quo ſe oblectet, nec quærens foris, non cum lue conflictabitur Gallicana, ſed robur, & vires, & florem corporis conſervabit, & illas carnifices & edentes pectora curas ſæpenumero reprimens animum triſticulum moderata Venere ſuaviter allevabit. Non, ut amatores, qui præ mœrore & dolore animi exareſcunt, erit colore buxeo, aut vitellino, nec, ut aliqua ſtatua Pygmalionis, pallebit: ſed erit ſucci plenus, indiesque ejus valetudo & pulchritudo ſplendidius eniteſcet, & formoſius effloreſcet, tandemque cum lege naturæ conſenuerit, in liberis à ſe genitis aliquo modo repubeſcet. Ita, quod ab adverſariis afferebatur, procreationem ſobolis ad virum non attinere ſapientem, falſum eſſe oſtendi, & adhuc cordato homini in conjugio vivendũ eſſe defendi. Sed ne nunc quidem acquieſcunt, quo minus amplius nobis negocium faceſſant, cumque gladiis cæſim & punctim huc uſque pugnarint, jã bellicum arietem incipiunt admovere. Ajunt enim, & mordicus tenent, eruditum, qui uxorem duxerit, domicilium fortunarum ſuarum conſtituerit, tantum ſuis humeris onus impoſuerit, tot negotiis, curisque diſtrictũ atque diſtractum, aut rem domeſticam, rem familiarem eſſe neglecturum, aut deſerturum ſtudia doctrinarum, tractationemque literarum. O magnum præſidium, in quo merito omnes vires, opesque contineri augureris! Quod genus vitæ non eſt inquietum? quod

inſtitutum non turbulentum? quæ vivendi via non eſt vepretis & ſenticetis ad ingrediendum impedita? ſive tecum quid agas, ſive cum aliis contrahas. Eſt in ſolitudine delectatio: ſed ita, ſi non ſit diuturna. Nam jucunditates & ſuavitates omnes, quanto minus ſunt nobis cum aliis communes, tanto illiberaliores eſſe præclare Lucianus arbitratur. Eſt in cogitando & meditando voluptas: ſed ineſt etiam angor & dolor, & ſæpe ipſa mors. Hæc res Empedoclem, Pliniumque abſumpſit, dum ille Ætnæ, hic Veſuvii incendii cauſam & fomitem valde quidem diligenter, ſed minus prudenter explorat. Incredibilis erat in Archimede cognoſcendi ſitis, nec fere quidquam aliud majori cum voluptate perfundebat. Quanto vero ipſi quædam ignorare melius fuiſſet? Non eſſet à populo, cum præ gaudio vix ſe capiens e balneo nudus in forum accurreret, publice, magnificeque deriſus. Sed hæc levicula & ridicula. Illud autem in tanto viro commiſeratione digniſſimum, quod dum unus Syracuſas ingenii magnitudine confiſus contra Romanum exercitum propugnat & defendit, ſemetipſum in cogitationes immerſus & depreſſus offendit atque evertit. Ita eſt aliquid etiam in ſtudiis nimium quo Archimedes, aliique multi, nimis erudito quodam mortis genere, ſtulte perierunt.

Eſt igitur literis gnaviter incumbendum, ſed interea alia quoque nō negligenda ſciendum-

dumque illud, non ad opus unum nos eſſe ſatos, & in hunc mundum divinitus collocatos. Quod ipſa etiam natura tacita voce declarat, quæ non ſolum animum dedit nobis ad ſubtiliter cogitandum, & acute: neque tantum nobiles oculorum, auriumque ſenſus conceſſit ad munus rationis præſtantius obeundum: verum corpus quoque attribuit ad laborandum, & manus, ignobilemque ſenſum tangendi, nobis vel cum talpa communem, elargita eſt ad opus aliquando faciundum. Itaque natura maxime diverſis uſa rebus eſt, ut quædam concors diſcordia, velut in concentu, ita in hac univerſitate rerum dominaretur, & dolorem, quemadmodum eſt in fabulis, catenis arctiſſime cum voluptate conſtrinxit. Quod intelligens & ad conjugium transferens Socrates affirmare ſolebat, ſive uxorem quis duceret, ſive cælebs permaneret, fore, ut eum vitæ utriusque pœniteret, matrimoniumque caſſibus comparabat, quod piſces nondum capti in naſſam ſponte influerent, cuperentque irretiri: capti vero qui eſſent, ex vinculis & ergaſtulo ſe expedire, ad priſtinamque libertatem redire niterentur. Nec de utroque vitæ inſtituto aliter ſenſit vir ille ſummus in Romanorum Republica, qui in concione, quam ad populum habuit, dicitur hujuſmodi, ſi recte memini, fere verba protuliſſe: Si abſque mulieribus eſſe poſſemus Quirites, magna moleſtia careremus. Nunc vero, cum ita ſit natura com-

comparatum, ut nec cum illis ſatis commode, & ſine illis nullo modo vivere poſſimus, potius eſt neceſſitati, quam brevi voluptati conſulendum. Præclara vero ſententia, & digna viro ſapiente, qui perſpexerit, quantum eſſet humanæ tribuendum, indulgendumque naturæ! Si corpus & membra non haberemus, inter genios, ſi animo deſtitueremur, inter pecudes, (ut in Pimandro Mercurius Triſmegiſtus eleganter inquit) eſſemus numerandi. Quoniam vero ſumus ex utroque, ex corpore inquã mortali, animoque divino & immortali, admirabili concinnitate compacti & conglutinati: fieri certe nequit, ut ullam bene, beateque vivendi rationem ineamus, niſi utrique conſulamus. Id autem hoc pacto conſequemur, ſi nec ad nimis ſordida & humilia nos demittamus & abjiciamus ipſos, nec etiam animo concipiamus altiora & noſtris viribus graviora: ne nobis idem, quod Icaro dicitur accidiſſe, contingat, quem Syneſius ait, cum terram contemneret, cœlumque ſitienter appeteret, brevi poſt in mare delapſum non ſolum cœlo excidiſſe, ſed ne terram quidem, cum maxime cuperet, tenere potuiſſe, in marique periiſſe. Non igitur unis tantum nos debere diſciplinis, & rerum obſcuriſſimarum perveſtigationi ſtudere, ſed etiam ab inferioribus muneribus, quibus carere non poteſt hæc vita communis, à conjugio, curisque domeſticis minime abſtinere debemus, præſertim, cum illæ ipſæ curæ,

quod

quod eſt ante demonſtratum, nos à majorum contemplatione rerum non abducant.

Nam ſi agricola in agris, in vineis, in hortis non incommode ſimul exercetur: & ſi in arte muſica peritus, cujus oculi in notas depictas intuentes libro quaſi ſunt affixi, & canere viva voce, & digitis chordas percellere, & pedibus laborare poteſt, ut concentum aliquanto efficiat pleniorem, quod in organo muſico fieri cernimus, neque tamen tot rebus ſimul intentus, & tam varie diſtentus in aliqua parte peccat: an idem præſtare non poterit homo in literis probe & præclare verſatus, ut in res paululum diverſas lumen animi, ingeniique diffundat? Certe quanto majores in curriculis ſtudiorum fecerit progreſſus, tanto diligentius omnem operam adhibebit, & quidem majori cum fructu, ut opes, quas poſſidet, induſtria & parſimonia potius augeantur, quam ſocordia & luxuria, quæ ſolet eſſe ſumptuoſa, dilabantur. Quam ad rem non prudentia ſolum ex literarum ſcientia partim nata, partim etiam confirmata illi permultum, ſed non parum conjugium etiam ipſum poterit commodare. Nam in matrimonio patrimonium non modo non diſſipari, ſed quoque amplificari ſolet à parentibus, qui ad complectendam illam paucis contentam frugalitatem liberorum, quibus plurimum ſtudent comparcere & relinquere, charitate incitantur. Quod ſi igitur domeſticæ curæ, in quas maritis eſt incumbendum, eſ-

ſent

ſent longe maximæ atque graviſſimæ: tamen earum magnitudinem poſteritatis amor allevaret, & ea etiam de cauſa videri minores, levioresque deberent, quod cælibes, iis omnino qui vacant, vel certe minus afficiuntur, multo majoribus, acerbioribusque curis perſæpe crucientur: qui, ſi libidinis, laceræque conſcientiæ furiis, ut fieri demonſtravimus, exagitantur, nec divinum numen ardenter invocare, nec è tenebris & ſqualore ſe in lucem, ſplendoremque vindicare, nec quicquam præclarum, & amplum, & magnificum cogitare poſſunt. Etſi autem non nego, maritorum nonnullos reperiri, literis quidem illos tinctos, & non indoctos, ſed tamen ad rei familiaris prudenter adminiſtrandæ rationem ineptos: quis tamen non animadvertit, vitium & culpam non in ipſo vitæ genere ineſſe, ſed hærere in animis hominũ, qui aut nimia doctrinæ ſuavitate capti, & ut cochleæ in teſtas, ſic illi in bibliothecas abditi & quaſi compacti, aliarum rerum curam, cogitationemque non ſuſcipiunt, aut ita ingeniis ſunt molliculis atque delicatis, ut ſtudiorum labore non maximo ſtatim fracti & debilitati ocio ſe dedant & quieti, reliqua omnia negligant.

Verum quid mihi cum ocioſo? quid etiam cum eo, qui ſumme cum ſit eruditus, non norit tamen doctrinam tanto labore comparatam ad aliquam in civili vita utilitatem, uſumque transferre? Et quid (malum:) mihi

cum

cum aliquo Democrito? qui ſibi oculos effodi patiatur, ut ſemper dies, noctesque meditetur, ſocietati autem hominum Miſanthropi Timonis exemplo bellum indicat, ut cum ipſa natura quodammodo pugnare, & digladiari videatur. Quanto hoc inſignior, omnique laude dignior videri debet Ariſtippus? ut unum ex omnibus ob oculos vobis ſtatuam, qui cum philoſophus eſſet profeſſione, ſingularem humanitatem excellenti cum eruditione conjunxerat, ut in eo nulla morum durities, aſperitasque cerneretur. Igitur non ſolum in ſuorum civium animos convictus ſuavitate, gratiaque influebat, ſed etiam ad maximorum regum benevolentiam ſibi viam muniebat. Voluptates non abhorrebat, ſed boni conſulebat oblatas: eaſdemque forte ſibi denegatas magis contemnebat, quam ſitienter appetebat, ſemper loco, temporique obtemperans. Ad ſenſum etiam, ingeniumque ſingulorum ita ſe aggregabat, ut teſte Laërtio aliquando in convivio indutus Perſica veſte ſaltaret, (quamvis id iis temporibus plane indignum gravitate viri ſapientis haberetur:) & chorea finita cum ornatum exoticum exſuiſſet, nihil de philoſophi perſona diceret eſſe detractum. Hunc igitur doctiſſimum, eruditiſſimumque hominem, qui pleroſque ſapientes in convictu lenitate & urbanitate ſuperavit, mihi vir literatus imitetur. Non domi ſemper libro affixus ſedeat, hominum conſpectum non ſubterfugiat, perſua-

ſuaviſſimumque habeat omnem eruditam, exquiſitamque doctrinam,non ad ingenii luſum, verum ad uſum aliquem in vita communi atque civili accommodatam eſſe oportere. Deinde, cum ſe intelligat in hanc lucem eſſe divinitus excitatum,non ad ſolitudinem, quam ipſæ beluæ fugiunt, ſed ad ſocietatem colendam, nihil humani, ut inquit ille, à ſe putet alienum, & uxorem domum ducat ingenuam, & à natura liberaliter informatam, è qua Dei cultores, & cives Reipublicæ, defenſoresque procreentur.

Dixi.

# Miſcella
# OBSERVATIONVM
AD
AVSONIANA
illa præcedentia,
ET
PERVIGILIVM VENERIS,

*Rhapſodo*
PETRO SCRIVERIO.

# Obſervationes

MARIANGELI ACCVRSII,
ELIÆ VINETI,
IOSEPHI SCALIGERI,
CLAVDII SALMASII,
PETRI SCRIVERII,
& aliorum.

MARIANGELI ACCVRSII

# OBSERVATIONES AD CENTONEM AVSONIANVM, *pag. 160, & ſeqq.*

In Epiſtola, quæ CENTONI præponitur: *Rogabat qui jubere poterat, ſcilicet Imperator Valentinianus.* Particula, *ſcilicet*, in vetuſtis Codicibus, quos equidem viderim, non habetur.

Ibidem. *Cùm aliorum quoque judicio detegenda eſſet adulatio, inepta, ſi cederem; inſolentia, ſi ut æmulus eminerem.* Emendabam, *ineptia.*

Ibid. *Diffunditur autem per cæſuras omnes, quas recipit verſus Heroïcus.* Legendum plurativo numero, *Diffunduntur.* Sed in manuſcripto Codice rectius adhuc invenimus, *Diffinduntur*, id eſt, *Dividuntur.* Priſcianus in libello De XII Carm. *Dividitur in cæſuras, per cola quidem in novem, per commata verò in duas, ſemiquinariam, & ſemiſeptenariam, per pedes in quinque*, & cætera. *Verſus porro Heroici cæſuræ, quæ & ſectiones manſionesque dicuntur, quatuor ſunt: Penthemimeris, quæ & ſemiquinaria, Catatriton; Hepthemimeris, quæ & ſemiſeptenaria, Tetrapodia, quæ & Tome bucolicé.*

De pugna oſſea in eadem Centonis Præfatione verba ſunt, tam in unoquoque exem-

plari varia, quam in nullo integra & ſincera. Ea verò ſic legantur: *Sunt enim æquilatera, vel triquetra, extentis lineis, aut rectis angulis, vel obliquis: Iſoceles ipſi, vel Iſopleura vocant; Orthogonia quoque, & Scalena.* Non ſequitur autem ordine quo propoſuit. Nam *æquilatera* (quod ait) *vel triquetra*, per *Iſopleura* comprenduntur; quæ in Ternario *Æquilatum* Latine dixit: ſic, Δ. *Extentis lineis*, per *Iſoſceles*, quibus duæ tantum ſunt æquales lineæ, tanquam crura, quæ σκέλεα dicuntur: hoc ſchemate, . *Rectis angulis*, per *Orthogonia*, ubi unus tantum ex his omnibus ſit rectus angulus; in hunc modum, . *Obliquis* verò per *Scalena*; quibus tria ipſa latera ſunt inæqualia; hac figura, . Non gaverim etiam, quin potius crediderim, poſſe fieri, ut *Iſoſcele* defendatur, dummodo nomina ipſa Græce & hîc reddantur. Ut legatur, *Ἰσοσκελῆ ipſi, vel Ἰσόπλευρα vocant: Ὀρθογώνια quoque, & Σκαληνά.* Euclides: Τῶν δὲ τριπλεύρων σχημάτων, Ἰσόπλευρον μὲν τρίγωνον ἐστὶν, τὸ τὰς τρεῖς ἴσας ἔχον πλευράς. Ἰσοσκελὲς δὲ τὸ τὰς δύο μόνας ἴσας ἔχον πλευράς. Σκαληνὸν δὲ τὸ τὰς τρεῖς ἀνίσους ἔχον πλευράς. ἔτι τε τῶν τριπλεύρων σχημάτων. Ὀρθογώνιον μὲν τρίγωνον ἐστὶν, τὸ ἔχον ὀρθίαν γωνίαν. Ἀμβλυγώνιον δὲ τὸ ἔχον ἀμβλύαν γωνίαν. Ὀξυγώνιον δὲ τὸ τὰς τρεῖς ὀξείας ἔχον γωνίας. Meminit horum etiam Latinus Boethius, & Martianus Capella. Has autem ipſas quatuor triangulorum figuras, ac duas alias, Amblygonii videli-

delicet & Oxygonii (Sex enim Trigonorum genera reddit præter Euclidem vel Boethius, & ſummatim Iulius Pollux) in Ternario quoque numero aptiſſimè expreſſit Auſonius; his verſibus:

*Per trinas ſpecies trigonorum lineæ currit,*
*Æquilatus, vel crure pari, vel in omnibus impar.*

Quorum intellectus eſt, Trina linearum ſpecie triangulos ſignari omnes poſſe. Nam linea ſi ſit Æquilatus, id eſt, æqualium laterum in triangulo, ut omnes æque lineæ ducantur, fiet Iſopleuron, atque Oxygonium. Si crure pari fuerit, tam Iſoſceles quàm Orthogonium & Amblygonium deſignabitur. Tria enim (quamquam diverſa notatione) æquas duas habent lineas, quas Poëta crura vocat. Poſtremò, ſi in omnibus impar exiſtat, Scalenum complectetur.

Ibid. *quin & turris, & cantharus.* Exemplar manuſcriptum, *turturis.* Videtur enim locum Plauti recordatus, cum hæc proderet Auſonius, qui eſt in Bacchidibus:

*Vbi ego capiam pro machæra turturem, ubique*
*Imponat in manu alius mihi pro caſtu cantharũ.*

Ex ejus autem vocis inſolentia, in *turrem* commutaſſe *turturẽ* credatur quiſpiam, proportionis ſaltem immemor. Itidem in recto ſane *Turturis* uſurpes, velut *Vulturis.* quod & M. Tullius & Ennius dixerunt: licet ſit in uſu *Vultur,* atque *Turtur.*

In CENTONE ipſo (cujus multa neſcias an aptius decentiusve apud ipſum Virgilium,

unde accerſita ſunt, locata videantur) hemiſtichium eſt,

*Ornatus Argivæ Helenæ.*

*Cælicolis, & quanta ſolet Venus aurea contra.*

Quod in menſuram juſti carminis, ex manuſcripto Codice duntaxat uno, ita integrandum eſt,

*Ornatus Argivæ Helenæ. Qualisque videri*

*Cælicolis, & quanta ſolet Venus aurea contra.*

Invenio & in IMMINUTIONE (pag. 168.) verſum integrum quo loco vulneris impatiens virgo, *Ter ſeſe attollens*, & *Ter revoluta toro eſt.* Sed quod eum ſpurium omnino putaremus, ne referre quidem curæ fuit. Nam & verendũ quoque videbatur, ne noſtro quandoque exemplo, ſi minus manifeſto teſtimonio egiſſemus, quiſpiam fortaſſe alios è Virgilio (quod facile fit) redactos confingeret atque adderet.

Illud verò monuiſſe, leviuſculum fortaſſe fuerit, quod in COENA NUPTIALI ſcriptum eſt, — *per lumina læta frequentes*

*Diſcurrunt.* cum ſit ſcribendum, *limina.*

Poſtquam verò in Cubiculum ventum eſt, Carmen ante Imminutionem ſoluta oratione intercipitur, cui titulus, PARECBASIS, immutatus poſtea *Parechuaſis*, imprudenter. Eſt quippe Græca vox παρέκβασις. Quintilianus lib. IV. *Παρέκβασιν vocant Græci, Latini Egreſſum, vel Egreſſionem.* Tranſgreditur autem Auſonius ab Ingreſſu in cubiculum ad præfationem in nuptiali myſterio.

In

In Epiſtola, quæ CENTONEM ſequitur: *Quid Parthenien dictum cauſa pudoris? qui octavo Æneidos cùm deſcriberet coitum Veneris atque Vulcani, Διαχροσμδμιαν decenter immiſcuit.* Commutatione literarum haud imparilium mendæ hìc obſcuritas contracta eſt. Primi quippe Græci elementi τοῦ. A. linea, quæ medium interſecat, ſi in pedes, exſcribentium celeritate, vel ſcalpentium incuria (ut eſt in vetuſtis quoque monimentis obſervare) deciderit, quartum, quod triangulæ figuræ fuerit, efficiet, in hunc ferme modum. Δ. Et τὸ, σ, ſcribens, paullum ſi circumducenda contrahes (quæ frequens labecula) in ο μικρὸν tranſibit. Meo igitur ipſius periculo, Αἰσχροσεμνίαν emendabis. hoc eſt, pudicam turpitudinem. Compoſitione ſanè lepida erūditāque, nec ab eo remota penitus; quòd Gellius hunc quoque Vulcani Venerisque congreſſum, *pudici ſecretum connubii* nominarit: Σεμνὸν enim pudicum dicimus, αἰσχρὸν turpe. perſtricta ſcilicet voce (ut ait Plato in Cratylo) quæ fuerit αἰχόῤῥουν, quaſi ἀεὶ ἴσχον ῥοῦν, id eſt, ſemper impediens fluxum. quaſi vituperandum ſit agitationis obſtaculum. Idem ferè mendum (ſed, quia in Mathematicis, indignius minusque ferendum.) apud Proclum offendimus. Ubi, quantum intelligi datur, Λ ſcriptum legitur, pro Δ. De coluris namque circulis hæc ait: Γράφονται δὲ οὗτοι οἱ κύκλοι διὰ τῶν τροπικῶν σημείων. οἱ εἰς μέρη. Λ. ἴσα διαιροῦσι τὸν διὰ μέσων τῶν ζωδίων κύκλον. Quippe

conſtat eos ipſos circulum, qui per media Signiferi ducitur, in partes quatuor dividere; abſurdumque eſſe, abhorrereque à Sphæræ ratione, cùm triginta partes A notâ denotentur.

ELIÆ

# ELIÆ VINETI,

*Inſertis aliorum Notis.*
*pag.* 160.

AUSONIUS PAULO S.] Ad hunc Paulum fuit miſſum Edyllium BISSULA.

*Perlege hoc etiam, ſi operæ eſt.*] Quum dixit Ennius apud Perſium,

*Lunaï portum eſt operæ cognoſcere cives,*

*operæ eſt*, Operæ pretium expoſuit vetus Commentator.

*Si per Sigillaria in auctione vêniret*] *Sigillaria* à ſigillis hoc eſt parvis ſignis dicta feſta memorat idem Auſonius in Edyllio de Feriis Romanis. *Sigillaria* etiã locus fuit Romæ. Gellius lib. V. cap. IV. *Apud Sigillaria forte in libraria ego & Iulius Paulus poeta, vir memoria noſtra doctiſſimus, conſederamus.* (Idem lib. II. cap. III.)

*Neque Afranius nauci daret;*] Afranius poëta comicus. *Nauci*, putamen nucis & rem nihili ſignificat, ut docet Eraſmus in Adagiis, ex Feſto Pompeio: unde quidam in Comœdia Afranii *Nauci* proprio nomine dictus, qui nihili eſſet.

*Nec Stichum ſuum Plautus offerret.*] Ex hoc ſervi nomine *Stichus* eſt inſcripta, quæ extat, Marci Plauti fabula.

[Sed Auſonii hic locus non rectè habere videtur: cur enim tam vilis Plauti Stichus, ut cum Afraniano Nauci comparetur? Vide, ne conjectura, quæ mihi legenti ſub manu, quod ajunt, nata eſt, vera ſit: *nec cicum ſuum Plautus*. Et verò adluſit Auſonius Plauti locum Rudente:

*Eluas tu an exungare, cicum non interduim.*

*Cicum*, leve quiddam, ut *Hilum*. Laudat ex Gloſſis ſuis Scaliger, *Cicum* ῥοᾶς ὑμήν. In Gloſſario H. Stephani reperio, *Cicum* γρύκοκκος, vitioſe pro γρῦ, κόκκος. Quod Græci, οὐδὲ γρῦ; Latini, *nec cicum:* & κόκκος eadem notione apud Græcos. Timon ſyllographus:

*Πτωχὸς μὲν φρένας εἰμὶ, νόος δέ μοι οὐκ ἐνὶ κόκκος.*

*Exſenſũ mihi pectus, & haud hilũ mihi mentis.*

Hæc Juſtus Lipſius Epiſtolicarum Quæſtionum lib.1. Epiſt.11. Quam ejus emendationem in contextum recepi: neque alio ſole opus eſt.] Pag. 161.

*Modò inter liturarios meos cùm reperiſſem;*] Eadem ſignificatione *liturarii*, in Epiſtolæ nonæ Auſonii titulo: *Hoc inchoatum, neque impletum, ſic de litoerariis ſcriptum.* quod vocabulum, neſcio, quam ſit antiquum; ſed eas chartas ſignificat, in quibus primum ſcribimus, quidquid ſit orationis quod componimus, à multis lituris, quibus eâ in re uti ſolemus; quemadmodum in extremo carmine ad Theodoſium idem meminit Auſonius:

*Ne ferat indignum vatem, centumque lituras,*

*Mu-*

*Mutandas ſemper deteriore nota.*

Ibidem. *aut Thyonianum mireris, aut Virbium.*]Hippolytum ab inferis & morte ad vitam redintegratum, *Virbium* fuiſſe appellatum, dixit in Præfatione in Griphum. Quod ad Dionyſium ſive Bacchũ attinet (de cujus nominibus Epigramma XXVIII & XXIX.) hic etiam *Thyoneus*, id eſt Θυωνεὺς, cognominatur Horatio, Ovidio (IV *Metamorphoſ.*) & aliis Latinis æque atque Græcis poëtis: ſed quòd idem etiam *Thyonianus* pro *Thyoneo* ſit nuncupatus, hoc verò nomen apud ſolum Auſonium legere memini, & Catullũ in epigrammate ad ſuum puerum, ſiquidem ibi recte *Thyonianus* legit Lilius Gregorius VIII *Syntagmate de Diis*:

*Migrate: hic merus eſt Thyonianus,*

ubi meus liber habet, *Thyonieus.* Sed nec Phornutus, qui Dionyſium à Gigantibus diſcerptum, & ab Rhea reſtitutum fuiſſe meminit, novum nomen in alterâ vitâ accepiſſe refert.

[ Apud Catullum veteres Interpretes Palladius Fuſcus, Antonius Palladius, & alii retinent *Thyonianum*, & accipiunt meri vini liquorem Bacchicum. Mureto eſt *Thyonianus* nomen Liberi patris, à Thyone matre ipſius, quæ & Semele dicitur. Bacchus fertur, Jove patre concedente, matrẽ Semelem ab inferis eduxiſſe, & immortalitate donatam; *Thyonem* à ſacris, quæ illi attribuit, denominaſſe. nam Θύω, ſacra facio dicitur. inde ipſe

Li-

Liber ex materno nomine *Thyoneus* appellatus eſt, ut ſcribit Diodorus.]

Ibid. *Nam duos junctim locare, ineptum eſt:*] Quod tamen aliquot locis feciſſe videris, mi Auſoni. ut in Cena nuptiali:

*Nec non Threicius longâ cum veſte ſacerdos*
*Obloquitur numeris ſeptem diſcrimina vocum.*

Et in Epithalamio:

*Omnes ut tecum meritis pro talibus annos*
*Exigat, & pulchrâ faciat te prole parentem.*

Et in Ingreſſu in cubiculum:

*Succidimus. non lingua valet. non corpore notæ*
*Sufficiunt vires, nec vox aut verba ſequuntur.*

Ibid. *Diffunditur autem per caſuras.*] Legitur & *diffinditur.*

[ Cum in MS. Mariangelus Accurſius teſtetur legi, *diffinduntur*; omnino rectius cum eodem opinor, *dividuntur.* ]

Ibid. *Simile ut dicas ludicro, quod Græci oſtomachion vocavere.*] Hunc locum Jodocus Badius cùm ſic edidiſſet, exiſtimavit Humelbergius mendum eſſe in verbo Græco: & ὀστομαχίαν, non ὀστομάχιον legendum: ſed vellem, emendationis ſuæ rationē pluribus reddidiſſet, ſi quid fortè noviſſet de iſto ludicro mihi planè incognito: & ſimul, quod ſequitur,

*Oſſicula ea ſunt ad ſummam quatuordecim figuras geometricas habent,*

ſic à typographo nulla diſtinctione excuſum, docuiſſet, qui diſtinguendum foret: an quomodo poſtea Morellius à nobis emendatum

emi-

emiſit, *Oſſicula ea ſunt. ad ſummã.* &c. an aliter. Vbi & Gryphius Lugdunenſis *ſane* ſcripſit, pro *ſunt:* ut unica videretur oratio, nullâ indigens diſtinctione hujuſmodi. Jam *Oſſiculum*, diminutivum eſt ab *oſſe*, apud Plinium, & alios: oſſiumque pugnam ſignificare videtur ὀστομαχία, ut hæc vocabula inter ſe conſentire, & huic loco pulchrè convenire videantur. Sed Brodæum Turonenſem, qui ſic ſenſerat lib. IV. Miſcellaneorum, reprehendit Joſephus Scaliger: & pro ὀστομάχιον, στομάχιον (*ſtomachion* certe habebat Tilianum exemplar) ac pro *oſſicula*, *oſcilla* legendum cenſet: quod in vetere Gloſſario legerit, *oſcillum*, στομάχιον eſſe. *Oſcillaque* iſta accipit perſonas illas & larvas veterum. De quibus quærit Lilius Gregorius de Diis, ex Virgilio, Servio, Feſto, Macrobio, Hygino, & aliis.

[ Audiamus ipſum Brodæum, Miſcellan. IV, cap. VII: Fuit apud Græcos, inquit, præter cætera ludicrum ὀστομάχιον. quod quid ſit, declarat in Epiſtola Centoni ſuo præfixa Auſonius. Hoc, ut opinor, Latini *oſſiclis* aut *oſſiculis ludere* nominant. Suetonius in Auguſto cap. LXXXIII. *Animi laxandi cauſa, modò piſcabatur hamo, modò talis, aut oſſiculis* (ſic enim lego) *nucibusque ludebat cum pueris minutis.* Quidam *occellatis*, nonnulli *xyſto* ſcribunt: nec quæ *nuces occellata* dici queant, ariolari quidem adhuc poſſunt. Quid verò minutis pueris cum *xyſto?* Hæc ille. ]

In

[ In Suetonii iſto loco vir ſummus Iſaacus Caſaubonus legendum monet *ocellatis*, ut habent omnes meliores libri, non *oſcillatis.* quam lectionem qui defendunt, ſuam rerum antiquarum οὐκ ἐμπειρίαν ſatis produnt. Nam prorſus ratione omni caret illa lectio, neque defendi prudenter poteſt. Fruſtra etiam doctiſſimus Brodæus fuit, cùm *oſſiculis* legi voluit: neque enim ulla apud Veteres ὀστομαχία, ut ipſe putavit, inductus loco Auſonii corrupto. *Ocellata* ſunt & hìc & apud Varronem, globuli vel lapidei, vel eburnei, vel ex alia quâ materiâ, quibus olim puellæ ludebant, ut nunc quoque fit. Quæ pluribus illic vir accuratiſſimus perſequitur. Quæ ego, cùm non ſemel erret, in medium relinquo: & ad Auſonium redeo. Cujus Præfationem, Centoni ſuo præfixam, expreſſimus ex Editione Scaligeri: præterquam quod *ciccum*, pro *Stichum*, ex emendatione Lipſii admiſerimus: ſecuti in cæteris editiones ab illuſtri heroe recognitas. Cujus & hoc Caput XXVI eſt Auſonianarum Lectionum lib. II. ]

[ *Locus ex Præfatione Centonis correctus, & illuſtratus.* στομάτιον. *oſcilla. Indicatus mos veterum in conviviis. cranium mortui in ſympoſiis. (Somnium Ill. V.)*

In Epiſtola, quam Centoni præfigit, meminit ludicri, ex quo multæ figuræ exprimi poſſunt. Sed multis mendis (*nullis certe*) deformata ſunt ver-

verba Auſonii in re tam ſcitu digniſſima. adeo, ut mendoſa editio bono viro & erudito Brodæo impoſuerit : quem & alii quoque ſequuti ſunt. Non enim ullus luſus eſt oſſiculorum, ut ipſe putat. neque unquam tale quid Veteres habuerunt. Hoc enim à mente Auſonii alieniſſimum. Neque animadvertit, quid intereſſet inter *luſum* & *ludicrum* : hoc eſt inter παιδιὰν καὶ παίγνιον. Sed fefellit hominem, ut dixi, lectio mendoſa, ὀστομαχίαν, pro στομάχιον : & *oſſicula* pro *oſcilla* legentem. Ac ne hæc quidem tantummodo mendoſa, ſed & ſequentia malè ab interpunctionibus accepta ſunt. Quæ prius ita, uti legenda ſunt, proponam : deinde ad eorum interpretationem aggrediar. Nam ita & emendandum, & interpungendum : *Simile ut dicas ludicre, quod Græci* στομάχιον *vocavere. Oſcilla ea ſunt. Ad ſummam quatuordecim figuras Geometricas habent. Sunt enim æquilatera : vel triquetra : extentis lineis : aut rectis angulis : vel obliquis : iſoſcele : vel iſopleura : orthogonia quoque : vel ſcalena. Harum vertibularum variis coagmentis ſimulantur ſpecies mille formarum. Elefantus bellua : aut aper beſtia : anſer volans : & mirmillo in armis ſubſidens : venator : & latrans canis : quin & turris : & cantharus : & alia huiuſmodi innumerabilium figurarum, quæ alius alio ſcientius variegant.* Hæc verba ita proculdubio legenda ſunt, & diſtinguenda. Nam quin rectè στομάχιον, & *oſcilla* emendaverimus; præter conjecturam certiſſimam, qua uſi ſumus,

mus, fidem fecerit vetus Gloſſarius, in quo ſcriptum legitur: *Oſcillum*, στομάλιον. ſunt enim larvæ, & προσωπεῖα, ut ex Macrobio cognoſcimus, quæ in αἰώραις, & jactationibus ludicris Ruſtici ori opponebant, ut eſſent magis ridiculi. Virgilius:

*Oraque corticibus ſumunt horrenda cavatis.*

Intelligit enim Oſcilla ex corticibus arborum, quem morem Athenienſium tangit & Maurus Terentianus. à quo jactationes ipſas, & cernuationes, quas Græci vocant αἰώρας, etiam Oſcilla appellarunt. Idem:

*Oſcilla ex altâ ſuſpendunt mollia quercu.*

Hîc autem apud Auſonium noſtrum & ipſæ larvæ ſunt, ſeu perſonæ, quæ ſic aptæ & & coagmentatæ erant, ut articuli ejus, vertibulæque, quibus commiſſæ erant, in omnem partem flecterentur, & figuras omne genus exprimerent. Eæ in convivium medium jaciebantur, & ex illis eas figuras Rex convivii exprimebat, ut mutationis & brevitatis vitæ commonefaceret: & propterea bibendum eſſe, ut nihil de fructu hujus vitæ pereat, diceret. Id omnino plane ac diſerte ex Petronio cognoſces: *Potantibus ergo, & accuratiſſime lautitias nobis mirantibus, larvam argenteam attulit ſervus, ſic aptam, ut articuli ejus, vertebræque locatæ in omnem partem flecterentur. Hanc cùm ſuper menſam ſemel; iterumque abieciſſet: & catenatio mobilis aliquot figuras exprimeret; Trimalcio adjecit:*

*Heu, heu, nos miſeros! quam totus homuncio nil eſt!*

Sic

*Sic erimus cuncti, poſtquā nos auferet Orcus.*
*Ergo vivamus, dum licet eſſe bene.*

* * *.

Ex quibus primùm mentem Auſonii ita aperimus, ut nihil potuerit melius excogitari: & ſomnium Brodæi de oſtomachia & oſſiculis explodimus. Deinde indicatur uſus earum larvarum. quod iis in conviviis præſentes celeris mutationis vitæ commonefacerent. Nam alioqui ſemper in conviviis mortis mentionem injiciebant, & caput mortui, ubi ejus larvæ copia non erat, vel in menſa apponebant, & manibus verſabant, vel è triclinio ſeu ſtibadio ſuſpendebant: ut eo uterentur ad eandem rem, ad quam & larva illa. hoc eſt, ad hortandum ad bibendū. Quod novimus ex Epigrammate Græco: in quo non ſolùm caput mortui, ſed cranium idem facit, quod apud Petronium larva; ſed ea exhortatio pro cumulo adjicitur, quam addidit Trimalcio in Epigrammate ſuo. Epigramma Græcum hoc eſt [ *Anthologiæ lib.* 11. ]

Ἡ πλακχῶν χαρίεσσα πανόπολις, ἀργιλάγυνος
αὕτη, καὶ δροσερῶν ἐκ πετάλων στέφανος·
καὶ τοῦτο φθιμένοιο περάσιον ἱερὸν ὀστοῦν
ἐγκεφάλου, ψυχῆς φρούριον ἀκρότατον.
πῖνε λέγει τὸ γλύμμα, καὶ ἔσθιε, καὶ περίκεισο
ἄνθεα, τοιοῦτοι γινόμεθ' ἐξαπίνης.

Quæ omnia ad verbum interpretantur Petronium ipſum. Quin & ipſa verba quæ γλύμματος nomine hic intelliguntur, aliter concepta videntur in triclinio marmoreo Late-

ranenſi, uno verſiculo ſenario:

Ἡδὺς βίος. τὸ ζῆν ταχύ. τὸ θανεῖν. ὑποψία.

Quo ſignificatur vivendum eſſe: nam vitam properare, mortem imminere. Propterea tanquam jam morituri bibebant, & tanquam nunquam id facturi. Plautus Sticho:

*Volo nos pro ſummo bibere, nulli relerimus poſtea.*

Ita enim legendum: non, *Nolo*. Horum συμποτικῶν ἐπιφωνημάτων pleni ſunt libri veterum; præſertim Martialis, & Græcorum. Neque dubium eſt, quin in Cænatione ſeu ſtibadio Domitiani Cæſaris, quod propter exiguitatem ipſe vocavit *Micam auream*, è tholo penderet cranium mortui, quod mortis admoneret. Id Martialis videtur velle hoc in Micam auream Epigrammate:

MICA *vocor. quid ſim, cernis. Cænatio parva.*
*Ex me Cæſareum ſuſpicis, ecce, tholum.*
*Frāge toros. pete vina. roſas cape. tingere nardo.*
*Ipſe jubet mortis te meminiſſe Deus.*

Videtur enim in tholo ipſo larva illa, aut cranium fuiſſe.]

Hactenus Scaliger: a quo diſſentit atque abit quam longiſſime clariſſimus Salmaſius; qui ſuperioribus diebus, cùm de hoc ludicro ageremus, ſententiam ſuam ita ad me poſtridie deferendam curavit.

[De Ludicro ὀστομαχίων, quæ oſſicula ſunt, noli dubitare quin vere divinarim. Legendum apud Auſonium: *Simile ut dicas ludicro quod Græci ὀστομαχίων vocavere. Oſſicla ea*

*ſunt*

*ſunt* : perperam hodie *oſcilla* ibi legas, & στομάτιον. Nec moror Gloſſas, quæ στομάλιον etiam ſcribunt, nempe pro ὀστωμάτιον. Sic σχίεια κόμματα vocant quæ ſunt ἰσχίεια. Et *Schiadicos* puto reperiri apud Marcianū Capellam pro *Iſchiadicis*. Inde *Schiaticam* vocamus hodie hunc morbum ſive dolorem, pro ἰσχιαδικῇ. ὀστῶσαι eſt oſſiculare. inde ὀστώματα & ὀστωμάτια. Hæc in ſcheda Cl. Salmaſius. ]

[ Magnus Felix Ennodius, Epiſcopus Ticinenſis, in Epigrammatis, DE STOMATIO EBVRNEO.

*Sollicitata levi marceſcunt corda virorum*
*Tormento. fas eſt ludere virginibus.*
*Frangĩt Marmaricis elephas quod miſit ab arvis,*
*Per micas ſparſum mox ſolidatur opus.*
*De Pœno teneræ diſcunt cum fraude iocari.*
* *Nam ridere necis munere, fœmineum eſt.*
*Anguſtâ norunt res mille includere capſâ.*
*Omne ebur hoc, mulier, pectoris arca tui eſt.*

Quo epigrammate hoc Ludicri genus graphicè, & plenius quam ab Auſonio, deſcribitur. Primum oſtendit oſſicula hæc eburnea fuiſſe, quæ fruſtillatim ſparſa, in unum coagmentarentur, mille formas & ſimulachra, quod & Auſonius monet, variegatâ concinnatione repræſentantia. Deinde videtur Antiſtes Ticinenſis, non ſine aliquo morſu & ſale in ſequiorem ſexum, innuere hoc Ludicrum Pœnis deberi, atque ex Africa in Europam tranſlatum. Si quidem me, vulgatas edi-

 tio-

tiones caſtigantem, audias: in quibus legitur, *De pœna tenera*, & mendoſius, *De pœna temere*. Quod ſi emendandum ita, ut dixi, non ſit: tentabunt alii melius, & exponent quid hic & ſequenti pentametro, ſive auctor, ſive librarii velint, quod equidem cum ignariſſimis ſcio. Quis autem ignorat, *Punicam fidem* proverbiis nobilitatam? quæ *Pœna fides* Auſonio, Epiſt. XII. De fluxâ mulierum fide, nihil attinet dicere. Porro, apparet ex hoc loco, oſſicula hæc capſulâ recondi ſolita, ad res mille, ut ait Ennodius, indidem promenda, cum animi relaxandi cauſa puellæ hac arte vellent ludere. Doctiſſimus Sirmondus in Notis ſuis ad illum auctorem, interpretatur *Stomatio eburno*, Oſcillo. & Gloſſarii locum adhibet: putatque eodem ſpectare larvam argenteam Petronii Arbitri, cuius catenatio mobilis diverſas figuras exprimebat. Qui cùm hunc errorem cum Scaligero, quem ſequitur, communem habeat, refutatione aliâ non indiget.

Hæc ſcripſeram, cum iteratò de hoc ludicro cum eodem amico noſtro loquutus, accepi ab illo locum Atilii Fortunatiani, qui De Metris ſcripſit, & locum quidem emendatiorem quàm in editionibus; cap. de Hendecaſyllabo Phalæcio: *Nam ſi loculus ille Archimedius quatuordecim eboreas lamellas* (ecce, totidem agnoſcit Auſonius) *quarum anguli varii ſunt, in quadrata forma incluſas habet, componentibus nobis aliter atque aliter, modo galeam, modo ſicam, aliàs columnam, aliàs navem*

*vem figurat, & innumerabiles efficit ſpecies: ſolebatque nobis pueris hic loculus ad confirmandam memoriam plurimum prodeſſe; quanto maiorem poteſt nobis afferre voluptatem, quantoque pleniorem utilitatem carmina inter manus habentibus Metrorum varia tractatio, cùm ſubinde apud Poetas ea quæ fallunt imperitos metra inſerta numeris & intermixta carminibus deprehendemus?* Diſtorta vulgo hæc verba, & interpunctione laborant, etiam in Putſchiana editione: *quando* & *quandoque* perperā legitur, pro *quanto* & *quantoque*. Iam *quadrata* illa *forma*, in qua incluſæ lamellæ angulis variis, ipſe loculus eſt. *capſam* vocat Ennodius. Qui impoſterum hic dubitat, idē neque meridie lucere putet.]

## Ead. pag. 161.

*Sunt enim æquilatera, vel triquetra extentis lineis, aut rectis angulis vel obliquis.* ἰσοσκελῆ *ipſi vel* ἰσόπλευρα *vocant,* ὀρθογώνια *quoque &* σκαληνά.] Sic habet locus hic in cunctis noſtris codicibus: itaque plena videtur oratio, ut nec deeſſe quicquam, nec redundare videatur. Ceterum hæc mihi non minus ſunt obſcura, quam illa alia, quæ ſuo Gripho Ternarii inſeruit Auſonius, Geometrica. Ibi appellavit Triangulum *Æquilatus:* verſ. 50.

*Per trinas ſpecies trigonorum linea currit,*
*Æquilatus, vel crure pari, vel in omnibus impar.*

Id quod Græci dicunt ἰσόπλευρον, cujus omnia latera ſunt inter ſe æqualia: hic *Æquilatus* dicit, quod latera tantum duo habet æqualia: & ἰσοσκελὲς Græci vocant. Quæ namque

que ſubjicit Græca, *ἰσοσκελῆ ipſi vel ἰσόπλευρα &c.* an non iis expoſita voluit, quæ præmiſerat Latina? Ita Triquetrum ἰσόπλευρον accipit. Sed quis noſtrûm eam Triquetri ſignificationem unquam eſſe credidit? Quod ad me attinet, Triquetrum, Triangulum, Τρίγωνον idem valere, ſemper autumavi: & Siciliam Britanniamque eſſe *triquetras* dictas *à triangula ſpecie*, ut inquit Plinius tertio Naturalis hiſtoriæ cap. VIII. non quòd earum latera forent inter ſe æqualia. ut certè non ſunt. Illud *extentis lineis*, pro rectis lineis accipio. Euclides enim quæ in primo Elemento definit triangula, hæc εὐθύγραμμα vocat, hoc eſt, rectilinea, ut noſtri homines jam pridẽ dicere cœperunt: ſed quæ in Sphæra fiunt triangula, ut quum inter ſe ſecantes coluros Æquinoctialis circulus medios ſecat, hæc rectilinea non ſunt: Et quod ſequitur, *aut rectis angulis*, hoc interpretatio verbi Græci ὀρθογώνιον, quod rectangulum vulgò dicimus. Sed quod ſubjungitur, *vel oliquis*, id quî conveniat cum ſcalenis? Angulorum alii recti appellantur, alii non recti, ſive, ut hîc dicuntur, obliqui. Recti anguli, quos & *Normales* nuncupavit Quinctilianus in extremo libro XI, ſunt, quos præſtat, qui Græcis γνώμων, Latinis Norma vocatur. Obliqui verò, qui rectis illis vel majores ſunt, vel minores: quos obtuſos & acutos nominant. Σκαληνὸν autem triangulum definitur Euclidi, quod tria habet æqualia latera; non, quod rectos habeat

beat vel obliquos angulos: recipitque triangulum ſcalenum cuncta genera angulorum. Et triangulum illud Pythagoricum Vitruvio deſcriptum lib. IX. ſcalenum eſt, & tamen idem etiam orthogonium, & rectangulum triangulum.

*Harum verticularum* ] *Verticulas* quum dixit Lucilius vetus poëta, articulos intelligi voluit Feſtus, quidquid hoc loco ſint.

*Mirmillo* ] Technopægnii verſ. 102.

*Quis Mirmilloni contēditur æquimanus? Thrax.*

Gladiatorum unus Mirmillo, alter Thrax appellatur: alioque hic nomine Retiarius, Mirmillo verò Secutor. Feſtus, Suetonius, Dio in Commodo.

*Et turris.* ] Etiam *turturis* pro *turris* ſcriptum invenit Mariangelus: & poſſunt antiqui *turturis* pro *turtur* dixiſſe, quemadmodum *vulturis* pro *vultur* eſt in verſu Ennii apud Priſcianum lib. VI.

*Vulturis in ſilvis miſerum mandebat homonem.*

*Et cantharus.* ] Quid hìc *cantharus* ſive κάνθαρος, vas, an piſcis, an ſcarabæus inſecti genus?

*Variegant.* ] Hoc verbum pro *variare & variè exornare*, neſcio quam vetus ſit: quo utuntur primi Bibliorum interpretes.

Pag. 163.

*Accipite hæc animis.* ] Ad Valentinianum & Valentem fratres, Cæſares.

*Tuque prior.* ] O Valentiniane.

*Tuque, puerque tuus mea maxima cura.* ]

Gratianus, ſilius tuus: quem mihi in diſciplinam tradidiſti.

*Nomine avum referens.*] Avus Gratiani Auguſti, Gratianus.

*Non injuſſa cano.*] Iuſſerat Imperator Valentinianus: quod ſupra dixit in Epiſtolâ ad *Paulum*.

[ Qui *Paulinus* Achilli Statio ad Catullum, & Lilio Gyraldo III Hiſtoriæ Poetarum. ]

Pag. 165.

*Munera portantes, aurique eborisque talenta.*] *Eborisque aurique talenta*, verſ. 333. Æneid. XI.

Pag. 166.

*Ille ubi complexu molli fovet; atque repente.*] *Ille repente*, verſ. 388. Æneid. VIII.

Ibid. *mea ſola & ſera voluptas.*] *mea ſera & ſola voluptas*, etiam legitur verſ. 581. Æneid. VIII.

Ibid. *Proveniunt.*] *Eveniunt*, verſ. 778. Æneid. II. ſed *Proveniunt* alibi; ut verſ. 428. Æneid. XII.

Ibid. *Hanc tu, oro.*] *At tu, oro*, verſ. 290. Æneid. IX.

Pag. 167.

PARECBASIS.] Παρέκβασις, *egreſſus*, vel *egreſſio* Quinctiliano lib. IV. Παρέκβασίς *eſt*, inquit, *alienæ rei, ſed ad utilitatem cauſa pertinentis, extra ordinem excurrens tractatio*, Quid *Feſcenini*, infra dicetur.

Ibid. IMMINUTIO.] *Imminuere* eſt deminuere,

nuere, ſive diminuere. *Imminutio*, deminutio, ſeu diminutio. *Imminuere* autem *pudicitiam* in primo Plautinæ Ciſtellariæ actu:

*— Sed tu, an unquam cum quiquam viro*
*Conſueviſti?* SIL. *Niſi quidē cum Alceſimarcho, nemine;*
*Neque pudicitiam meam mihi alius imminuit quiſquam.*

Pro *auferre* dictum videtur. Unde Hadrianus Turnebus ſcripſit Adverſariorum III. cap. XIX. Auſonium hîc *Imminutionem* uſurpaſſe, pro primo congreſſu cum uxore, quòd tum virginitas imminuatur.

Ibid. *tenuis quo ſemita ducit.*] Legitur & *qua*, verſ. 524. Æneid. XI.

Pag. 168.

— *Feſſique ſub ipſam Finem* ] *ſub ipſum* quoque genere maſculino, verſ. 327. Æneid. V.

Ibid. *Qui Curios ſimulant.*] Manii Curii vitam integerrimam omnes commendant Romanæ litteræ.

Ibid. *Bacchanalia vivunt.*] Bacchi feſta & ſacra, temulenta & ſpurca.

Ibid. *ne forte mores.*] Omnia noſtra exemplaria, *ne fortaſſe*. Sed iſtud *fortaſſe*, pro *forte* ſcripſiſſe poteſt imperitus & negligens librarius. Ego enim ſicut *Si forte*, tam frequenter apud bonos auctores invenio. Veluti apud Virgilium in tertio Bucolico, — *ne forte recuſes:* & Ciceronem in ſecunda ad Quinctum fratrem epiſtola: *Ne forte me in Græcos tam ambitioſum factum eſſe mirere.* Ut ubicumque *Si*

*fortaſſe,* & *Ne fortaſſe* in illis reperio, mendum eſſe ſuſpicer.

Ibid. *ut Plinius dicit.*] Quem Plinio attribuit Auſonius verſiculum, hunc Valerii Martialis invenies lib.I. epigr. v. ſive memoria lapſus ſit Auſonius, quod hìc non puto; ſive ab amico fuerat Martialis mutūatus. Sed vide cap. XVII. lib. XIII. Noctium Atticarum A. Gellii. Cajus autem Plinius, cujus extant Epiſtolarum libri novem, & Panegyricus Trajano Auguſto dictus, Carmina etiam edidiſſe ſe multis locis commeminit: ut epiſt. IV. lib. VII. quæ poſt Auſonium intercidiſſe poſſunt. Horum petulantiam laſciviamque excuſat lib. IV. epiſt. XIV. & lib. V. epiſt. III. Sicut & ſuorũ Catullus in hendecaſyllabo in Aureliũ & Furium: ac ſuorũ Ovidius II. Triſt. eleg. I.

*Crede mihi, diſtant mores à carmine noſtro.*
*Vita verecunda eſt, Muſa jocoſa mea.*

Ibid. *prurire opuſculum Sulpitii.*] Laſcivum & libidinoſum eſſe. Sulpicios duos celebrat poetas Lilius Gregorius in libris de Poëtis: quorum carmina ad nos non pervenerunt. In Gratiarum actione pro Conſulatu memoravit Auſonius alium Sulpicium.

[Nos *Sulpicia* excudi juſſimus. ut poëtriam innuat, cujus Martialis meminit: cujusque Satyra extat, & apud Juvenalis interpretem, obſcæni, ut videtur, operis fragmentum:

*Ne me Cadurcis deſtitutam faſciis*
*Nudam Caleno concubantem proferat.*]

Ibid.

Ibid. *eſſe Appulejum.*] Hic eſt L. Appulejus Madaurenſis, philoſophus Platonicus. cujus extat *Aſinus aureus*, & alia pauca ex multis, quæ ſcripſerat. Interciderunt inter alia, iſta ejus Amatoria. quorum ipſe meminit in Apologia.

Ibid. *Platonis Sympoſion* ] Unus ex Platonis Dialogis, Συμπόσιον, vel *De amore.* Auſonius, Epigr.cxxxɪv. convertit Græca Platonis, quæ apud Diogenem Laertium in vita Platonis, & Appulejum in Apologia, & Anthologiæ lib. ɪɪɪ.

*Ἀστὴρ, πρὶν μὲν ἔλαμπες ἐνὶ ζωοῖσιν ἑῷος.*
*Νῦν δὲ θανὼν λάμπεις ἕσπερος ἐν φθιμένοις.*

Id eſt :

*Stella prius quidem lucebas inter vivos Lucifer.*
*Nunc verò mortuus luces Veſperus inter mortuos.*

[ Ἀστὴρ, Stella. ( hoc fuit nomen puero, quem amavit inſignis ille vir ) & in Stellam ſic Auſonius:

*Stella, prius ſuperis fulgebas Lucifer: at nunc*
*Extinctus, caſſis lumine Veſper eris.*

Platonis nulla carmina extant, niſi *amoris elegia.* nam cetera omnia ( credo, quòd tam lepida non erant, ) igni deuſſit: Appulejus Apologiæ ferè initio. ubi & hunc puerum Aſtera vocat; aliaque epigrammata amatoria Platonis recenſet. quæ vide. ]

Ibid. *Compoſita in ephebos epyllia* ] *Ephebus*, ἔφηβος, *Ephebia*, prima pars adoleſcentiæ & extrema pueritiæ, ait Donatus in Andriam.

*Epyl-*

*Epyllia*] Aliter, *Edyllia*. Præfatione in Gryphum: *Primùm, ejuſmodi Epyllia, niſi vel obſcura ſint, nihil profutra*. Ita ibi libri membranei. Vulgo, *edyllia*. Quid *Edyllium*, diximus in primum Auſonii edyllium. Ἐπύλλιον diminutivum & ipſum, ab ἔπος, quod verſum & carmen ſignificat.

Ibid. *Nam quid Anniani Feſcenninos*] *Feſcennini verſus*, inquit Feſtus, *qui canebantur in nuptiis*. Nominati & ſupra fuerunt in Parecbaſi *Feſcennini*. Interciderunt autem iſti Feſcennini Anniani. qui poëta fuit æqualis A. Gellii, ut cognoſces ex lib. IX, & XX Noctium Atticarum.

[De eo, quem & prænomine *Titi* inſignit, ſic Gyraldus in Hiſtoria Poetarum, Dialog. IV. *Ab Auſonio Gallo facta eſt mentio Anniani. fuit verò poëta comis & perurbanus, A. Gellio amicus. de quo & ſic lib. XX Noctium Atticarum:* Annianus, *inquit*, poëta in fundo ſuo, quem in agro Phaliſco poſſidebat, agitare erat ſolitus vindemiam hilarè atque amœniter. ad eos dies me & quoſdam familiares vocat. *Hæc ille. Citatur & à Grammaticis.*]

[*Feſcenini verſus*, unicâ *n* ſcribit Feſtus, *ex urbe Feſcenina.* (alias *Feſcenia*,) *allati: ſive ideo dicti, quia Faſcinum putabantur arcere*. Ubi Lipſius feſtive, *acuere*. Vide infra, pag. 172.]

Pag. 169.

*Quid antiquiſſimi poëtæ Lævii* (ita ſcripſi, fide codicis Tiliani) Ἐρωτοπαιγνίων *libros loquar?*]

*Ero-*

*Erotopægnia, poemata amoris ludicra:* ut etiã definit Lilius Gregorius De Poëtis. Sunt tamen qui hìc Κροτοπαιγνίων malint legere, ἀπὸ τοῦ κρότου, id eſt, à plauſu: ſed puto melius, quia Ἔρως amor, & παίγνιον, luſus & oblectamentum: hinc *Erotopægnion*, ut *Technopægnii*, nomen. De quo vide ad Griphum. *Pro Livii* verò, quum *Lennii* & *Lemnii* eſſet ſcriptum, cenſuerunt eſſe legendum *Lælii*, Maria Catanæus in Epiſt. XVII. lib. V. Plinii, & Jacobus Conſtantius Fanenſis cap. LIX. Collectaneorum: atque ad ſuæ ſententiæ confirmationem A. Gellium, & L. Appuſejum adduxerunt. quod apud illum lib. II. cap. XXIV. poëtæ *Lælii* Erotopægnia citentur: apud Appuleium verò in Apologia, ſine Erotopægnion mentione, ſolo *Lælii* poetæ nomine, Jambici dimetri verſus ſex inveniantur. Verùm illi ſi hîc *Livii* inveniſſent, pro *Lennii*, quomodo habuit Aſcenſiana editio, & quædam aliæ, non facile quicquam, puto, mutandum cenſuiſſent: præſertim quum Priſcianus alicubi *Livii* Erotopægnia citet, vt eorum librum quinctum ſextumve lib. x. de præteritis verborum in *To.* Atque ego, ſi de hoc quid ſentiam, pronunciem, primum illis & Lilio Gregorio hoc negavero, *Lælium* poetam unquam fuiſſe ullum, niſi aliunde firmioribus contradicant argumentis. Deinde ſi non placuerit *Livii* pro *Lælii*, aut *Lennii*, in hoc Auſonii loco, *Levii* legam, quomodo habebat Tilii liber. quod idem ſit cum illo *Livii*, hoc argumento: quod quum

quum in Priſciano non *Livii*, ſed *Levii* invenerim ſcriptum, etiam lib.xi. ubi *meminens* à *memini* participio uſum fuiſſe poëtam illum tradit lib.iv. Erotopægniôn, ſciamque auctore Quinctiliano lib.i. veteres Romanos *e* pro *i* ſonaſſe & dixiſſe *Menervam*, *lebrum*, *mageſtrum*: Ita ſuſpicari licet ex *Levii*, quod in hac Auſonii epiſtola ſcriptum fuerat, illud *Lennii* factum eſſe ab imperitis ſcribis. *Levium* autem hunc *Liviumve*, accipiendum *Livium Andronicum*: quem meritò *poetam antiquiſſimum* appellet Auſonius; quum ante natum Ennium fabulam Romæ docuerit omnium primus, ut Cicero, Gellius, & alii ſunt auctores.

[ Errat in nomine Poëtæ Vinetus. ] V. CL. Hadrianus Iunius Animadverſorum lib. vi. cap. xiii. monuit ante annos lxxx legendum hoc loco Ἐρωτοπαιγνίων, ex Priſciano & Soſipatro grammaticis. Idemque mendum ſuſtulit ex codicibus Gellianis, lib. ii. cap. xxiv. *Lævium*, non *Livium Andronicum*, quod illi exiſtimant, ſcriptorem eſſe Erotopægniorum, probat illuſtris Scaliger Auſoniarum Lectionum lib.ii. cap. xxvii. In fine (inquit) Centonis in ea epiſtola, qua excuſat licentiam carminis, mentio fit *Livii* vetuſtiſſimi poetæ. ſed perperam legitur *Livius*, quum ſit *Lævius*. Nam *Livius Andronicus* eſt primus ille, qui fabulam Romæ docuit. *Lævius* eſt is, qui poëma Io ſcripſit: item Erotopægnia. quæ laſciviſſima poematia fuiſſe, indicat

dicat cùm titulus, tùm etiã Auſonius ipſe. Sed molles ex illis adferuntur (*ex* VI *Erotopægniôn à Priſciano*) verſiculi iſti, de coronâ plectili:

*Andromacha per ludum manu*
*Laſcivulâ, ac tenellulâ,*
*Capiti meo trepidans, lubens*
*Inſolita plexit munera.*

Apud Gellium in Veteribus codicibus non *Nævio* attribuitur Alceſtis, ſed *Lævio:* qui eſt iſte, de quo jam loquimur. Quid, quod Apulejus in Apologia *Lælium* vocat? ut videatur propius accedere ad *Lævium.* Itaque alius eſt *Livius Andronicus*, qui Odyſſean vertit, fabulas multas docuit: alius *Lævius*, qui Erotopægnia & Io compoſuit. Nam ſemper ita ſcriptum apud Gellium invenio. Quod ſi & hic quoque *Livius* vocatur: alius tamen eſt ab Andronico. neque obſtat, quòd ab Auſonio *antiquiſſimus* vocatur. Apud Macrobium quoque *Nævius* falſò pro *Lævius* citatur in his verſibus:

*Hac, quà Sol vagus igneas habenas*
*Immittit propius, jugatque terræ.*

Eſt enim idem noſter *Lævius.* Hæc ibi. Apud Feſtum verò, v. *Redivia. Lævius* non *Livius* legendum. Sæpè citatur *Livius* & *Nævius*, cùm ſit *Lævius*, qui ſcripſit Erotopægnia. item poëma Io. ex quo eſt iſte Scazon:

*Scabra in legendo, redivioſave offendens.*

Nam ex eodem poëmate de Io ſcribit:

*Seſeque in alta maria præcipitem miſit*
*Inops, & ægra ſanitatis Herois.*

De

De Fragmentis Livii Andronici, vide Caſtigationes in Sextum Pompejũ. ipſumque Feſtum v. *Adfatim.* v. *Corniſcarum.* v. *Inſeque* v. *Nefrendes.* v. *Nequinont.* & v. *Vacerra* At in v. *Petrarum,* non *Livius,* ſed *Lævius in Centauris* legitur in ſchedis. Vide præterea v. *Anclare.* v. *Dacrimas.* v. *Demum.* v. *Duſmoſo.* v. *Gnaricavit.* v. *Noëgum.* v. *Ommentans.* v. *Ocrim.* v. *Procitum.* v. *Profanum.* v. *Quamde.* v. *Quinquertio* v. *Sollo.* v. *Stirpem.* v. *Struices.* v. *Surregit.* v. *Topper.* De ipſo Livio Andronico. v. *Scribas.*

Erotopægniôn libri, qui lauduntur à variis Grammaticis, illius *Livii* non ſunt, ſed *Lævii.* Quod autem memorię prodit vir doctiſſimus, hanc inſcriptionẽ æmulatos poſtero tempore Nævium & Pacuvium : fallitur. Utrumque auctorem Erotopægniôn citat quidem Nonius Marcellus ; ſed mendoſè ſcriptum eſt in uno loco, & in altero lacuna eſt. De quo alias. Confunduntur ſæpe *Lævius, Nævius* & *Novius* apud Grammaticos. qui legendi cum judicio. Apud Priſcianum ad teſtimonium citatur *Nævius* II. Iliados ;

*Fecundo penetrat penitus, thalamoq; potitur.*

Ubi *Lævius* potiùs legendum putat eruditiſſimus & accuratiſſimus vir Gerardus Joannis Voſſius, tertio de Analogia, cap. XXXV. Quem vide etiam eodem libro, cap. XXIV. ubi de Nunnio ſive Ninnio Craſſo agit, qui Iliada Homeri vertit. & tecum ſtatue, an non & hoc Priſciani loco pro *Nævius* ſcribendum ſit *Ninnius.* ]

Ead.

Ead. pag. 169.

*Quid Evenum, quem Menander ſapientem vocavit?*] Evenos duos Elegiarum ſcriptores, & utrumque Parium fuiſſe, auctor eſt Suidas. Horum verſus aliquot habent Athenæus, Stobæus, Epigrammatum Græcorum libri, & alii veteres. *Menander* celeberrimus ille poëta Græcus Comicus, quem *amabilem* appellavit in Protreptico ad nepotem Auſonius, verſ 47. Edyll. xxxii.

*Conditor Iliados, & amabilis orſa Menandri*
*Evolvenda tibi.* ——

℞ *Quid Evenum.*] Idem Medicus & Philologus ille eximius, medicinam huic loco facere aggreſſus, vulnus præter opinionē inflixit; legendo, *Euemerum.* Is etenim, inquit, ſcriptor Meſſenius patria, libidines obſcœnas ſpurcosque Deorum amores carmine evulgavit, ab Ennio poſtea in Latinam linguam converſus. Unde ſic quoque apud Sex: Pompejum legendum eſt: SUS MINERVAM, *in proverbio eſt, ubi quis id docet alterum, cujus ipſe inſcius eſt. Quam rem in medio (quod ajunt) poſitam Varro & Euemerus* (non, *Eumerus*) *ineptis μύθοις involvere maluerunt, quàm ſimpliciter referre.* Hæc ille. Q. Ennii fragmenta aliquot ex Euemeri Sacrâ hiſtoriâ, ipſiusque Euemeri reliquias, collegit nobiliſſimus Hieronymus Columna, Italus, politiorum literarum, fideique ac diligentiæ præclarus, qui conſulatur. De Eveno poetâ Lilius in Hiſtoria Poetarum, Dialogo III. *Fuit Evenus,*

 inquit,

inquit, *elegiarum poëta, ejus Philiſti magiſter qui ſecundùm præcepta artis Oratoriæ hiſtorias conſcripſit. Hujus certè Eveni verſus citat Ariſtoteles, cùm de conſuetudine agit, quam aliam quaſi naturam eſſe exiſtimat. Extant in Gnidiam Venerem duo ejus epigrammata, item alia in Myronis vaccam. Duos tamen Eveni nomine fuiſſe reperio apud Suidam & Val. Harpocrationem, & ambos quidem Elegiographos. id quod Harpocration comprobat ex Eratoſthenis in Chronographiis autoritate, eoſdemque ait fuiſſe ex Paro inſula. Meminit & eorum alterius divus Plato: etſi in vulgatis codicibus inverſè atque præpoſterè aliquando legitur. Meminit & Max. Tyrius in quodam Sermone de Socrate loquens, quem ait ab Eueno poeticam comparaſſe. Eſt & apud Auſonium in quadam Epiſtolâ hujus poëtæ nomen perperam, ut puto, ſcriptum. Ita enim legendum exiſtimatur,* Quid Euenum, quem Menander ſapientem vocavit? *Citatur & Evenus ab Artemidoro lib.*1. Ὀνειροκριτικῶν, *in Amatoriis ad Eunomium,* &c. ]

Ibid. *Læta materia.* ] Ut amores ferè juvenum.

Ibid. *Partheniam dictam cauſa pudoris.* ] Παρθένος, virgo, puella. Vide Virgilii vitam per Donatum. Hinc ἁγνὸν, id eſt caſtum, appellat, puto, Virgilium Græcus poeta in epitaphio Didonis; ipſo fine.

Πιερίδες τίπτε μοι ἁγνὸν ἐφωπλίσσατε Μάρωνα;
Τοῖα καθ' ἡμετέρης ψεύσατο σωφροσύνης.

*Ar-*

*Armaſti caſtum cur in me Muſa Maronem?*
*Hæc damno noſtræ ficta pudicitiæ.* P. S.

Ibid. *Octavo Æneidos.* ] Ejus ſunt verſus :

*Optatos dedit amplexus, placidumque petivit,*
*Conjugis infuſus gremio, per membra ſoporem.*

A. Gellius lib. IX. cap. X.

Ibid. *γλισχροσεμνίαν.* ] Γλίσχρος, lubricus, laſcivus. σέμνος, pudicus, gravis, honeſtus. Mariangelus tamen αἰσχροσεμνίαν mavult, id eſt turpem pudicitiam.

Ibid. *aliter hæc ſacra non conſtant.* ] Hoc adagio licebit uti, ſi quando fatebimur culpam, ſed quæ rei locoque conveniat; Eraſmus adagio LXXXVIII, Centuriæ IV, Chiliadis II.

# PERVIGILII VENERIS

Nova Editio

*auctior & emendatior.*

## CLAVDIVS SALMASIVS
*ad Solinum, pag. 277.*

AVCTOR Pervigilii Veneris, quem Catullum eſſe nullo judicio volunt eruditi, cùm ſit mediæ ætatis, & Solino ſupparis:

*Tũ cruore de ſuperno, ſpumeo Pontus globo,* &c.

*Item pag.* 1131.

Vetus Poëta in Pervigilio:

*Humor ille quem ſerenis aſtra rorant noctibus.*

Rorem intelligit. Veteris poëtæ fragmentum *rorifluam lunam* appellat:

*Quam nos rorifluam ſectemur carmine Lunam.*

Poëma illud non rectiore judicio tribuitur Varroni Atacino, quàm Pervigilium Veneris Catullo. Vtriusque carminis auctor non longè fuit ab ætate Solini. De quo alibi.

*Idem ad Hiſtor. Aug. in Trebell. Poll. pag.* 303.

Verbum *Perviglare* apud auctorem Pervigilii Veneris:

*De tenente tota nox eſt, perviglanda canticis.*

Ita enim in optimo & vetuſtiſſimo libro ſcriptum reperimus. cujus libri ope, nos propediem illud Poema auctius, emendatiusque dabimus.

*Hunc* MS. *alibi V. Cl. vocat* valde magnæ vetuſtatis librum. *Ad Hiſt. Aug pag.*156.

# PERVIGILIVM VENERIS,

## TROCHAICO METRO:

## SVNT VERO VERSVS XXII.

[ Hunc Titulum præfert MSC. Cl. Salmaſii. ]

CRAS AMET, QVI NVNQVAM AMAVIT;
QVIQVE AMAVIT, CRAS AMET.
*Ver novum, ver iam canorũ, vere natus Orbis eſt.*
*Vere concordant amores, vere nubunt alites,*
*Et nemus comam reſolvit de maritis imbribus.*
*Cras amorum copulatrix inter umbras arborum*
*Implicat caſas virentes de flagello myrteo.*
*Cras Dione jura dicit fulta ſublimi throno.*
CRAS AMET, &c.
*Tunc cruore de ſuperno, ſpumeo Pontus globo,*
*Cærulas inter catervas, inter & bipedes equos,*
*Fecit undantem Dionem de maritis imbribus.*
CRAS AMET, &c.
*Ipſa gemmis purpurantem pingit annum floribus.*
*Ipſa ſurgentes papillas de Favonî ſpiritu*
*Vrget in notos penates. ipſa roris lucidi,*
*Noctis aura quẽ relinquit, ſpargit humentes aquas.*
*Lacrimæ micant trementes de caduco pondere;*
*Gutta præceps orbe parvo ſuſtinet caſus ſuos;*
*In pudorem florulentæ prodiderunt purpuræ.*
*Humor ille, quem ſerenis aſtra rorant noctibus,*
*Mane virgines papillas ſolvit humenti peplo.*

*Ipſa juſſit, mane ut udæ virgines nubant Roſæ.*
*Facta Cypris de cruore, deque Amoris oſculis,*
*Deque gemmis, deque flammis, deq; ſolis purpuris,*
*Cras ruborem, qui latebat veſte tectus igneâ,*
*Vnico marita nodo non pudebit ſolvere.*
CRAS AMET, &c.
*Ipſa nymfas Diva luco juſſit ire myrteo.*
*It Puer comes puellis. Nec tamen credi poteſt,*
*Eſſe Amorem feriatum, ſi ſagittas vexerit.*
*Ite nymfæ; poſuit arma. feriatus eſt Amor.*
*Iuſſus eſt inermis ire, nudus ire iuſſus eſt;*
*Neu quid arcu, neu ſagitta, neu quid igne læderet.*
*Sed tamen nymfæ cavete, quod Cupido pulcher eſt:*
*Totus eſt in armis idem, quando nudus eſt Amor.*
CRAS AMET, &c.
*Conpari Venus pudore mittit ad te virgines:*
*Vna res eſt, quam rogamus: Cede Virgo Deliâ;*
*Vt nemus ſit incruentum de ferinis ſtragibus.*
*Ipſa vellet te rogare, ſi pudicam flecteret.*
*Ipſa vellet ut venires, ſi deceret virginem:*
*Iam tribus choros videres feriatis noctibus,*
*Congreges inter catervas, ire per ſaltus tuos;*
*Floreas inter coronas, myrteas inter caſas.*
*Nec Ceres, nec Bacchus abſunt; nec poëtarũ deus.*
*De tenente tota nox eſt perviglanda canticis.*
*Regnet in ſilvis Dione: tu recede Delia.*
CRAS AMET, &c.
*Iuſſit Hybleis tribunal ſtare Diva floribus.*
*Præſes ipſa iura dicet, adſidebunt Gratiæ.*
*Hybla totos funde flores quotquot annus attulit.*
*Hybla florum* ſupereſtem quantus Etnæ cãpus eſt.*
*Ruris hîc erunt puellæ, vel puellæ montium,*

*Quæ-*

*Quæque ſilvas, quæq; lucos, quæq; fontes incolunt:*
*Iuſſit omnes adſidere pueri Mater alitis.*
*Iuſſit & nudo puellas nil Amori credere.*
CRAS AMET, &c.
*Ex recentibus virentes ducat umbras floribus.*
*Cras erit quo primus Æther copulavit nuptias.*
*Vt pater totis crearet vernus annum nubibus,*
*In ſinum maritus imber fluxit almæ coniugis;*
*Vnde fetus mixtus omnes aleret magno corpore,*
*Ipſa venas atque mentem permeante ſpiritu*
*Intus occultis gubernat procreatis viribus,*
*Perque cœlũ, perque terras, perq; pontũ ſubditum*
*Pervium ſui tenorem ſeminali tramite*
*Inbuit, iuſſitque mundum noſſe naſcendi vias.*
CRAS AMET, &c.
*Ipſa Troianos nepotes in Latinos tranſtulit,*
*Ipſa Laurentem puellam coniugem nato dedit;*
*Moxque Marti de ſacello dat pudicam virginem,*
*Romulumque; cum Sabinis ipſa fecit nuptias;*
*Vnde Ramnes, & Quirites. perque prolem poſteram*
*Romuli Mater creavit & nepotem Cæſarem.*
CRAS AMET, &c.
*Rura fecundat voluptas, rura Venerem ſentiunt.*
*Ipſe Amor puer Dionæ rure natus dicitur.*
*Hunc ager, cùm parturiret ipſa, ſuſcepit ſinu:*
*Ipſa florum delicatis educavit oſculis.*
CRAS AMET, &c.
*Ecce, iam ſuper geneſtas* explicataonii latus.*
*Quiſque tutus quo tenetur coniugali fœdere.*
*Subter umbras cum maritis, ecce, balantũ greges.*
*Et canoras non tacere Diva iuſſit alites.*
*Iam loquaces ore rauco ſtagna cygni perſtrepunt:*

*Adſonat Terei puella ſubter umbram populi ;*
*Vt putes motus amoris ore dici muſico,*
*Et neges queri ſororem de marito barbaro.*
*Illa cantat: nos tacemus. Quando ver venit meũ?*
*Quando facîam ut Chelidon, ut tacere deſinam?*
*Perdidi Muſam tacendo: nec me Phœbus reſpicit.*
*Sic Amyclas, cùm tacerent, perdidit ſilentium.*
CRAS AMET, &c.

CLAV-

CLAVDII SALMASII

# ANIMADVERSIONES

IN

## PERVIGILIVM VENERIS.

*Clariſſimo Viro*

P. SCRIVERIO CL. SALMASIVS *S. D.*

RECEPI tandem heſterno die Codicem ſcriptum Epigrammatum, in quo Pervigilium. Priuſquam Codicem ipſum videas, conjecturarum aliquot, quibus olim melius illud Poema fieri opinatus ſum, libuit te facere participem.

Verſ. 2.

VER *novum, Ver jam canorum, Vere natus Orbis eſt.*] Hæc lectio ſola mihi vera videtur. Nempe Orbem Vere natum fuiſſe vult. Hoc hauſit è Virgilio: (Georg. II. 336.)

*Non alios prima creſcentis origine mundi*
*Illuxiſſe dies, aliumve habuiſſe tenorem*
*Crediderim; Ver illud erat, Ver magnus agebat*
*Orbis, & hibernis parcebant flatibus Euri:*

*Cùm*

*Cùm primum lucem pecudes hauſere, virûmq;*
*Ferrea progenies duris caput extulit arvis.*

Ex eodem certe loco etiam ſumpſit quæ infra leguntur:

*In ſinum maritus imber fluxit almæ coniugis,*
*Vnde fœtus mixtus omnes aleret magno corpore.*

Sic enim ibidem Virgilius, ubi cecinit Orbem Vere natum eſſe:

*Tũ pater omnipotens fecundis imbribus Æther*
*Coniugis in gremium lætæ deſcendit, & omnes*
*Magnus alit magno commixtus corpore fœtus.*

De quo, ad locum. Videbis tamen in meo Codice legi, *Vere natus iouis eſt.* Quod neminem morari debet. Ex vitioſo enim ſcribendi modo hæc menda nata eſt, *Oruis eſt*, ex quo *Iouis* fecêre. Ne quis laboret inquirere in Fabulas, an Juppiter verno tempore natus ſit.

verſ. 6.

*Implicat caſas virentes de flagello myrteo.*] Benè ſanè ita correxêre, pro *gazas*: quas hîc etiam præfert meus Codex. *Myrteas caſas* infra nominavit:

*Floreas inter coronas, myrteas inter caſas.*

Verſ. 9. & ſeq.

* *Tuno quiuore deſuper huc ſpumeo pont' de glouo.*] Clare in meo exemplari: *Tunc cruore de ſuperbo.* Hoc pro *ſuperno.* Nec alia medicina opus. Idem etiam expreſſe habet, *ſpumeo pontus globo*, & *Fecit undantem Dionem.* Nec aliud quærendum. *Spumeus globus* pro ſpuma in globum conformata, ut ſæpe viſitur. E ſpuma & ſanguine Cæli nata Venus. *Fecit*, pro creavit.

vit. Sic infra de Roſa ex eodem codice, *Facta de cruore* Idiotiſmus illius ævi Sic apud Scholiaſten Iuvenalis, *Si tres liberos fecerit*, pro procreaverit.

verſ. 13.

*Ipſa gemmas purpurantem.*] Noſter Codex: *gemmis*, pro *gemmeis*.

verſ. 16.

— *ipſa roris lucidi, Noctis aura quem relinquit, ſpargit humentes aquas.*] Ita lege ex meo Codice. Ex eo rore, inquit, quem noctis aura relinquit ſpargit aquas. Sæpe ſanè noctis aura omnem humorem roremque exugit & exſorbet, præcipue ſi ſit vehementior. Ubi minima eſt aura nocturna, cum ſolet eſſe mane maxima roris copia.

verſ. 17.

* *Et me canat lacrime trementes detadum pondere.*] Ita hactenus editum. Diſerte vetus Codex: *Et micanat*. Lego: *Emicant*. In fine verſus idem habet diſertiſſimè ſcriptum: *de caduco pondere.* Veriſſima eſt lectio:

*Emicant lacrimæ trementes de caduco pondere.* Nihil crebrius hac loquutione apud hunc Auctorem. Lacrimæ roris emicant trementes de pondere caduco; pondere ipſo, dum cadunt, trementes emicant. Sic *ſurgentes papillas de favonii ſpiritu* ſupra dixit. Et infra multis locis præpoſitionem *De* ſic uſurpat.

verſ. 19.

*In pudorem florulentæ prodiderunt purpuræ.*] Idem liber, *pudore.* qui & *prodiderunt* retinet.

For-

Fortaſſe ſcribendum:

*Hinc pudorem florulentæ prodiderunt purpuræ.*

Purpuræ roſarum ab illis roris guttis perſperſæ prodiderunt ruborem ſuum, qui calycis nodo latebat tectus. Eandem ſententiam ſequenti verſu exequitur. Elegans porro metaphora, *pudorem* pro *rubore* dicere. Sic veteri poetæ *pudoricolor*, pro *rubicundo.*

verſ. 22.

*Ipſa iuſſit mane ut udæ virgines nubant roſæ.*] Ita recte viri docti. Ita fere noſter Codex: *Ipſa iuſſit manet tute. Vtæ* pro *udæ*, ut ſupra (verſ. 14.) idem librarius *notos* ſcripſerat, qui *nodi* ſunt: & infra *noto,* pro *nodo.*

verſ. 26.

Legitur in veteri exemplari meo, *Vnica marita noto.* Nec multum aliter in Pithœi. Sine dubio ſcribendum:

*Cras ruborem qui latebat veſte tectus igneæ*
*Vnico, marita, nodo non pudebit ſolvere.*

De Roſis quæ præceſſerunt omnia ſunt intelligenda, quas Venus è virginibus maritas fieri voluiſſe dicit. Hoc eſt ex clauſis ac tectis, ut erant in calycibus ſuis, aperiri & expandi. Hic Roſam ipſam alloquitur. Cras, inquit, ô marita, quæ antea virgo fueras, non pudebit te ruborem, qui veſte ignea calycis tectus latebat, unico nodo ſolvere, & in apertum prodere. Quod & ſupra dixit:

*Hinc pudorem florulentæ prodiderunt purpuræ.*

verſ. 30.

*Eſſe Amorem feriatum, ſi ſagittas vexerit.*]

Ita

Ita Editiones. Nec aliter vetuſtiſſimus Codex. Nec mutandum. Idiotiſmus illius ævi quo vixit Auctor Pervigilii. *Vehere*, pro *ferre* & *geſtare*. Qui manu aliquid geſtabat, etiam illud vehere tum dicebatur. Exempla hujus loquutionis apud Ammianum Marcellinum crebra. Nunc unum, atque alterum, ſuccurrit. lib. XVI. *Anteriorem chlamydis partem utraque manu vehens, intrinſecus ſtructuram omnem ut amictus adornaverat principalis.* lib. XVIII. *Quinquagenarias longioresque materias vexêre cervicibus ingravatè.*

verſ. 32.

*Iuſſus eſt inermis ire, nudus ire iuſſus eſt.*] Non dubium, quin hæc ſit vera lectio. Sic enim noſter Codex planè habet, niſi quod *nudos* legit.

verſ. 34.

*Sed tamen Nymphæ cavete, quod Cupido pulcher eſt.*] Sic etiam idem liber. Nec mutandum. Iuſſus eſt Amor ire nudus & inermis; nolite tamen, inquit, Nymphæ fidere, quod Cupido cùm nudus ſit, etiam pulcher vobis videatur; totus eſt etiam armatus, cùm eſt nudus. Immo pulchritudo ipſius nudi, pro armis illi poteſt eſſe. Et hic eſt ſenſus. Cavete Nymphæ vobis ab inermi & nudo Cupidine. Quod enim pulcher eſt, totus eſt in armis idem etiam cùm nudus eſt, quia pulchritudinem habet pro telo. Sic igitur deſtinguendũ:

*Sed tamẽ cavete Nymphæ, quod Cupido pulcher eſt*
*Totus eſt in armis idem, quando nudus eſt Amor.*

Quod

Quod Amor pulcher eſt, etiam totus eſt armatus cùm armis exutus eſt. Nam pulchritudo illi ſatis valida armatura.

verſ. 40.

*Ipſa vellet ut venires, ſi deceret virginem.*]
Ante hunc verſum legitur alius in noſtro exemplari, hoc modo:

*Ipſa vellit erogare ſi pudicam flecteret.*
Scribendum:

*Ipſæ vellet te rogare, ſi pudicam flecteret:*
*Ipſa vellet ut venires, ſi deceret virginem.*

verſ. 46.

Non video, cur vera non poſſit videri tam expreſſa vetuſtiſſimi Codicis ſcriptura:

*De tenente tota nox eſt perviglanda canticis.*
*Perviclanda* quidem ille habet. Quod quis non ſentit eſſe ſcriptum pro *perviglanda?* Cùm βίγλας & βιγλάτωρας dixit recens Græcia, palam eſt eam è Latino vocabula mutuatam, quæ *viglare* tum dixit, & *viglas* pro *vigiliis*, & *viglatores* pro *vigilibus*. Inde ergo & *perviglare* pro *pervigilare*. Idem liber ſcriptum habet, *De tinente* Ex quo fecimus, *De tenente*, id eſt, uno tenore. Quod etiam in Idiotiſmo noſtro uſurpamus, *d un tenant*, de uno tenente. De quo alibi.

verſ. 52.

*Hybla florum rumpereſt equant ethne cāp.*]
V.C. *Hybla florum ſupereſtem.* Non diſplicet correctio doctorum, *rumpe veſtem.* Fortaſſe etiam legi poſſet, & æque benè:

*Hybla florũ ſparge veſtẽ quantus Enna cãpus eſt.*

Quan-

Quantum patet Ennæ campus, hunc ſparge florum veſte, ut totus nempe floribus ſit veſtitus. Nihil certius.

Verſ. 55.

— *pueri Mater alitis.*] Ita liber noſter: Quod rectum eſt.

verſ. 58.

Codex habet, *Et rigentibus virentes ducat umbras floribus.* Non puto aliud elici poſſe, quàm *E recentibus virentes.* Mox lego ex eodem noſtro Codice:

*Cras erit quo primus Æther copulavit nuptias,*
*Vt pater totum creavit vernis annum nubibus.*
*In ſinum maritus imber fluxit almæ coniugis.*

Cras, inquit, erit dies quo primus Æther copulavit nuptias, & ut pater totum annum creavit, id eſt totius anni fœcunditatem, per vernas nubes auſpicatus eſt. Ex Virgilio habet; (Georg. II. verſ. 324.)

*Vere tument terræ, & genitalia ſemina poſcunt.*
*Tū pater omnipotens fecundis imbribus Æther*
*Coniugis in gremium lætæ deſcendit.* —

Sic *patrem Ætherem* dixit, ut Virgilius. Nec hîc aliud ſuſpicandum eſt. *Annum* pro anni fecunditate dixit; ut Græci ἔτος, dum ajunt ἔτος plus facere quàm ἄρουραν. Ἔτος ποιεῖ οὐχ ἄρουρα.

verſ. 62.

Vitium prodit vel verſus malè ambulans. Vetus ſic habet:

*Vnde fletus mixtus omnis aleret magno corpore.*

Inde nullo negotio vera lectio elicitur:

*Vnde fetus mixtus omnes aleret magno corpore.*

Virgilianum eſt :

*Coniugis in gremium læta deſcendit, & omnes*
*Magnus alit magno commixtus corpore fetus.*

verſ. 63.

*Ipſa venas atque mentem permeante ſpiritu*
*Intus occultis gubernat procreatrix viribus.*]

Corruptiſſima hæc ſunt. Ex veſtigiis ſcripturæ Codicis noſtræ ſic ea emendo:

*Ipſa venas atque mentem permeantis ſpiritus*
*Intus occultis gubernat procreata viribus.*

Id eſt, Ipſa intus procreata gubernat occultis viribus ſpiritus permeantis venas atque mentem. Nihil verius.

verſ. 81.

*Ecce jam ſuper geneſtas explicant agni latus.*]

Neque *agnos*, neque *hœdos* hic recipio. Verbũ *explicant* non convenire videtur cum minutis animalibus. Quomodo enim hæc explicare latus dicantur ſuper geniſtas? Vetus ſcriptura habet TAONII, pro TAURI. Nam ſcriptum erat, *Taori*. N & R etiam ſæpe permutantur. Geniſta frutex eſt, quem incubitu ſuo premere agnus & hœdus haud in proclivi poſſit. Legendum igitur:

*Ecce iam ſuper geniſtas explicant tauri latus.*

Vetus Codex ſequenti verſu ſcribit :

*Quiſque tutus, quo tenetur, coniugali fœdere.*

Quod retinendum eſt.

verſ. 86.

*Adſonant Terei puellæ.*] V.C. *Adſonat Terei puella.*

verſ.

verſ. 90.

*Quando faciam ut chelidon.*] Idem Codex: *Quando fiam ut celidon.* Vt conſulatur verſui, ſcribendum: *Quando egò fiam ut chelidon.*

Atque hæc hactenus. Nunc vide, quomodo explicaturus ſis quod noſter Codex viginti tantum duo verſus adnumeret huic Poemati. Nam ibi legitur:

INCIPIT PERVIGILIVM VENERIS TROCHAICO METRO.
SVNT VERO VERSVS XXII.

Quæ adjeciſti de QVALITATE VITÆ, ſic etiam indigitat vetus Exemplar, ac FLORO tribuit, ut videbis. Ipſum Codicem tibi mitto. cum ex eo quod volueris excerpſeris ut in uſum tuum convertas, ad me remittes. Vale, & me ama. Lugd. Bat. XVII Februarii, cIↃ IↃ C XXXVII.

## TIRO, QVISQVIS ES.

Vetus poëta, deſignatus a Salmaſio ad verſ. 19. eſt Nævius, ſive Lævius. de quo ita A. Gellius lib. XIX. cap. VII. *Cùm ad menſam audiſſemus legi Nævii Alceſtin* (MSS. *Lævii*) *figuras habitusque verborum nove, at inſigniter, dictorum in Næviano illo carmine ruminabamur: & ut quæque vox indidem animadverti digna ſubvenerat, qua nos quoque poſſemus uti, memoriæ mandabamus. Notavimus quod rubentem Auroram* PVDORICOLOREM *appellavit, & Memnonem* NOCTICOLOREM.

verſ. 35.

*Totus eſt in armis idem, quando nudus eſt Amor.*] Hominem *in armis, ſub armis*, armatum vocabant. Ennius:

*Ter me ſub armis malim vitam cernere.*

Id eſt, *malim armatam me vitam cernere*. Virg.

— *ſedet circum caſtella ſub armis.*

Pro, *armatus circumſidet caſtella*. Idem:

— *ludunt belli ſimulacra ſub armis.*

Pro, *armati ludunt*. Sic *in armis* etiam pro eodem. In Pervigilio Veneris:

*Totus eſt in armis idem, quando nudus eſt Amor.*

Sic Manilio Centaurus *ſub arcu*, & Centaurus *in arcu*, qui arcum geſtat, arcu armatus. Sic *in haſtis*, pro *haſtati*. Ennius:

— *leveſque ſequuntur in haſtis.*

& cetera. Salmaſius ad Hiſt. Aug. pag. 323.

Ad verſ. 46. *De tenente*, &c.

Salmaſius ad Solinum pag. 83. Apud Melam *terra continens* dicitur quæ continenter juncta eſt; quam & abſolutè *continentem* dixêre. Sic *continenter ſedere*, conjunctim & uno tenore. Catullus Carm. XXXVIII.

*An, continenter quod ſedetis inſulſi*
*Centum, aut ducenti, non putatis auſurum.*

Et *in continenti aliquid facere*, ſtatim & nullâ interpoſitâ morâ. Hinc dicimus *in continenti*, pro ſtatim. In Pervigilio Veneris:

*De tenente tota nox eſt perviglanda canticis.*

Id eſt, continenter tota nox pervigilanda, uno tenore, ac de uno tenenti, ut vulgo loquimur.

De verbo *perviglare*, & ſimilibus, plura ad Hiſt. Aug. pag. 196. 303. & 443.

PETRI SCRIVERII

# ANIMADVERSIONES

IN

## PERVIGILIVM VENERIS.

Non mecum, non cum eruditiſſimo & emunctiſſimæ naris homine Claudio Salmaſio noſtro ſentit, qui hoc Poematium Catullo Veronenſi, vel etiam Vrbicario tribuit; aut ab alio ſcriptum putat, quam ab eo qui ævo Solini, aut poſteriore tempore vixit: aſtipulantibus ipſis membranis, ex quibus editum; & ratione ſtili, qui optimus & certiſſimus index, ſuffragante. Poeta quiſquis eſt, ſeu Luxurius, ſeu Florus neſcio quis, inæqualis & quibuſdam locis pæne talis, quales eſſe Cicero Cordubenſes poetas ait, pingue quiddam ſonantes ac peregrinum. Equidem non ſatis poſſum mirari ſummum virum Iuſtum Lipſium, aliàs prudentiſſimum & ſagaciſſimum, Carmen hoc non ſolùm elegans vocare, ſed quantivis pretii, molle, tenerum. V. C. P. Pythœo potius accedam, qui fragmenta hæc ſane antiqua, ſive Catulli, ſive alterius ſit, medicorum pueris commendat, deſumpta ex vetuſſimo & fidei multæ exemplari, in quo non longo interval-

lo præcedat Epithalamium Q. Val. Catulli : cuius eſſe, vel Senecæ denique (quod Caſpari Barthio, aut neſcio cui librario in mentem venit) ſi exiſtimem :

*Πτωχὸς μὲν φρένας εἰμοὶ, νόου δὲ μοὶ οὐκ ἐνὶ κόκκος.*

Cæterum viderint docti, quomodo explicaturi ſint quòd librarius codicis Salmaſiani viginti tantum duo verſus adnumeret huic Poëmati. Si verſum intercalarem hunc,

*Cras amet, qui nunquam amavit; quique amavit, cras amet.*

vicies & bis iteratum intelligit, potior pars hujus Carminis periit. Aut dicendum eſt, aliquoties omiſſum iſtum intercalarem, cùm tantùm hîc undecies repetatur. Quid ſi pro XXII ſcribendum ſit XCII, & Auctor, ſive librarius potius, voluerit indicare toto hoc Carmine tot verſus contineri. Hoc verũ eſt, ſi unum ſupernumerarium excipias, in capite extra ordinem reliquorum poſitum :

*Cras amet*, &c.

Sic ut initium Poematis fuerit,

VER *novum, ver jam canorum*, &c.

Vnde magno Eraſmo, Aldo Manutio, & Lilio Giraldo perſuaſum, inſcriptum fuiſſe Carmen DE VERE. quem errorem etiam alii pòſt errarunt. Lipſio nullum dubium eſt, quin principio Carminis multa deſint, & poſt verſum decimum, aut undecimum,

*Fecit undantem Dionem de maritis imbribus,*

deeſſe cenſet minimũ ſenos aut ſeptenos verſus : quod appareat, inquit, verſu intercalari

præ-

præpropere poſito. Pythœus ad verſ. XIX,

*In pudorem florulentæ prodiderunt purpuræ,*

annotavit non abs re hæc & alia quædam in hoc Carmine confuſa, nec ſuo loco poſita videri. Mihi prorſus idem videtur, & non pauca deſiderari in hoc poemate. Non tamen id colligo ex verſu intercalari præpropere, quod cenſet vir clariſſimus, poſito. Nam non ſemper verſus intercalaris interjicitur aut ſubjicitur verſibus pari numero, ſed diverſo, pro re nata. Interdum poſt duos, tres, quatuor, & quinque: interdum poſt plures. Quod cum alibi, tum ex Virgilii ecloga octava, & Catulli Epithalamiis liquet.

Verſ. 2.

VER *novum, ver iam canorum, vere natus orbis eſt.*] Ita vulgo ex conjectura P. Pythœi. nec aliter citat Lipſius Phyſiologiæ Stoicæ, lib. II, cap. IX. ubi mundum vere natum videri aſſeritur: auctoribus Virgilio, D. Ambroſio, Damaſceno, & Panegyriſte ad Maximianum. Tamen in Electis eidem placuit, *ver renatus orbis eſt.* Vulgatam probat Salmaſius. cuius membranæ ſcribunt, *Vere natus Iovis eſt*: aut, *aouis.* Quid ſi? *Ver renatus annus eſt.* Boëthius de Conſolatione Philoſophiæ lib. I. carm. V.

*O ſtelliferi conditor orbis, &c.*
*Tu frondifluæ frigore* BRVMÆ
*Stringis lucem breviore moræ;*
*Tu, cùm fervida venerit* ÆSTAS,
*Agiles noctis dividis horas;*

*Tua vis* VERNVM *temperat* ANNVM;
*Tu, quas Boreæ ſpiritus aufert,*
*Revehis miti Zephyro frondes;*
*Quoque* ARCTVRVS *ſemina reddat,*
*Sirius latas urit ſegetes.*

Ita illum locum emendo, varie interpolatum vulgo. Idem lib. IV. carm. VI.

— *Vere tepenti*
*Spirat florifer* ANNVS *odores;*
ÆSTAS *Cererem fervida ſiccat;*
*Remeat pomis gravis* AVTVMNVS;
HIEMEM *defluus irrigat imber.*

Vide & lib. II. ſect. II. Petronius in fragmento:

*Ante oculos ſtabat quidquid promiſerat annus.*

Complura alia poſſent adferri firmandæ huic conjecturæ. Sed præſtat, antequam progrediamur, hîc audire incerti quoque Auctoris pulcherrimam verni temporis deſcriptionẽ, ex Anthologiâ Græcâ, Conrado Ritterſhuſio interprete:

*Poſtquam Bruma polo tandem ventoſa receſſit,*
*Florida purpurei rident iam tempora Veris,*
*Et pulla eſt viridi circumdata gramine tellus.*
*Iãq; comas reparãt plantæ, nova frondibus arbor*
*Luxuriat, campisque redit ſilvisque juventa.*
*Iam matutinum vario gemmantia flore*
*Prata bibunt tenerum rorem, calycesq; roſarum*
*Dum ſeſe lento pandunt conamine rident.*
*Fiſtula paſtorem delectat, montibus altis*
*Dum canos hædos ſalientes ſpectat & agnos:*
*Spectanti tacitum pertentant gaudia pectus.*
*Iã tumidũ mare nauta ſecat, dũ carbaſa cõplent*

In-

*Innocuæ Zephyrorum animæ; crinesq́ revincti*
*Flore hederæ, læti aſſueſcunt agitare choreas,*
*Euoë vitifero clamantes Euoë Baccho.*
*Taurigenis ſtudium eſt apibus ſua cerea mella*
*Fingere, multiforisque eadem denſare coacta*
*Alveolis: mireris opus, ſtupeasque laborem.*
*Aëra concentu mulcet genus omne volucrum;*
*In fluctu Halcedo, tectorũ ad culmina Hirundo.*
*Fluminis ad ripas cycnus, luſcinia luco.*
*Cùm tellus igitur, cũque omnis floreat arbos,*
*Cùm paſtor cantu pecoris demulceat aures,*
*Cũ mare nauta ſecet, cũ ducas Bacche choreas,*
*Parturiant & apes, & cantu perſtrepat ales;*
*Quid ni conveniat cantare hoc tempore vatem?*
*Quis taceat, dũ cũcta vigent, dũ cũcta loquũtur?*
*Quis non Vere lubens lumen vitale relinquat?*

Et nonne probabile eſt, ait Lipſius, amœniſſimo, & maxime vegetabili tempore, cuncta cepiſſe? cùm & animantes pleræque fœtificant, & aliæ naturæ partes concipiunt aut parturiunt, εὐλόγως dicamus & ipſam totam peperiſſe. At ſunt tamen qui fortiter abnuant, Hebræorum auctoritate confiſi, quibus principium anni in Autumno fuit: ergo & Mundi. Extat Hadriani Iunii V. C. erudita diſceptatio cum ſacrifico quodam, *Quo anni tempore conditus ſit Mundus*, Animadverſorum lib. III. cap. VIII.

verſ. 3.

— *Vere nubunt alites,*
*Et nemus comam reſolvit.*] Dracontius in Hexaëmero, v. 144.

*Pennigerũ vernare nemus vapor urget in uſus*
*Pignoris.* —

verſ. 9.

*Tum cruore de ſuperno ſpumeo &c.*] Cùm diſerte in Pythœano legatur, *Dione*, videtur fortaſſe melius:

*Tum cruore de ſuperno ſpumeum Ponti globum*
*Cærulas inter catervas, inter & bipedes equos,*
*Fecit undantem Dione de maritis imbribus.*

Si cui diſpliceat, *Fecit*, legat, me non admodum reclamante, *Excit.*

verſ. 11.

*Ipſa gemmis purpurantem pingit annum floribus.*] Et hîc poterat ſcribi, *Ipſa gemmeîs.* & apud Prudentium Πεϱὶ ςεφ. hymno 1.

*Scripta ſunt cœlo duorum Martyrum vocabula,*
*Aureis quæ Chriſtus illic adnotavit litteris,*
*Sanguineîs notis & idem ſcripta terris tradidit.*

Pro, *Sanguinis notis.*

verſ. 12.

*Ipſa ſurgentes papillas de Favonî ſpiritu*
*Vrguet in notos penates.*] Ita clare, de plano ut legi poſſit, MSC. Salmaſii. Corruptiſſima hæc in exemplari Pythœano. *Turgentes papillas* Lipſius malit, &, qui Lipſio heic nimium tribuit, Pythœus. Fruſtra. Quanquam non diſpliceret, *turgentes*, ſi ita liber vetus haberet: cùm habeat *ſurgentes*, id retinendum eſſe nemo non videt. Quod rectum quoque putabat filius Douſa. At verò interpretatio, quam eruditiſſimus adoleſcens adhibet, frivola. *ſurgentes papillas* interpretatur tumeſcen-

centes ac ſororiantes, & veluti ſtrophio obnitentes, atque (voce Catulliana) *luctantes*: quasq; *horridulas* Plautus in Pſeudolo vocat:

*Papillarum horridularum oppreſſiuncula.*

Mihi profecto hæ papillarum oppreſſiunculæ verè horridulæ. Nec vult Auctor ſurgentes papillas de Favonii ſpiritu Venerem compreſſiſſe & ſororiantes coercuiſſe ſtrophiis aut zonis. Longe aliud eſt, quod hîc latet. Melius me divinet, qui ſe id poſſe ſperet. Dicit igitur, Roſas ſurgentes de Favonii ſpiritu Venerem urſiſſe maritis ſuis imbribus, in hunc aut illum uſum. *Papillæ* ſunt roſarum alabaſtri, & prima germina. De quibus ubertim infra. Nunc ea quæ videntur obſcuriſſima, illuſtremus ſi fieri poteſt. Lipſius ex ſchedis Pythœanis edidit:

*Vrguet in toros * pentes.*

Et truncatam vocem arbitratus reſcripſit, *thoros tepentes.* Ipſe Pythœus, in editione Mamerti Patiſſonii, *totos pentes,* & conjecit, *toros ſtupentes.* Ego aliquando ſomniabam, *toros parentes,* vel *tepentes.* Quicquid conjecturarum hactenus allatum, non convenit. Videamus, an ferri & explicari poſſit ſcriptura codicis Salmaſiani: *Vrget in notos penates.*

Amico cuidam meo in mentem veniebat, *Vrget in nodos tenaces.* Certè librarius ille *notos* ubique ſcripſit pro *nodis.* Sic diſertè infra,

*Vnico marita noto non pudebit ſolvere.*

Id eſt, *nodo.* quomodo eſt in Pythœano. Et, *Ipſa iuſſit, mane ut ute.* id eſt, *udæ.* Quæ ſcriptu-

ptura clamat recte conjeciſſe Douſam patrem: cùm legeretur, *mane tua*. Vide ad verſ. 22. *Nodos tenaces* accipiebat idem ſtrophiorũ & zonarum: in eodem ut videtur lecto eruditus cum filio Douſa, & papillarum horridularum oppreſſoribus. Nullum mihi dubium, *notos* valere *nodos*. Iam illud *nodos* corruptum puto; & legendum *nudos*. Vt nudos Penates dicat hiberno tempore deſtitutos floribus ac coronis; redimendosque vernis & novis. Roſarum uſus in cubiculis averruncandæ vertigini. Plinius Naturalis Hiſtoriæ lib. XX. cap. XIV. *Ad recreandos defectos animo dignior è pulegio corona Varroni, quam è roſis, cubiculis noſtris pronunciata eſt*. De coronâ roſaceâ diſcumbentium & potantium, pleni poetarum libri, Martialis, & veterum Epigrammatum Anthologia. Idem magnus Auctor, Natural. Hiſt. lib. XXI. cap III. poſtquam meminiſſet Coronæ roſaceæ, ſubdit: *Et iam tum coronæ Deorum honos erant, & Larium publicorum, privatorumque; ac ſepulchrorum & Manium: ſummaque auctoritas pactili corona. Sutiles aliorum ſacris invenimus, & ſollennes canis. Tranſiêre deinde ad Roſaria.* &c. Vide eundem capite ſequenti, quod eſt de Roſarum coronis. *Roſa naſcitur & germinat incluſa granoſo cortice, quo intumeſcente & in virides alabaſtros faſtigiato, paulatim rubeſcens dehiſcit ac ſeſe pandit, in calycis medio ſui ſtantes complexa luteos apices. Vſus eius in coronis prope nimius eſt.* Plinianos hos *alabaſtros* noſter Auctor deſignat

gnat per *ſurgentes papillas.* nam *ſurgentes*, omnimodis retinendum. i. e. naſcentes, germinantes, creſcentes. ſic *ſurgere meſſem* Maro 1. Georgicôn, & optimi quique auctores. i. e. creſcere. De *papillis*, neminem morari debet. B. Hieronymus Epiſtola XXVI ad Pammachium, Conſolat. ſuper obitu Paulinæ uxoris: *Quis parturientem roſam, & papillatum corymbum, antequam in calathum fundatur orbis, & tota rubentium foliorum pandatur ambitio, immaturè demeſſum, æquis oculis marceſſere videat?* Quem Plinius *alabaſtrum*, dicit *papillatum corymbum* vir ſanctus. Etſi corymbus racemi ſpecies ſit, hederaceo ſimilis: hic tamen corymbum vocat roſæ nondum apertæ faſtigiatum mucronem. Vetus Epigramma hactenus ineditum, quod ex Codice Salmaſii deſcripſi:

## DE ROSIS.

*O quales ego mane Roſas procedere vidi!*
*Naſcebantur adhuc: neque erat par omnibus ætas.*
*Prima papillatos ducebat .... corymbos;*
*Altera puniceos apices umbone levabat;*
*Tertia non totum calathi patefecerat orbem;*
*Quarta ſimul nituit mutato tegmine floris.*
*Dum levat una caput, dumq; explicat altera nodũ,*
*Huic dum virgineus pudor extenuatur amictu.*
*Ne pereant, lege mane roſam; cito virgo ſeneſcit.*

Lacuna, quæ verſu tertio eſt, videtur commode ſuppleri poſſe, ſi ſcribatur *natæ*, aut *ſpica*. Verſu penultimo τὸ *extenuatur* nonnihil turbat.

turbat. lege cum Salmaſio, *exſinuatur;* & vide Edyllium de Roſis. ubi ſimile. Verſu ultimo adſcriptum erat à docta neſcio qua manu, *cito.* quod videbatur deſiderari. Ex eodem codice ejuſdem fere argumenti Carmen exhibuit olim Salmaſius ad Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores. Nempe hoc, & quidem nomine

FLORI.

*Venerunt aliquando Roſæ. proh, Veris amœni*
*Ingenium! una dies oſtendit ſpicula florum,*
*Altera pyramidas, nodo maiore tumentes;*
*Tertia iam calathos: totum lux quarta peregit*
*Floris opus. Pereunt hodie, niſi mane legantur.*

Auctores ii cum Hieronymo & Auſonio, Roſam in vaſculum explicitam, *calathum* vocant, à ſimilitudine. quæ mox foliis in ambitum læte lateque expanſis, imminere prænunciat caſum ſuum, oſtentans brevis ævi florem. Luſit & hoc argumento Auſonius, (ſive quis alius potius Scholaſticus poeta: nam Edyllium hoc, & quædam alia ejuſdem fere commatis poematia falſò diu credita Maronis eſſe) in Roſas. Quod Edyllium totum, quia belliſſima occaſio eſt, aliquot locis à me interpolatum, heic adſcribam.

ROSÆ. EDYLLIVM VI.

VER *erat: & blando morientia frigora morſu*
*Spirabat croceo mane revecta dies.*
*Strictior Eoos præceſſerat aura iugales,*
*Æſtiferum ſuadens anticipare diem.*
*Errabam riguis per quadrua compita in hortis,*
*Maturo cupiens me vegetare die.*

*Vidi*

*Vidi concretas per gramina flexa pruinas*
*Pendere, aut olerum ſtare cacuminibus.*
*Caulibus & patulis teretes colludere guttas,*
*Et cœleſtis aquæ pondere tunc gravidas.*
*Vidi Pæſtano candere roſaria cultu,*
*Exoriente novo roſcida Lucifero.*
*Rara pruinoſis canebat gemma frutetis,*
*Ad primi radios interitura die.*
*Ambigeres, raperet ne roſis Aurora ruborem,*
*An daret, & flores tingeret orta dies.*
*Ros unus, color unus, & unum mane duorum:*
*Sideris & floris nam domina una Venus.*
*Forſan & unus odor; ſed celſior ille per auras*
*Diſſlatur: ſpirat proximus iſte magis.*
*Communis Paphie dea ſideris, & dea floris,*
*Præcipit unius muricis eſſe habitum.*
*Momentum intererat, quo ſe naſcentia florum*
*Germina comparibus dividerent ſpatiis.*
*Hæc viret anguſto foliorum tecta galero:*
*Hanc tenui folio purpura rubra notat.*
*Hæc aperit primi faſtigia celſa obeliſci,*
*Mucronem abſolvens purpurei capitis.*
*Vertice collectos illa exſinuabat amictus,*
*Iam meditans foliis ſe numerare ſuis.*
*Nec mora; ridentis calathi patefecit honorem,*
*Prodens incluſi ſemina denſa croci:*
*Ac modò quæ toto rutilaverat igne comarum,*
*Pallida collapſis deſeritur foliis.*
*Mirabar celerem fugitivâ ætate rapinam;*
*Et dum naſcuntur, conſenuiſſe roſas.*
*Ecce & defluxit rutili coma punica floris,*
*Dum loquor: & tellus tecta rubore micat.*

*Tot*

*Tot ſpecies, tantosque ortus, variosque novatus.*
*Vna dies aperit; conficit una dies.* (*eſt.*
*Conquerimur, Natura, brevis quod gratia florũ*
*Oſtentata oculis illicò dona rapis.*
*Quàm longa una dies, ætas tam longa roſarum;*
*Quas pubeſcentes iuncta ſenecta premit.*
*Quam modò naſcentem rutilus conſpexit Eous,*
*Hanc rediens ſero veſpere vidit anum.*
*Sed bene, quòd, paucis licet interitura diebus,*
*Succedens ævum prorogat ipſa ſuum.*
*Collige, virgo, roſas, dũ flos novus, & nova pubes*
*Et memor eſto, ævum ſic properare tuum.*

Hoc Edyllium, quod hodie inter Auſoniana legitur, numero VI, Mariangelus Accurſius olim, Hieronymo Aleandro auctore & impulſore, Burdigalenſi poetæ aſſeruit una cum aliis nonnullis opuſculis, quum ea reperiſſent inter Auſonii ſcripta. cuius videbantur potius, quam Maronis: cum quo omnium primò excuſa ſunt. Cujus ſane non ſunt: uti nec fortaſſis Auſonii. Quod in membranis ipſius operibus reliquis conjungantur, ficulneum argumentum eſt: nec ideo ipſius eſſe magis probes, quam quæ circumferuntur Diſticha Moralia, Dionyſio Catoni nunc adſcripta. De quibus vide Eliam Vinetum in hoc Edyllium; & Ioſephum Scaligerum Auſonianarum Lectionũ capite penultimo; quo oſtendit Catonis Diſticha perperam Auſonio attributa Nos è diverticulo in viam tandem redeamus. *Papilla* igitur alabaſtrus, roſæ calyx nondum dehiſcens & patens, convolu-

volutis foliorum paniculis connivens. Epigrammata ſuperiora *nodum* vocant: & Germani hodieque, tam ſuperiores quàm inferiores, *Roſentknopfflin* & *Roſenknopken*. Quare hìc faſcia pectorali aut ſtrophio non opus ad tumorem papillarum cohibendum.

*Vrget.*] propellit, effundit in folia. Hoc Maro *trudere* dixit II. Georgicôn:

*Sed trudit gemmas & frondes explicat omneis.*

De avibus vernantibus Dracontius dixit,

*— vapor urget in uſus Pignoris.* — Vide l. 5. *Vnguet* quorundam, fatuum, inſulſum, & ineptum eſt. Dixi diſerte in MSC. haberi, *Vrget in notos penates.* quomodo edidimus. vix auſi illud *notos* in *nodos*, aut *nudos*, interpolare: cum nonnemini fortaſſe videbitur retinendum, & aliam interpretationem, quam commenti ſumus, comminiſci poterit. Hoc agat. palma in medio poſita eſt. nihil temere mutavimus. Quod ſi hæc nota diſpliceat, deleatur. Pergo cum Poëta. Continuo ſequitur:

Verſ. 15. ——— *Ipſa roris lucidi,*

*Noctis aura quem relinquit, ſpargit hum. a.*] Fortaſſis melius, *Noctis aura quum reliquit.* Vt Virgilius VII Æneid. *Cum venti poſuëre, omniſque repente reſedit Flatus.* —

verſ. 17.

*Lacrimæ micant trementes de cadivo pondere.*] Ita ſcripſi, ut verſui conſuleretur: *de cadivo pondere* vere & ingenioſe conjecerat Lernutius. Sic diſertiſſime in membranis perſcriptum inveni. Sed Lernutius ex monſtroſo

illo *detadum*, faciebat unica voce *decadivo*: nondum enim ad eum elegantiæ pervenerant quæ auctori noſtro familiares, *De Favonii ſpiritu. De caduco pondere. De cruore & oſculis.* & ſic multis locis Præpoſitio *De* occurrit in hoc opuſculo. verſ. 19.

*In pudorem florulentæ prodiderunt purpuræ.*] Suſpicabar,

*In pudorem floris Ennæ prodierunt purpuræ.*

Natas vult jubente Venere roſas purpureas & ardentiſſimi ruboris (Mileſias vocant,) quæ roſas Ennenſes confunderent & colore vincerent. *Campus Ennenſis in floribus ſemper, & in omni vernus die*, ut ait Solinus. Meminitque Cicero VI in Verrem. Et utroque prior Ariſtoteles. Propter campum illum eſt demerſum foramen, quà Ditem patrem ad raptus Liberæ ſeu Proſerpinæ exeuntem fama lucem hauſiſſe, eodem Solino auctore. Claudianus De raptu Proſerpinæ lib. II.

*Enna parens florum.* Et eodem:

*——— nec mollia deſunt*
*Prata tibi; Zephyris illic melioribus halant*
*Purpurei flores, quos nec tua protulit Enna.*

Lib. III.

*Non qualem roſeis nuper convallibus Ennæ*
*Suſpexêre deæ.* —

Ibidem:

*Sic ait, & primâ greſſus molitur ab Enna,*
*Exitiique reos flores, ipſumque rapinæ*
*Deteſtata locum.* —

Quibus locis, & præterea aliis, *Enna* ſcribendum;

dum ; non cum vulgo , aut etiam cum Parrhaſio, *Æthna*. Quin etiam apud Oppianum Halieuticôn III non dubitem reſcribere Ἐνναίοιο pro Αἰτναίοιο. hoc loco:

—— Ἄλλοτ' ὅτε κούρην
Περσεφόνην ἥρπαξεν ἀπ' Αἰτναίοιο πάγοιο.
—— *Sed cùm virginem*
*Proſerpinam rapuit ab Ætnæo monte.*

Imò ab *Ennæo monte*. De quo raptu lege præter Claudianum, Diodori Siculi narrationem initio lib. v. Ovid. IV Faſtor. *Raptus ut Virginis edam*. Meminit & Cicero d. Verrin. VI. item Livius lib. XIV, compluresque alii. Arnobius lib. v. *In nemore Ennenſi quondam flores Proſerpina virago lectitabat*. Et: *Cùm in Siciliæ patulis purpureos legeret nondum mulier flores, ſed adhuc virago Proſerpina.* Idem alibi.

verſ. 21.

*Mane virgines papillas* ] Imperitè interpretantur, nondum compreſſas & maritas. Nullæ aliæ & hîc papillæ , quam quas ſupra deſcripſimus. roſarum nempe, non *ſtrophio luctantes* Catullo in Argonauticis. Miſerè hîc natant , & in tenebris palpant Interpretes.

verſ. 22.

*Ipſa iuſſit, mane ut udæ virgines nubant Roſæ.* ] Ex membranis Salmaſianis apparet, quam feliciter ſic olim de conjectura emendaverit locum alias corruptiſſimum pater Douſa. In MSC. extant veſtigia veræ lectionis: *Ipſa iuſſit manet tute*. Ita librarius ; ſed auctor voluit : *mane ut udæ*. T pro D ſcribere ipſi perfami-

liare & propemodum ſollenne: *Antipotes, Buſiritis, potager, potium, cauſiticus, ſervitus, avitus*, pro *Antipodes, Buſiridis, podager, podium, cauſidicus, fervidus, avidus*, & ſexcenta talia non oſcitanti in eo Codice occurrunt. In hoc Carmine verſ. 26. ſcribit: *Vnico marita noto.* ubi Pithœus aliique recte ediderunt, *nodo*. Et contra, D pro T etiam ſæpiſſime ſcriptum reliquit: *Ad, adque, pudres, prodinus, pladanus, medus, vades, muſta videa*: pro, *At, atque, putres, protinus, platanus, metus, vates, muſta vitea*; & infinita ejuſmodi.

verſ. 23.

*Facta Cypris de cruore, deque Amoris oſculis.*] Cùm in membranis repperiſſem, *Facta prius de cruore*: non, *Fuſta prius*, quomodo Lipſius & Pithœus: *Prius* truncatam vocem (ut multæ aliæ in illo Codice) ſcribendumque omnino cenſui, *Facta Cypris de cruore.* exploſa ea lectione, in qua ſibi mire placet vir doctus, *Fuſa aprino de cruore.* Quâ quoque damnatâ, meam protinus arripuit in confabulatione Cl. Salmaſius, tanquam elegantiſſimam & veriſſimam. *Facta* docuit ille hìc dici pro *nata & creata.* Sic ſupra, *Fecit undantem Dione*, pro *creavit*. Ad quem locum vide quæ nunc dicat, & olim ad Hiſt. Aug. obſervavit.

*Facta Cypris*, &c. Loquitur Auctor de Roſa: *Cypris* eſt genitivus. Inflexio Latina, *Hæc Cypris, huius Cypris*. Non vult hoc loco Cyprin aut Venerem factam creatamve ex ſanguine; ſed Roſam, ex Veneris cruore ortam,

aut

aut purpuratam. Sed dices: Idipſum ſignanter correctione Lipſianâ exprimi, *Fuſa aprino de cruore*. Quæ lectio ab Hiſtoriâ, vel à Fabulâ. Nam Roſas à ſanguine Adonis, quem aper occiderat, traxiſſe ruborem vulgò volunt. Bion, Ovidius, & alii. *Aprinus* adjectivum ab *aper* ſecundùm analogiam quidem dici oportet, ut à *caper* vel *capra* dicitur *caprinus*: *Aprugnum* tamen video ab antiquis uſurpari, conſpirantibus MSSC. Codicibus vetuſtiſſimis. Plautus Perſâ, & Pœnulo habet *aprugnum callum*. Plinius lib. VIII. cap. LI. *Iam Catonis Cenſoris orationes aprugnum exprobrant callum: in tres tamen partes diviſo, media ponebatur, lumbus aprugnus appellata*. Æl. Lampridius in Heliogabalo, *ſumina aprugna*: Quanquam (quid diſſimulem?) Salmaſius ad Hiſt. Aug. Scriptores obſervat in Spartiani Vero, & in vitâ Getę, *aprunam* frequentius ſcriptum in libris MSS. quam vulgg. *aprugnam*. Demus itaque dici *aprinum*: malè nihilominus inepteq; καὶ ἀκυρολόγως dicetur *aprinus cruor*, Adonis quem aper occiderat cruor. Imò hic cruor potius dicendus erat Adoneus; ſi locus eſſet fabulæ, quâ Roſas à ſanguine Adonis colorem traxiſſe putant. Bion epitaphio Adonis, Ovidius X Metamorphoſeôn, alii. De Roſa Luxurius, ſive quis alius illorum temporum poeta, in Codice MSC. Salmaſii:

*Aut hoc riſit Amor, aut hoc de pectine traxit*
*Purpureis Aurora comis; aut ſentibus haſit*
*Cypris, & hic ſpinis inſedit ſanguis acutis.*

 Ejuſ-

Ejuſdem auctoris eſſe Epigraphe oſtendit, cuius ſuperius illud Carmen, quod incipit, O *quales ego mane roſas!* Eidem quoque ſequens attribuitur,

## DE ROSIS.

*Hortus erat Veneris roſeis circumdatus herbis,*
*Gratus ager dominæ: quẽ, qui vidiſſet, amaret.*
*Dum Puer hîc paſſim properat decerpere flores,*
*Et velare comas, ſpinâ libavit acutâ*
*Marmoreos digitos: mox ut dolor adtigit artus,*
*Sanguineãq; manũ, tinxit ſua lumina guttâ,*
*Proruit ad Matrẽ frendens, defertq; querellas:*
*Vnde Roſæ, Mater, cœperunt eſſe nocentes?*
*Vnde tui flores pungunt latitantibus armis?*
*Bella gerunt mecũ. Floris color & cruor unum.*

Quomodo Roſa alba, purpurea & rubra facta ſit, diſce ex Aphthonii Progymnaſmatis, cap. IV. & Conſtantino Cæſare de R. R lib. XI cap. XVIII. *Adonide occiſo*, aiunt, *Venerem nudis pedibus ingreſſam eſſe ſilvam, ibique ſpinis compunctam emiſiſſe cruorem. inde Roſam, quæ priùs eſſet alba, aſpergine contactam cœpiſſe rubere.* Ex Veneris vulnere itaque hunc ruborem contraxêre. Vide Miſcellanea Politiani cap. XI. Brodæi lib. VII. cap. VII. & cap. X. Alii aliter originem Roſæ narrant. Auſonius in Cupidine Cruci-affixo;

*Quædam, ignoſcentum ſpecie, ludibria tantùm*
*Sola volũt: ſtilus ut tenuis ſub acumine puncti*
*Eliciat tenerum, de quo Roſa nata, cruorem.*

Et paulo infra:

Ro-

—— *Roſeo Venus aurea ſerto*
*Mœrentẽ pulſat Puerum, & graviora paventẽ.*
*Olli purpureum multato corpore rorem*
*Sutilis expreſſit crebro Roſa verbere; quæ iam*
*Tincta prius, traxit rutilum magis ignea fucũ.*

Ex Roſâ Alabandicâ Plinianâ, albicantibus foliis. (quæ vulgò Provincialis) factam vult Mileſiam; cuius purpura ſatura, & ardentiſſimi coloris. De quâ Plinius. Noſtrâ vernacula linguâ hanc *bruyne roode rooſe*, alteram illam *Provenſche rooſe* appellamus.

Ibid.

— *Deque Amoris oſculis.*] Video V. Cl. Iohanni Meurſio, amico quondam meo conjunctiſſimo, nunc Minervæ Danicę Adſeſſori, placuiſſe, *Deque Adonis oſculis.* Quam lectionem adnotarat ad oram libri ſui, qui nunc penes Henricum Delmanhorſtium, Medicinæ & amicitiæ noſtræ veterem, nec humillimi ſpiritus poëtam.

V. 25. & 26.

*Cras ruborem, qui latebat veſte tectus igneâ,*
*Vnico marita nodo non pudebit ſolvere.*

Dicit: Roſa Veneris, ſeu Roſæ potius globus nondum explicitus, perfuſus nocturno rore & maritis imbribus, ſolvet mane unum nodum, dehiſcente calyce. Folia roſarum adhuc inter ſe connexa, necdum tota patentia, *nodos* vocat. Vidimus ſupra in Epigrammatis recens erutis:

*Dũ levat una caput, dumq; explicat altera nodũ.*

Item:

*Altera pyramidas nodo maiore tumentes.*

Alludit autem ad ritum Nuptialem. De quo Feſtus: *Cingulo nova nupta præcingebatur, quod vir in lecto ſolvebat, factum ex lanâ ovis: ut ſicut illa in glomos ſublata conjuncta inter ſe ſit, ſic vir ſuus ſecum cinctus vinctusque eſſet. Hoc Herculanei nodi vinculum vir ſolvit ominis gratia: ut ſic ipſe felix ſit in ſuſcipiendis liberis, ut fuit Hercules, qui ſeptuaginta liberos reliquit.* Et: CINXIÆ IVNONIS *nomen ſanctum habebatur in nuptiis, quòd initio coniugii ſolutio erat cinguli, quo nova nupta erat cincta.* Apud Nonium Marcellum Varro Γεροντοδιδασκάλῳ: *Novus maritus tacitus taxim uxoris ſolvebat cingulum.* Ex eodem Varrone B. Auguſtinus adſtruit *Virginenſem Deam fuiſſe, cui Virgines ſolvebant zonam.* de Civitate Dei lib. IV. cap. XI. Hinc Catullus, carm. II. de paſſere:

*Tam gratum eſt mihi, quàm ferunt puellæ*
*Pernici aureolum fuiſſe malum,*
*Quod zonam ſolüit diu ligatam.*

Item Epithalamio Manlii & Juliæ:

——— *Tibi virgines*
*Zonulâ ſolvunt ſinus.*

Et in dialogo cum Januâ:

*Ne quærendũ unde unde foret nervoſius illud*
*Quod poſſet zonam ſolvere virgineam.*

Docuit verò Scaliger *zonam ſolvere* aliter Romanis, aliter Græcis accipi. Nam Latinis zonam ſolvere dicitur, quæ traditur viro: Græcis autem, quæ primùm parit. Vide ad

Paſ-

Paſſerem Catulli, Achillem Statium. & quem dixi Scaligerum.

Verſ. 30.

*Eſſe Amorem feriatum, ſi ſagittas vexerit.*] Sic ex ſuo exemplari Pythœus, neque aliter Salmaſianum. quare retinendum. Meurſius in ora libri, *texerit.* malè. Meliores codices Prudentii, contra Symmachum lib. II. v. 535.

*Non armata Venus, nō tunc clypeata Minerva*
*Vexêre auxilium.* — Aliàs, *Venêre auxilio.*

Verſ. 35.

*Totus eſt inermis idē, quando nudus eſt Amor.*] Ita diſertiſſimè in membranis perſcriptum. Ut ſententiæ conſuleretur, correxêre viri docti: *Totus eſt in armis idem.* Quod metrum vix concedat, niſi licentiam poeticam ſæculi barbari excuſemus. Potuiſſet ſcribere: *Totus eſt armatus idem.* aut: *Neutiquam eſt inermis idem.* Simile quid debuiſſet. Aut trajectione conſtituendus locus:

*Eſt in armis totus idem.*

Sic laboranti verſui ac ſenſui medebitur. Quod non diſplicet Salmaſio. qui optimè hunc locum interpretatus eſt.

Verſ. 42.

*Iam tribus chorus* (leg. *choros*) *videres feriatis noctibus.*] Hæc vetuſtiſſimi Codicis ſcriptura, & editionis Patiſſonianæ. Lipſius edidit, *feriatos:* & melius, judicio Pythœi. Atqui non rogatur Diana, aut invitatur, trinoctio & pervigilio triduano jam finito. Reliquit auctor, *feriantes.* Librarius ſcripſit, *feriātis*, id

 eſt

eſt, *feriantes*. Sic non longè ab initio ſcriptũ, *Implicat gazas virentis*. Et in Pythœanâ editione, *Ipſa ſurgentis papillas*. Id eſt, *virentes*, & *ſurgentes*.

Verſ. 46.

*De tinente tota nox eſt*, &c.] Ita V.C. Si cum Salmaſio idiotiſmum illius ævi phraſinque Gallicam non admiſeris, dic aliquem, dic, Quintiliane colorem. Non variat exemplar Pythœi: niſi quòd in eo *t* litera ſuperflua ſit: *Detinentettota*. Plurimas in animo meo concenturio conjecturas: ſed omnes vanas. Salmaſio melius divinent, qui ſe id poſſe ſperent.

Verſ. 50.

*Præſes ipſa iura dicet, adſidebunt Gratiæ.*] Ita de conſilio nobiliſſimi Douſæ ſcripſi: & exigente carminis lege. Nam quod in Pythœi & Salmaſii codicibus eſt, *adſederunt Gratiæ*, perquam inſolens: nec locus iſte ſpondæum admittit. Niſi & hìc ad licentiam poeticam barbari ſæculi provocemus.

verſ. 51. & 52.

*Hibla totus fundet quidquid annus adtullit,*
*Hibla florũ ſupereſtem quantus eTnec cãpus ẽ.*] Locus prorſus depoſitus: nec quicquam auxilii video. Ita enim membranæ quibus utimur. nec integriores ſchedæ Pythœi: niſi quod priore verſu ſcribant, *Hibla totos funde flores quicquid*. poſteriore, *Hibla florum rumpereſt equant'*. Vbi τὸ *rum* manifeſtò repetitum ex fine *florum*. Cetera divinet Phœbus.

bus. ego non poſſum. niſi novus Alexander ad Gordium nodum acceſſero, trajectis hemiſtichiis:

*Hybla totos funde flores quantus Ennæ cãpus eſt,*
*Hybla florũ ſubde meſsẽ quotquot annus attulit.*

Aut, *funde meſſem.* Sed quid nugamur?

Verſ. 54.

*Quæque ſilvas, quæque lucos, quæque fontes incolunt.*] Ita correxi de conjectura. Scripti atque editi omnes: *quæque montes.* Atqui *puellas montium* adfuturas, jam dixerat præcedente verſu. Verſ. 58.

*Cras amet, qui nunquam amavit.* &c.
*Ex recentibus virentes ducat umbras floribus.*]
Locum integrum, nec mutilum eſſe non auſim affirmare. Inconcinna mihi hæc & frigida admodum cum præcedentibus & ſequentibus connexio, valdeque à lepore hujus poetæ aliena videtur.

Verſ. ſeq.

*Cras erit quo primus Æther copulavit nuptias,*
*Vt pater totis crearet vernus annum nubibus.*

Ex Pythœi ſchedis editum, *crearet.* Membranæ noſtræ, *creavit.* Ita ut legendum videatur: —— *copulavit nuptias,*

*Et pater totis creavit vernus annum nubibus.*

Initio huius Poematii: *Ver renatus Annus eſt.* vel: *Vere natus Annus eſt.* Arriſit mihi imprimis doctiſſimi Pythœi *vernus pater.* De quo vide ejus Notas.

Verſ. 63.

*Ipſa venas atque mentem, permeante ſpiritu* &c.

&c.] Secuti ſumus membranas. Ex quarum veſtigiis emendabat Salmaſius :

*Ipſa venas atque mentem permeantis ſpiritus*
*Intus occultis gubernat procreata viribus.*

Aliò nos ducit Pythœus: apud quem, *procreatrix viribus.* Diſertè V.C. *procreatis.* & verſu antecedente, *permeanti.* i. e. *permeante.* Mihi divinatio ſub manu nata :

*Ipſa venas æquè amantum permeante ſpiritu*
*Intus occultis gubernat precreatrix viribus.*

Ipſa Venus, inquit, creatrix, ut creator Æther. &c.

Verſ. 66.

*Pervium ſui tenorē ſeminali tramite Imbuit-*]
Lego & diſtinguo:— *perque pontum ſubditum*
*Pervia, in ſui tenorem, ſeminali tramite*
*Imbuit, iuſſitque mundum noſſe naſcendi vias.*

Vix puto aliud commodius adferri poſſe.

Verſ. 71.

*Moxq; Marti de ſacello dat pudicā virginem,*
*Romulumque: cum Sabinis ipſa fecit nuptias* ]

Exigente omnino ſententiâ ita hunc locum conſtitui. Meum immane (vereor, ne immune) facinus eſt : cùm legatur in omnibus, etiam noſtro MSC.

*Romuleas ipſa fecit cum Sabinis nuptias.*

Quod quidem non prorſus damnarim : ſed concinnior & potior mihi viſa eſt hęc lectio. ſi non vera ; ſaltim veroſimilis.

Verſ. 73.

*Vnde Ramnes, & Quirites.*] Cùm in manuſcripto exemplari extet, *Vnde ſamnes & quirites :*

*tes:* nullo negotio feceris,

*Vnde ſanguis, & quirites.*

*Sanguis*, pro genere & ſtirpe. Maro I. Æneide:

*An Phœbi ſoror, an Nympharũ ſanguinis una.*

Et initio II: — *quo ſanguine cretus.* Ubi Servius: *Quibus ſit parentibus natus.* Denique VII:

— *tu ſanguinis ultimus auctor.*

*Quirites.*] cives. In funeris indictivi formulâ: *Ollus quiris leto datus.* quod ſingulare nomen etiam uſurpant alii auctores non incelebres. Sequitur in Auctore noſtro:

—— *proque prole poſterûm*

*Romuli matrem crearet & nepotem Cæſarem.*

In hac lectione conſentiunt Pythœi & Salmaſii exemplaria. quam tamen falſam pronunciat Lipſius, & corrigit,

*Romuli patrem crearet & nepotem Cæſarem.*

Ut hæ blanditię in gratiam Auguſti ſint quęſitæ; ſcriptumque Carmen in ejuſdem imperio: *Pater Cæſar* ipſi Divus Julius eſt, & *nepos Cæſar*, Auguſtus. Quam ſententiam ſequitur Pythœus, ut vara vibiam. Aliò nos rapit conſenſus duûm librorum, qui *matrem* retinent. Scribo:

——— *perque prolem poſteram*

*Romuli, Mater creavit & nepotem Cæſarem.*

*Mater* eſt ipſa Venus. Pluribus alias.

Verſ. 76.

— *rura Venerem ſentiunt*] *Venerem rura ſentiunt.*

Verſ. 81.

*Ecce, jam ſuper geniſtas * explicataonii latus.*]

Mon-

Monſtroſam ſcripturam exhibere, quàm conjecturas, hoc loco ſatius duxi; conſpirantibus Salmaſii & Pythœi codicibus. Pythœus legebat, *explicant tauri latus.* Placetque impenſè hæc lectio amico meo in ſuis ad me literis. Alioquin ego adnotaram in adverſariis : *explicant vaccæ latus.* cùm Calpurnius idem dicat, Ecloga I.

*Cernis ut, ecce, pater quas tradidit, Ornite, vaccæ*
*Molle ſub hirſutâ latus explicuēre geneſtâ!*

Vides eadem prorſus verba de vaccis.

Verſ. 82.

*Quiſque tutus quo tenetur conjugali fœdere.*] Supra fuſè indicavi, librarium antiquum T pro D frequenter exarare, & contra. Oſtenſumque eſt VTE pro VDÆ ſcriptum. Nunc mihi in mentem venit, an non hoc loco eadem ſcribendi ratione uſus librarius, *QuiſquE Tutus*, nobis obtrudat pro *Quiſque & udus*. Quod explicare non permittit pudor : pigetque ineptiarum.

verſ. 86.

*Adſonant Terei puellæ.* ] Ex codicis ſui ſcriptura ita belle Pythœus. Sed lectionem Salmaſiani exemplaris omnino recipiendam eſſe, *Adſonat Terei puella*, docent ſequentia. Ita igitur repone.

FINIS NOTARVM
IN PERVIGILIVM.

Pag. 199. *Nemo tentis*, &c.

Ianus Douſa filius in Notis ſuis ad Pervigilium producit fragmentum ex altero quodam Pervigilio Veneris, elegantiſſimo, inquit, ſed nimis Latino. quod nonnemo ſuperiori Pervigilio continuandum eſſe contendit; motus geminâ germanâ utriuſque ſtili elegantiâ ac lepore, adeo pari ac ſimili, ut ovum ovo magis eſſe non poſſit. Sed vel ſolum refragetur ei intercalare diſſimile: ut alia heic ſinam præterfluere. Hoc Douſæ ab amico erat communicatum; qui integrum aliubi in Gallia extare aſſeverabat. Sed mentiebatur: & impoſitum eſt nobiliſſimo atque optimo juveni. Quid multis? Suppoſititium eſt hoc fragmentum: quod cùm mihi jamdiu valde ſuſpectum eſſet, ita in opinione veteri me confirmavit literis ſuis Cl. Salmaſius:

P. S. CL. S. S. D.

De monſtroſa voce *Veſticontubernii*, & de *Contubernio* quod promiſi nuper me teſtimoniis idonei auctoris planum facturum, ea voce non tantum intelligi contubernalium cœtum, ſed & tentorium ipſum ſive tabernaculum ſub quo contubernales. Tacitum tibi, quo id evincam, allegabo. Nec meliorem puto requires. Annali primo: *Non obtrectari à ſe urbanas excubias, ſibi tamen apud horridas gentes è contuberniis hoſtem aſpici.* An non heic *contubernia* ſunt tabernacula militum? Eodem

dem libro: *Progrediuntur contuberniis, quis ille flebilis ſonus, quod tam triſte*.&c. Et paulo inferius in eodem Annali: *Tunc ſigno inter ſe dato, irrumpunt contubernia, & trucidant ignaros.* Annali xv: *At illi vix contuberniis extracti, nihil aliud quam munimenta propugnabant.* Nempe, tabernaculis ſuis & tentoriis. Sed planiſſimè idem auctor Hiſt. lib.1. caſam ſive tugurium publici ſervi *contubernium* appellavit. *Piſo*, inquit, *in ædem Veſtæ pervaſit, exceptusque miſericordia publici ſervi & contubernio eius abditus, non religione nec cæremoniis ſed latebra imminens exitium differebat*. Græci quoque recentiores κοντουβέρνιον non aliter accipiunt. Hinc liquet quid ſit apud Arbitrum *veſte contubernium facere*. pro quo Criticis noſtris male feriatis placuit unicam monſtroſam vocẽ facere *Veſticontubernium*; quam elegantiarum ille arbiter longè à ſe meritò ſpernat ac reſpuat. Inde ſumpſit auctor fragmenti ſuppoſititii,

*Cum puellis dulce inire veſticontubernium.*

Quod procuſum eſſe ab eo qui primus prodidit, tam ſum certus quàm me vivere. *&c.*

Hactenus Salmaſius.

Petronii locum integrum, ut res tota uno oculorum ictu perſpici poſſit, adſcripſi: *Oſculisque tandem bona fide exactis, alligo artiſſimis complexibus, fruorque votis uſque ad invidiam felicibus: cum Aſcyltos furtim ſe foribus admovit, diſcuſſisque fortiſſime clauſtris, invenit me cum fratre ludentem. Riſu itaque plauſuque cel-*

*lu-*

*lulam implevit: opertum me amiculo evolvit, Et quid agebas, inquit, frater ſanctiſſime? quid, veſticontuberniumfacis?* In quem locum Collectanea Lutetiana: Sic *Veſticibaria* Cæſari. At verò doctiſſimus Turnebus alibi in Adverſariis interpretatur de iis qui ſub eadem veſte cubant, verbo juncto: atque id ille perquam venuſtè dictum putat. Quod Douſæ patri non ſit veroſimile; & duobus verbis potius reſcribendum autumat, *Veſtæ contubernium:* ut reſpondeat ironiæ præcedenti, qua eundem *fratrem ſanctiſſimum* appellavit. quem videri vult à Veſtalium caſtimoniâ quamlongiſſimè abeſſe. Haud dum placet mihi Douſicus iſte *Veſtæ contubernalis,* licet felicis conjecturæ alite erutus & elegantiarum arbitro reſtitutus ipſi videatur. Diſplicet etiam Turnebiana combinatæ dictionis aſſertio. Vtraque manu amplectar lubens merito elegantem, ita me Dì ament, & auctore ſuo dignam, duarum vocularum diviſionem. Nec Cenſorem aliquem extimeſco, qui inſuſurret auribus: *Sic dividere cum fratre nolito.* Videatur, ſi operæ, de *veſticontubernio* Georgius Erhardus, ſive quis alius auctor, in Symbolis ad Petronium. Aut expunge potius hoc vocabulum ex Albo L. L. Sub eadem veſte fratres cubaſſe, arguit res ipſa: nam Aſcyltos ſuperveniens fratrem opertum amiculo evolverat.

Noli verò mirari Douſam mangonio deceptum. Tu mihi conſidera quæ initio Notarum in Varronem de R. R. notavit dæmoniũ

hominis Ioſ. Scaliger: Producam, inquit, locum veteris Comici Trabeæ ex fabula Harpace, tum propter ſententiæ elegantiam, tum etiam quia verſus nondum vulgo noti ſunt:

*Here, ſi querelis, ejulatu, fletibus,*
*Medicina fieret miſeriis mortalium,*
*Auro parandæ lacrumæ contra forent:*
*Nunc hæc ad minuenda mala non magis valent*
*Quam nænia Præficæ ad excitandos mortuos.*
*Res turbidæ conſilium, non fletum, expetunt.*

Quis tam averſus à Muſis, tamque humanitatis expers, qui horum publicatione offendatur? quod ſi hi placent, non gravabor & alios ejuſdem notæ, ſed alius poetæ, adhibere, qui tanquam ſuperiorum gemini & germani ſunt. Sunt autem Accii, veteris ac graviſſimi Tragici, ex Oenomao:

*Nam ſi lamentis allevaretur dolor,*
*Longoque fletu minueretur miſeria,*
*Tum turpe lacrumis indulgere non foret,*
*Fractaque voce Divûm obteſtari fidem,*
*Tabifica donec pectore exceſſet lues.*
*Nunc hæ neque hilum de dolore detrahunt,*
*Potiusque cumulum miſeriis adiiciunt mali,*
*Et indecoram mentis mollitiam arguunt.*

Qui verſus hactenus latuerunt, eosque nunc primum in vulgus publicamus. quorum priores Trabeæ mihi ad verbum è Philemone (*vel Menandro, ſecundùm alios,*) mutuati videntur: qui eandem ſententiam extulit: Εἰ τὰ δάκρυ' ἡμῖν, &c. Hæc illuſtris heros. qui poſteaquam dolum perſenſit, præ indignatione hoc

hoc diſtichon, quod mihi de manu in manum vivus videnſque olim tradidit, ex tempore luſit:

*Qui rigidæ flammas evaſerat ante Toloſæ,*
*Falſidico fumos vendidit ore mihi.*

Virum diſertum deſignans, cujus nomini heic parco. Heroe (æterno, heu, doctorum omnium dolore) defuncto, incidi in Poſthuma quædam ſcripta M. A. M. C. R. & inter poemata repperi hæc

*AFFICTA TRABEÆ.*

*Here, ſi querelis, ejulatu, fletibus,* &c.

prorſus eadem cum iis quæ ſupra recitavi. Illud alterum ex Actii Oenomao fragmentum nuſquam comparet: præterquam in Ritterſhuſii ad Oppianum Commentario: ubi Trabeæ & Actii hos verſus, elegantes & memoria digniſſimos (ut ipſe vocat) producit, tranſcriptos & mutuatos ex Notis Scaligeri.

Paulo vero aliter hunc locum ex Philemone reddidit ante centum & quod excurrit annos Andreas Naugerius, patricius Venetus:

EX PHILEMONE.

*Si quid remedî lacrumæ adferrent malis;*
*Minorque ſemper fieret lugenti dolor:*
*Auro purandæ lacrumæ nobis forent.*
*Sed nil, Here, iſtæc proſunt: res ipſæ nihil*
*Moventur iſtis: ſive tu ſemper fleas,*
*Seu nunquam, eandem pergere inſiſtent viam.*
*Quid his juvamur ergo? nil certe: at dolor,*
*Vt ipſa fructus arbor, ſic lacrumas habet.*

 Apud

Apud Naugerium ſequitur EX MENANDRO:

*Nam ſi te alumne genitrix cum peperit tua, &c.*

Apud Editorem reliquiarum M.A.M. alia itidem non contemnenda. Quæ vide: & interim examina POENITENTIAM Phędri fabulatoris; num quid elegantibus illis Fabulis ſcelere alicujus impoſtoris acceſſerit mangonii. De quo alibi.

P. S.

# P. S. ANIMADVERSIONES IN FLORIDA, *ſive* FLORIDOS.

Pergimus cum Lipſio, qui Pervigilio ſubjunxit ejuſdem poetæ ( ut ipſi videntur ) verſus quoſdam hac Epigraphe :

FLORIDVM DE QVALITATE VITÆ. Hos etiam in ſchedis ſuis repperit Pythœus, ediditque aliquanto meliores in Collectione Epigr. veterũ: non conjunctos & continuata ſerie, ſed variis locis ſparſos. Primũ fragmentum, ſive Floridum, legitur Epigr. pag. 4. Secundum, pag. 191. adſcripto nomine FLORIDI. Tertium, pag. 2. Quartum, pag. 191. Quintum, pag. 23. Sextum, pag. 22. ſub nomine itidem FLORIDI. Septimum pag. 23. Octavum, pag. 156. In Indiculo tamen Auctorum nullum *Floridum* agnoſcit. Hoc ordine, quo excuſi ſunt, leguntur in vetuſtiſſimo exemplari, quod mecum humaniſſimè Cl. Salmaſius communicavit. Eodemque ordine editi ſunt in Catalectis Veterum poetarum, ad calcem Petronii, ex editione Mamerti Patiſſonii : addito FLORIDI nomine. Membranæ, quibus utimur, FLORI nomen aſſerunt : atque etiam inſigniunt titulo, *De qualitate vitæ.*

Primo ſtatim verſu ſcribendum fortaſſis, *plenis adſis utribus*: pro, *plenis adſis vitibus*. Vinum utribns commiſſum, quis neſcit? Anonymus commentator in Germanici Aratea Phænomena, ad Canem: *Icarius a Libero hoſpitio receptus eſt. qui ei in munere utrem plenum vino tribuit, iuſſitque ut in reliquas terras propagaret*. Cave tamen quicquam temere mutes. Membranæ *vitibus* retinent.

In quarto verſu ſcribendum auctoritate juſdem exemplaris: — *ne malignis venulis,*

*Aſperum ducat ſaporem verſus uſum in alterum.*

Tertio fragmento:

*Ambo de comis calorem & * radio conſerunt.*

Optime hunc verſum MSC. Codex explet:

*Ambo de comis calorem vite & radio conſerunt.*

Quod jampridem ad Ælium Spartianum in vita Hadriani monuit Cl. Salmaſius.

Quarto:

*Nulla ſit deinde finis*. Patiſſonii editio: *N. ſit exinde f.*

Ibid.

*Creſcit arbor, gliſcit arbor, ramus implet literas.*

Diſerte MSC. *gliſcit ardor*. Quæ vera lectio.

Sexto: —— *mille habent offugia*. Sic Patiſſ. Ed. MSC. *officia*. & emendatum *offucias*. quod rectum; ſic in Pythœana Collectione. & verſu ſequenti, *per orbem*, non *urbem*.

Septimo:

*Tam malum eſt audere ſemper, quam malum eſt ſemper pavere.*

Sic quoque in Collectione Epigrammatum,

& Pa-

& Patiſſ. Ed. Cùm τὸ *pavere* non ferret verſus, emendabat Lipſius, *pavor*. Membranæ: ꝑ *pudor*. Rectè, & optimo ſenſu.

Quis hic ſit FLORVS vetuſtiſſimi codicis Salmaſiani, neſcitur. Dubitari autem non poteſt, quin hic idem ſit Florus poeta, cujus Epigramma ἀνέκδοτον de Roſis, una cum aliis legi non indignis, ad Pervigilium edidimus, fide earundem membranarum. De alio poeta cognomine, qui ſub imperio Hadriani vixit, cujuſque meminit Spartianus, diſſerit præſtantiſſimus Salmaſius: putatque eundem illum Florum eſſe, cujus elegantiſſimum Hiſtoriæ Romanæ breviarium habemus. Hic noſter Florus fortaſſe an Pervigilii auctor, & poſthac illud ejus nomine indigitandum. Aut Luxurius, cuius multa epigrammata poematiaque in eodem Codice MSC. qui, ut inde conſtat, Carthagine ſcripſit, floruitque ſub Traſimundo Vandalorum rege. Caſpar Barthius eundem auctorē facit horum verſuum & Pervigilii, Adverſ. lib. LVI. cap. V. Sed quod lib. XVI. cap. VI. & lib. XLIV, c. VI. Pervigilium SENECÆ tribuat, mihi prorſus ridiculum videtur. Fides ſit penes auctorem. Exemplar vetus, ſiquidem extet, videre equidem velim, & omnes ſinus excutere. Teſtatur de univerſo hoc Carmine, ſe ſcriptum exemplar habere, ubi SENECÆ adſcribitur expreſſe. Hæc ille uno loco: altero, hæſitantior de eodem Poematio loquitur. *Auctor Pervigilii Veneris*, inquit, *nec Catullus, nec Vrbicarius: fortè* SENECÆ.

## P. P.

# NOTÆ IN FLORIDA,

## Ex Editione Patiſſoniana, ANNO 1587.

Florido I. — *plenis adſis vitibus,*
*Effluas dulcem liquorem.* — ]
An potius?
——— *lenis adſis vitibus,*
*Et pluas dulcem liquorem* —

Ibid. — *ne malignis ſuenulis,*
*Aſperum dicat ſaporem verſus uſus in alteros.*
Fortaſſis melius,
— *ne malignis venulis*
*Aſperum ducat ſaporem verſum in uſus alteros.*

Florido III. *Ambo de comis calorem & radio conſerunt.* ] Videtur repetendum illud *ambo*, & legendum:
*Ambo de comis calorē & ambo radios conſerunt.*

Flor. IV. *Creſcit arbor, gliſcit arbor.* ] Melius, *gliſcit ardor.* Et hìc facile agnoſcas Virgiliana illa ex Theocrito:
——— *teneriſque meos incidere amores*
*Arboribus: creſcent illæ, creſcetis amores.*

Flor. V. *Qui mali ſunt, non fuere matris ab alvo mali.*] Verſus ratio poſtulat ut legamus *abs alvo*, vel potius, *ex alvo.* Expreſſit verò Theognidis illud ad verbum:

*Οἱ κακοὶ οὐ πάντως κακοὶ ἐκ γαστρὸς γεγόνασιν,*
*Ἀλλ' ἄνδρεσσι κακοῖς συνθέμενοι φιλίην.*

Flor. VI. — *mille habent offugia.*] Emenda, *offucias.* Id eſt, ut Sextus Pompejus interpretatur, fallacias. A. Gellius Noctium Atticarum lib. XIV. cap. I. de Chaldæis: *Sed id præſtigiarum atque offuciarum genus commentos eſſe homines æruſcatores.* Plautus Captivis:

*Ita mihi ſtolido ſurſum vorſum os ſublevêre offuciis.*

Idem Moſtellaria:

*Neque ceruſſam, neque melinum, neque ullam aliam offuciam.*

Flor. VII. *Nemo non hæc vera dicit, nemo non contra facit.*] Expreſſit & illud veteris poetæ Græci *εἰς γάμον*:

*οὐκ ἔστι γήμας ὅστις οὐ χειμάζεται*
*λέγουσιν πάντες, καὶ γαμοῦσιν εἰδότες.*

IVSTVS LIPSIVS DE CRVCE, *lib.* 1, *cap.* v.

Duplex genus Crucium ſtatuo, *Simplex* & *Compactum*. Illud voco, *cùm in uno ſimplicique ligno fit affixio, aut infixio.* Quæ Crux, meo judicio, prima fuit, & in aliam ſpeciem à rudi hac ventum. Nam aliàs ad arborem ſive ſtipitem alligabant figebánt've hominem: ut in *Cupidine crucifixo* Auſonii, quem arboris ſtipite appenſum, non manibus expanſis, ſed à tergo devinctis; pedibusque non clavis, ſed funibus ſubſtrictis deſcribit, verſ. 56.

*Eligitur mœſto Myrtus notiſſima luco.*

*Idem in Notis.*

—— *Cruciaverat illic*

*Spreta olim, memorem Veneris, Proſerpina Adonim.*] Auſonius fabellam aſpicit, quæ eſt iſta. Venus jam olim puerum hunc deamaverat, & ut ſola frueretur, clam depoſuerat apud Proſerpinam. Sed hæc mox in eâdem flammâ: ac repetenti Veneri negat dare. Lis eſt, itur ad Iovem. Ille rem ſic componit, ut Adonis, quod ad uſum, in tres anni partes ſecaretur. Primâ, ut Adonis Adonidis eſſet: ſecundâ, ut Veneris: tertiâ Proſerpinæ. Acquieverunt. ſed enim Adonis pronior in Venerem, ſuum quoque trientem illi tribuit. Hæc Apollodorus lib. III. Bibliothecæ. Ergo iſtud eſt, quod Proſerpina nunc cruce vindicat. Theocritus & ipſe huc aſpexit Eidyll. XV. *Vide Lipſium.*

ELIÆ VINETI

# RELIQ. COMMENTAR.

IN

## AVSONII
## Cupidinem Cruci-affixum.

Pag. 219. *Mirator Narciſſus.*] Auſonii Epigramma xcv, de Narciſſo ſui ipſius amore capto:

*Si cuperes alium, poſſes, Narciſſe, potiri.*
*Nunc tibi amoris adeſt copia: fructus abeſt.*

De eodem Epigr. xcvi:

*Quid non ex huius formâ pateretur amator,*
*Ipſe ſuam qui ſic deperit effigiem?*

De inſano Narciſſi amore, atque in florem ſui nominis transformatione, legendus Ovidius tertio Metamorphoſeon.

Ibid. *Mirator Narciſſus, & Oebalides Hyacinthus.*] In Technopægnio, verſ. 69. & 70:

*Solamen tibi, Phœbe, novũ dedit Oebalius flos,*
*Flore alio reus eſt Narciſſi morte ſacer fons.*

Ibid. *Mœret in antiquam Canis revocata figuram.*] Epigr. lxiix. De iis quæ ſexum mutarint:

*Canéa convertit proles Saturnia Conſus.*

Cæneus Elati filius, Magneſius, auctore Hygino, primùm Cænis puella fuit; quam pro concubitus præmio, in virum transformavit

Neptunus, Saturni filius. Ovidius duodecimo Metamorphoſeon, & Phlegon Trallianus de Mirabilibus & longævis.

Pag. 220. *Paſiphäe nivei ſequitur veſtigia tauri.* ] Dædalus faber inſignis vaccam fecit ligneam, & veræ vaccæ corium induxit: in qua incluſa Paſiphae, uxor Minois regis Cretæ inſulæ, à tauro fuit inita. Cujus infandum amorem illi Venus objecerat. Hyginus, Philoſtratus in Iconibus, Servius in ſextum Æneidos. Meminit idem Auſonius Epigr. LIX: & Epigr. LXV, Ad taurum, de Myronis buculâ:

*Quid me, taure, paras, ſpecie deceptus, inire?*
*Non ſum ego Minoa machina Paſiphäa.*

Ibid. *Reſpicit abiectas deſperans Phædra tabellas.* ] Theſeus Athenienſium rex patres habuit deum Neptunum, & Athenarum regem Ægeum; at matrem Æthram. Illi filius fuit Hippolytus ex uxore Hippolyta, ſive, ut alibi legitur, Antiopa. Qua mortua, Phædram Minois regis Cretæ inſulæ filiam duxit Theſeus. Hæc privignum ſuum egregia forma juvenem, amore capta, marito abſente, de ſtupro inrerpellavit. Hippolytus, qui cunctarum alioqui mulierum commercium averſabatur, tantum ſcelus exhorruit. Quem contemptum Phædra impatientius ferens, litteras ad Theſeum dedit, quibus ab Hippolyto ſe per vim ſtupratam mentiebatur: & ſuſpendio ſe necavit. Theſeus litteris conjugis credidit: & quum non facile poſſet ipſe de filio

pœnas

pœnas ſumere, patrem Neptunum rogavit, ut Hippolytum puniret. Neptunus itaque è mari phocam, vitulum marinum, immanem emiſit; cujus forma & horribili mugitu, equi, quibus junctis Hippolytus ſecundùm mare vehebatur, territi, dominum ſuum diſtraxerunt. Diana autē quum Hippolytum propter caſtitatem unice carum haberet, eum in vitam per Æſculapium fratris filium Apollinis revocavit: indeque Latini pro Hippolyto Virbium, quaſi Bis-virum, vocaverunt. Narratur autem hæc fabula de Hippolyto lib. XV. Metamorphoſ. Ovid. Euripidi, Senecæque in Tragœdia Hippolyto, Hygino, Servio, & aliis.

Ibid. *Hac laqueum.* ] Epigr. XC.

*Phædra & Eliſa tibi dent laqueū, aut gladium.* Phædra amoris impatientia ſe ſuſpendit, ut jam diximus. Eliſa Dido gladio incubuit. De quâ præter Auſonii Epigr. CXI. & ἀδεσπότων Anthologiæ lib. IV. Virgilius in Æneide.

Ibid. C*anace.* ] Fuit hæc Æoli ventorum regis filia. quæ miſſo à patre gladio ſe interfecit, quum ex ſuis & fratris nefandis amoribus concubituque natus puer eſſet. Hyginus. Canaces litteræ Macareo apud Ovidium.

Pag. 221. —— *cruciaverat illic*

*Spreta olim memorem Veneris Proſerpina Adonim.* ] Epigr. XXIX. *Adoneum.* legitur & *Ædoneum* prima diphthongo, ut Ἀιδωνεὺς ille, Epigrammate præcedenti. Eſt autem *Aidoneus* Pluto inferorum deus, & quidem Moloſ-

ſorum

ſorum rex in extremo Theſeo Plutarchi: at *Adoneus* prima brevi, Adonis, ut mox docebimus. Plutoni verò & Adonidi eadem attribuuntur apud Macrobium primo Saturnaliorum, & in Hymnis Orphei; ut idem numen eſſe videatur, quare utro modo legas, non multum interfuerit. Sed *Adoneum* prima brevi malo, intelligoque, ut Lilius, Adonidem illum, Veneris deæ amores & delicias: quomodo apud Plautum in Menæchmis:

*Dic mihi, nunquid vidiſti unquam tabulam pictam in pariete,*
*Vbi aquila catamitum raperet, aut ubi Venus Adoneum?*

Natum autem Adonidem apud Sabęos gentē Arabiæ fabulatur Ovidius decimo Metamorphoſeon. Idemque numen eſſe Bacchum & Adonidem ex Plutarchi Sympoſiacis tradit Cælius Rhodiginus: atque δίκερως uterque appellatur, Orpheo in Hymnis. Adonidis præterea meminit Auſonius in Glauciæ epitaphio, & in epiſtolarum quincta ad Theonem. Ibid. de Venere: — *quòd vincula cæca mariti Deprenſo Mavorte tulit:* ] In Gripho Ternario, verſ. 27.

——— *Ter clara inſtantis Eoi*
*Signa canit ſerus doprenſo Marte ſatelles.*

Martis cum Venere dormientis fabulam narrat Lucianus in Somnio, ſeu Gallo; Quidam quondam fuit Marti deo belli in deliciis adoleſcens formoſus Ἀλεκτρύων. Sic gallum gallinaceum vocant Græci. Mars quotiens ad

ad Venerem deam Vulcani conjugem noctu veniebat, quia timebat Solem, ne ſe deprehenderet cum eâ, & Vulcano nunciaret, Alectryonem ſecum adducebat. eum foris ad oſtium jubebat obſervare, quum Sol emergeret. Ceterum quadam nocte ſomnus Alectryonem oppreſſit; nec adventantem Solem ſenſit, qui Martem cum Venere deprehendit. Rem Vulcano ſtatim renunciavit; qui accurrit continuò, retibus adulteros implicuit; & ſic vinctos, ceteris Diis ad id ſpectaculum convocatis, oſtendit; — *qui riſere, diuque;*

*Hæc fuit in toto notiſſima fabula cælo,*

ut ſcribit Ovidius quarto Metamorphoſeon, v.189. Suo itaque ſatelliti & excubitori Mars graviter ob iſtum veternum iratus, ex homine fecit avem, cum galeâ & criſtâ ſua, ceterisque quibus tum excubabat armis. Ex eoque Martiales aves, miſeri ſcilicet illius Alectryonis genus, avito periculo & pœna ſapientes, vigilantiores fuerunt, diligentioresque ad Solis adventum diis omnibus hominibusque prænunciandum diu ante quam exoriatur. *Deprenſo marte,* in vetuſto Lugdunenſi libro: *depenſo M.* ſine *r.* [ *Serus.* quum gallus olim ſerus & tardus fuit ad excitandum Martem cum Venere dormientem. Ita Silvius hoc intellexit ex fabula.

Ibid. — *ſemivir Hermaphroditus.* ] Epigr. LXVIII. de iis quæ ſexum mutarint:

*Vidit ſemivirum fons Salmacis Hermaphroditũ.*

Semimarem dixerat Ovidius, tantùm-non mol-

mollem & enervum, ſed etiam qui utrumque gereret ſexum. Fuit hic Mercurii & Veneris filius:

*Cujus erat facies, in quâ materque paterque*
*Cognoſci poſſet. nomen quoque traxit ab illis.*

Nam Ἑρμῆς Mercurius, Ἀφροδίτη Venus Græcis nominatur. Ovidius libro quarto Metamorphoſeon ſic de Salmacidis & Hermaphroditi coïtù canit:

*Sic ubi complexu coierunt membra tenaci,*
*Nec duo ſunt, ſed forma duplex: nec femina dici*
*Nec puer ut poſſit. neutrũq; & utrũq; videtur.*

In eoſdem leguntur hæc epigrammata Auſonii, de Hemaphrodito, xcviii:

*Mercurio genitore ſatus, genitrice Cythére,*
*Nominis ut mixti, ſic corporis Hermaphroditus,*
*Concretus ſexu, ſed non perfectus, utroque:*
*Ambiguæ Veneris, neutro potiundus amori.*

De conjunctione Salmacis cum Hermaphrodito, epigr. xcix:

*Salmacis optato concreta eſt nympha marito.*
*Felix virgo, ſibi ſi ſcit ineſſe virum.*
*Et tu, formoſæ juvenis permiſte puellæ,*
*Bis felix, unum ſi licet eſſe duos.*

Eſt autem Salmacis Nympha, & fons Cariæ, de quo Vitruvius lib. ii. tibi legendus, cap. viii.

MARIANGELI ACCURSII

# NOTÆ

## IN AVSONII Cupidinem Cruci-affixum.

Pag. 218.

In Præfatione Cupidinis cruciati: *An unquam vidiſti nebulam pictam in pariete?* Manuſcripti Codices, *En unquam.* Qui modus percontandi vel Terentio eſt proprius. Imitationem alioqui de Terentio Plautoque in Præfatiunculæ ipſius argumentum ſibi ſumpſit. Quorum ſanè poëtarum, ut & Flacci & Maronis, ſtudioſus, oppidoque imitator dinoſcitur. Plautus itaque in Menæchmis ait:

*Dic mihi: nunquàm vidiſti tabulam pictam in pariete,*
*Vbi aquila catamitum raperet, aut ubi Venus Adoneum?*

Terentius autem in Eunucho:

*——— Virgo in conclavi ſedet,*
*Suſpectans tabulam quandam pictam, ubi inerat pictura hæc, Iovem*
*Quo pacto Danaë miſiſſe ajunt quondam in gremium imbrem aureum, &c.*

Quibus admoneri poſſe videbamur, *tabulam*

non *nebulam* eſſe in Auſonio ſcribendum. Cæterùm cùm & in epiſtola ad Symmachum dixerit, *Hoc me velut aureus brattea fucus, aut picta nebula, non longius, quàm dum videtur, oblectat.* Cumque aliquid *tanquam per nebulam* videri, atque accipi, tum, *nebula inanius ac mollius* dicatur; putandum ſit fortaſſè, arbitratu ſuo, *tabulam* in *nebulam* Auſonium mutaſſe. Quando & in manuſcriptis exemplaribus ne ſpeciem quidem alterius lectionis hactenus invenimus.

Pag. 219.

In elegantiſſimâ, nec incelebri Eclogâ, quâ cruciatur Cupido:

*Ventilat ignavum ſimulati fulguris ignem.*

Legendum, *fulminis*. Sic manuſcripti Codices. Et ſtatim poſt:

——— *Sexu gaviſa virili*

*Mœret in antiquam Caneus revocata figuram.*

Solœciſmus videtur eſſe, *Caneus revocata*. Exemplaria verò manuſcripta, *Canis*. Fœmina enim priùs fuerat Cænis nomine. Ovidius:

*Clara decore fuit proles Elateïa Canis.*

Idem: *Tu mihi Canis eris.* ———

Vel itaque legendum, *Canis*: vel, (ut impreſſi habent quidam) *Caneîs*. Ei namque fœminæ & *Canis* nomen inditum & *Caneis* fuiſſe conſtat. Gellius l. IX. c. IV. *Notiſſima illa veterũ poëtarum de Caneide & Caneo cantilena.* Sed neq; illud tranſiliero, quòd ſi vel *Caneus* cuſtodiatur, videri poſſit ex Catulliana mimeſi, de Aty, quem genere virili, antequam eviretur, ap-

pel-

pellat, dein etiam muliebri. Hæc poſtea ab Neptuno compreſſa, ſexus mutationem impetravit, ac *Cæneus* appellatus eſt. Qui tandem pro Lapithis adverſus Centauros decernens, cùm invulnerabilis ſtupri penſatione factus foret, arboreis oppreſſus trabibus, in avem commutatus dicitur. Scribit Ovidius XII Metamorphoſ. Sunt qui eum dicant poſt mortem priſtinæ formæ redditum. Ut Virgilius in VI (quem ſequutus hîc noſter eſt:)

*— Et juvenis quondam, nunc fœmina Cæneus,*
*Rurſus & in veterem fato revoluta figuram.*

Ibid.

*——— Fert fumida teſta*
*Lumina Seſtiacâ præceps de turre puella.*

Sunt qui legerint, *teſtem*. Hoc eſt conſciam Herus ac Leandri furtorum lucernam. Quod ſanè poëta Muſæus ait:

Κρυφίων ἐπιμάρτυρα λύχνον ἐρώτων.
*Occultorum teſtem lucernam amorum.*

Verùm *teſta* figulinam etiam lucernam ſignificat. Quo genere innumeræ in Antiquorum monimentis etiamnum manent. Et Virgilius in Georgicis ait:

*Ne nocturna quidem carpentes penſa puellæ*
*Neſcivêre hyemem, teſtâ cum ardente viderent*
*Scintillare oleum. ———*

Pag. 221.

*—— Se quiſque abſolvere geſtit,*
*Transferat ut proprias aliena in crimina culpas.*

Quod emendatum jam eſt, *Transfert*, à veri ſpecie non abhorret. Vetuſti tamen exempla-

ris noſtri lectio ſincerior, *Transferat ut proprias a. i. c. c.* Porrò particula, *Quiſque*, commutãda non videtur, licet ad *Heroïdas* hoc genere referri poſſe, non appareat. Cùm enim & in Monoſyllabis (*Technopægnii verſ.* 112.) particulam *Quis* genere dixerit neutro,

*Quis fluitat pelago, quod nõ natat in fluvio? pix,* affirmaverim potiùs talia eo modo poſuiſſe eum, ut à Vetuſtioribus poni conſuevit. Ennius, *Quis tu es mulier?* Terentius in Eunucho, *Illarum neque quiſquam te novit.* Et Donatus ait, *Quiſquam* multis probari exemplis etiam fœminino genere Veteres protuliſſe. ita ut in numeris & generibus hæc Prænomina infinita ſint. Priſcianus quoque ac Nonius ajunt, *Quis* & *Quiſquam* communis eſſe generis, authoritate Veterum, ut apud Græcos. Ex Juriſconſultorum etiam ſententiâ, de Verborum ſignificatione verbum hoc, *Si quis*, tam maſculos quàm fœminas complectitur.

Hæc indidimus, vel ne cuilibet temerè immutandi facultas relinquatur in Monoſyllabo, *Quid*: hìc, *Quæque*. Vel ſi fortè ita potiùs, ut ſequutis temporibus dici cœptum, inter doctos emendandum convenerit, ne id quidem latuiſſe nos, appareat.

Ibid.

*—— Reſcindit adultum*
*Myrrha uterum lachrymis lugentibus. —*

Sunt Codices qui ſervent, *uigentibus*, contra ſyllabæ rationem. Sed ſcribendum ſit fortaſſè, *lucentibus*.

Hactenus Mariangelus. P.S.

P. S.

# SPICILEGIVM IN AVSONII Cupidinem cruci-affixum.

Pag. 218.

Epiſtolâ ad Gregorium: *An unquam vidiſti nebulam pictam in pariete?* Repone quod in Mss. codd. repperit Mariangelus Accurſius: *En unquam vidiſti n.* &c. Qui modus percontandi vel Terentio per eſt familiaris: ne Maronem, cuius ſtudioſiſſimus Vir Conſularis, aliosque in teſtimonium citem. Hallucinantur autem mirificè qui hîc *tabulam pictam* malunt ex Plauti Menæchmis, Actu I, Scena II, & Terentii Eunucho, Actu III, Scena V. Cujus lectionis ne minimum quidem veſtigium in membranis quibus uſus Mariangelus. Quid, quòd reclamet ipſe Auſonius, qui pictæ nebulæ alio item loco meminerit. Epiſtola ad Symmachum: *Hoc me velut aurea bractea fucus, aut picta nebula non longius quàm dum videtur oblectat*: denique hîc *Aeris campos* depictos ait, & marcentes *nebuloſo lumine* flores, aliaque ejuſmodi.

Ibidem: *Treviris in triclinio Æoli fucata eſt pictu-*

*pictura.*] Tilianus codex, & Pariſienſis liber Jodoci Badii apud Vinetum, *in triclinio Zoili.* Melius,& probabilius; cùm *Æolus* infrequentius nomen ſit, quàm *Zoilus.* Quare ex veterum codicum fide ſcripturam hanc non gravatè admiſerim. Dominus illarum ædium Treviris, in quibus Triclinium illud quod exhibebat eam picturam, fuerit non Æolus aliquis, à ventorum rege denominatus, ſed Zoilus. ZOILI nomen proprium bis terve occurrit in antiquis Inſcriptionibus. Apianus olim exhibuit hanc repertam Comi:

D. M.
C. MESSENI.
ZOILI
COLLEG. DENDROPH
COMENSIVM.

Anno undeſexcenteſimo & milleſimo Tibure effoſſum marmor, cui inſcriptus crocodilus, & hæc Epigraphe:

DIS. MAN
AEL. ZOILVS
HIC. SITVS. EST
VIXIT. AN. LII.

A Gutenſtenio Gruterus pag. IↃCCCC. 9. Apud quem etiam illa ſuperior Inſcriptio, pag. CCCCXXXVIII, 2. Et pag. CCCII, 2. ex veteris tabulæ fragmento,

ANTISTIVS ZOILLVS.

Id

Id eſt, ZOILVS. nam L ſuperfluè geminatur: ut in QVERELLA pag. CCCCLXXX, 5. VELLIT pag. DCLXXII, 1. OLLIM pag. DCXC. 5. pro *Querela, velit, olim*. Sic etiam ubi in veteri Romano Martyrologio, Adone, & Uſuardo, XXIV Maij, legitur: *In Iſtria natalis SS. Zoelli*, &c. margini Uſuardi adſcriptum eſt, *Zoili*. Aliàs item Zoilus inter Sanctos. Ado in Martyrologio, XXVII Iunii: *Cordubæ in Hiſpaniis natalis SS. Zoili & aliorum*: Eadem eodẽ die Uſuardus. Martyrologium Romanum non celebrat Cordubenſem Martyrem; ſed alium XXIV Novembris: *Romæ*, inquit, *Chryſogoni Martyris, & Zoili*. Uſuardus Zoilum prælerit. Ado pluribus agit de Chryſogono, & Zoilum Chryſogoni *abſciſſum caput corpori ejus compaginaſſe* (verba Adonis ſunt) memoriæ prodit. Quin etiam Zoilus Grammaticus, unus ex Dipnoſophiſtis apud Athenæum. Ut nihil hîc dicam de nobiliſſimo Zoilo, qui ὁμηρομάστιγος cognomen meruit. cujus audax quidem ſed parum felix mordacitas proverbio locum fecit, ut vulgo *Zoili* vocentur nobilium auctotum obtrectatores & caſtigatores: vel Plinio teſte in operis ardui præfatione. Ad quem quoque alludit meus Hiſpanus in Epigrammatis: (lib. IV, 77.)

*Pendentem volo Zoilum videre.*

Hic Zoilus Amphipolites fuit. Scripſit varia: & inter ea, Grammatica quædam contra Homerum. Vide Suidam, & Ælianum Variar. lib. XI. cap. X. Ex Zoili cujuſdam ſcri-

ptis multa Plinius in librum duodecimũ Naturalis Hiſtoriæ tranſtulit: & apud eundem l.XIII. Zoili Macedonis ſcripta citantur. Hic iſte Amphipolitanus creditur: Amphipolis enim urbs Macedoniæ. *Zoilus de Figuris* citatur à Phæbammone Sophiſta de Figuris, referente Bibliothecâ Geſnerianâ Tiguri aucta. Alios atque alios poſſem recitare, ex Vitruvio & Clemente Alexandrino, & aliis. Et pluria ſunt Martialis in Zoilum epigrammata. Sed de Zoilis plus ſatis: ne & ipſe Zoilos irritem. Abunde liquet ſcribendum eſſe apud Auſonium *Zoili,* pro *Æoli.*

Niſi quis malit, *Treveris in triclinio Solii.* ut palatii triclinium intelligat: quamquam impropriè & minus uſitatè *Solium* pro *Palatio* dici poſſit. Ipſe Auſonius tamen alio loco ſic accepiſſe videtur:

*Armipotens dudum celebrari Gallia geſtit,*
*Trevericaq; urbis ſolium, quæ proxima Reno,*
*Pacis ut in mediæ gremio, ſecura quieſcit.*

De Claris urbibus III. D. Ambroſius lib. V. Epiſt. XXVII. *Cùm perveniſſem Treveros, poſtridie proceſſi ad Palatium.* Treverorum urbem Pomponius Mela & Ptolemæus Auguſtam nominant. Data Treveris pluria Auguſtorum Reſcripta; Conſtantini, Juliani, Valentiniani, Valentis, Gratiani, Valentiniani Junioris, Theodoſii, Arcadii. Et Ammianus Marcellinus lib. XV. *Treveros domicilium Principum clarum* ait. Vide eundem lib. XXVII, XXIX, & XXX.

Vidi

Vidi etiam, qui *in triclinii tholo* legendum coniecerat: quam conjecturam vix ægrè ferant, qui balnearum quidem tholos meminerint, non tricliniorum; ut quæ alio modo fuerint camerata. Ammianus lib. XXVIII: *Tholos introierint balnearum.* Atqui apud Martialem hoc Epigrammate, lib. II, 59.

MICA *vocor. quid ſim, cernis. Cænatio parva.*
*Ex me Cæſareum proſpicis, ecce, tholum;*
*Frange toros: pete vina: roſas cape: tingere nardo:*
*Ipſe jubet mortis te meminiſſe Deus,*

Accipiunt eruditiſſimi viri nõ Auguſti Mauſoleum, non Capitolium, non Flaviæ gentis templum, vel ædes Cæſaris, cum vulgo interpretum; ſed tholum interiorem ipſius Micæ, à quo pendebat cranium, quod convivas mortis admoneret, ut eo largius indulgentiusque viverent. Vide ſupra pag. 402. Vetus Gloſſariũ: Θόλος, *teſtudo.* Suidas: Θόλος, οἶκος περιφερής. καὶ τῷ οἱ πρυτάνεις ἑστιῶντο. &c. Philander ad quartum Vitruvii hæc annotavit: *Tholus eſt ædificii camera, quæ altius creſcens rotundâ formâ in faſtigiatum cacumen deſinit, à quo* Πάνθεον θολοειδὲς *ſcripſit Dion lib.* LIII. *Re enim verâ Pantheum eſt hæmiſpærio tectum, hoc eſt, circulatâ camerâ, inque medio hemiſphærio lumen ad circinum factum. Aliàs eſt teſtudinis umbilicus, id eſt veluti ſcutum in medio tecto, quo trabes omnes conveniunt, ubi dona ſuſpendebantur, auctore Servio* IX. *Æneid.*

Quamquam poſſit nimis laxum videri & vagum de magna urbe loquentem referre in

Triclinii tholo hoc aut illud pictum haberi. De villa aliqua tolerabilius ſit. Sine dubio itaque indicare voluit Auſonius Palatium Treverenſe; aut alicuius ædes in quibus illud Triclinium. Eum Zoilum appellant veteres codices, non Æolum. Atque ita repone.

Ibidem.

*Deinde mirandi ſtuporem.*] Ita codex Tilii. Vulgò, *Denique mirandi.*

Ibidem, ipſo fine.

*Vale.*] De nihilo non eſt quod addunt quidam libri: *Vale, ac dilige parentem.*

## In Poemate:

pag, 219.

Verſ. 13.

*Omnia, quæ lacrimis & amoribus anxia mœſtis,*
*Exercent memores, obitâ jam morte, dolores,*
*Rurſus in amiſſum revocant Heroidas ævum.*

Ita emendavi. Aliter atque aliter hæc vulgò interpunguntur. Quid ſi legamus?

*Exercent memores: obitâ jam morte dolores*
*Rurſus in hoc miſſas revocant Heroidas ævum.*

Niſi per *amiſſum ævum* intelligendum ſit, elapſum, præteritum, & vetus. Atque ita nihil temerè mutandum. Sequitur ſtatim: Verſ. 15.

*Fulmineos Semele decepta puerpera partus*
*Deflet, & ambuſtas*latera per inania cunas.* &c

Legendum omnino:

*Deflet, & ambuſtis laterum per inania cunis*
*Ventilat ignavum ſimulati fulminis ignem.*

Tò *fulminis* Mariangelus Accurſius obſervavit

vavit in MSC. Cod. cùm legeretur antea *fulguris*. Quod temerè fortaſſis non irrepſit, ſed genuinum ipſius Poëtæ eſt. Non enim nocentiſſimum fulmen Semelæ immiſſum, ſed mitius quoddam, & ſecundum: referente Ovidio in hac Fabula, Metamorphoſ. lib. III.

*—— Ergo mœſtiſſimus altum*
*Æthera conſcendit, vultumq; ſequentia traxit*
*Nubila, queis nimbos immiſtaq; fulgura ventis*
*Addidit, & tonitrus & inevitabile fulmen.*
*Quà tamẽ uſq; poteſt, vires ſibi demere tentat:*
*Nec quo centimanum dejecerat igne Typhœa,*
*Nunc armatur eo: nimium feritatis in illo eſt.*
*Eſt aliud levius fulmen, cui dextra Cyclopum*
*Sævitiæ flammæque minus, minus addidit iræ;*
TELA SECUNDA *vocant Superi. capit illa, domumque*
*Intrat Agenoream.*

**Latera per inania*. Vinetus inter alia ad hunc locum, *Vereor*, inquit, *ut ne hic* LATERA *pro alio aliquo verbo ſit ſuppoſitum*. Editiones quædam interjecerunt *hæc: latera hæc per inania*. Quæ nullam ſanè bonam ſententiam efficere monuerunt viri docti, leguntque:

*ambuſtas lacerans per inania cunas.*

*Per inania* interpretantur *Aëris in campis*. Ad quæ Cl. Salmaſii hanc Notam cùm nuper in ſchedis meis reperiſſem, quî eam præterire aut diſſimulare potui? Sic igitur ille in ſuâ ad me Epiſtolâ:

Lacerare potiùs quàm redintegrare locum mihi videntur qui *lacerans* legunt. Neſcio etiam

etiam quid ſit *ventilare fulminis ignem.* An fulmen ut ignis vulgaris poteſt ventilari? Sed nec *ventilare* heic accipiendum pro ventulum facere, & flabello ignem excitare. *Ventilare* eſt in altum jactare, ut faciunt qui *ventilare arma* dicuntur Quintiliano: & *ventilare æſtivum aurum digitis ſudantibus* Juvenali. Nunc te judicem appello, an non melius ſic reſtitui poſſit:

*Deflet, & ambuſtas latè per inania cunas*
*Ventilat ignavo ſimulati fulminis igne.*

Ventilat latè per inania cunas ambuſtas ſimulati fulminis ignavo igne. Hæc ille. Feſtiva admodum videtur accerrimi Boxhornii noſtri conjectura, ſub manu nata:

*Deflet, & ambuſtas iterum per inania cunas*
*Ventilat ignavo ſimulati fulminis igne.*

*Iterum*, nempe in pictura.

Ead. pag. 219.

Verſ. 22. —— *Fert fumida teſta*
*Lumina Seſtiacâ præceps de turre puella.*

Notat Mariangelus quoſdam legiſſe, *fert fumida teſtem* L. Hoc eſt, conſciam Herus ac Leandri amorum lucernam. Λύχνον appellat Muſæus. Ignoſcat amicus mihi Belga, alti vir ingenii, ſi ferre non poſſum, *fumida tedæ lumina.* Teſta figulinam lucernam ſignificat. Virgilius in Georgicis:

*Nec nocturna quidem carpentes penſa puellæ*
*Neſcivêre hyemem, teſta cùm ardente viderent*
*Scintillare oleum.* —

Avienus in Prognoſticis Aratæis:

*Et ſi*

*Et ſi nocturnis ardentibus undique teſtis*
*Concreſcant fumi, ſi flammeus emicet ignis*
*Effluus.* Arato λύχνα.

Prudentius Cathemerinon v. Hymno, Ad incenſum cerei Paſchalis, ſive, Ad incenſum lucernæ: —— *ſeu cava teſtula*
*Succum linteolo ſuggerit ebrio:*
*Seu pinus piceam fert alimoniam.*

Lampades & teſtæ ejuſmodi figulinæ extant innumeræ apud Antiquarios: quotidieque effodiuntur. Poſſum ego aliquot oſtendere: longe plures in Supellectile Romana Neomagi in Bataviâ & alibi erutas accuratiſſimus Joannes Smetius. Et non ita pridem DE LUCERNIS VETERUM doctiſſimum Commentarium edidit clariſſimus Fortunius Licetus. Suſtine itaque emendandi pruriginem.

Pag. 220.

Verſ. 49. *& auratas fulgentia cingula bullas.* Meo animo, ineptè ſic vulgo. Scriptum oportuit, *auratis bullis.*

Verſ. 51. *Vanum vibrare vigorem Occipiunt.* Lego, *manuum vibrare vigorem*, vel *librare.*

Pap. 221.

V. 62. — *nullo moderamine pœna Afficiunt.* Imò *Affigunt*, ut conveniat lemmati ſuo Poeta: quod eſt, CUPIDO CRUCI AFFIXUS.

V. 64. — *Se quiſque abſolvere geſtit:*
*Transferat ut proprias aliena in crimina culpas.*

Hæc eſt vetuſti exemplaris ſcriptura, teſte Mariangelo. Mihi ſincerior videtur altera lectio: — *Se quiſque abſolvere geſtit,*

*Trans-*

*Transfert & proprias aliena in crimina culpas.*
Porrò particula *quiſque* commutanda non eſt in *quaque*: tametſi ad Heroidas referri hoc genere vix poſſit. Eſt enim gnome Auſoniana, ad quoſvis ſpectans, non Heroidas tantùm. In epiſtola præliminari ſimiliter: *Nævos noſtros & cicatrices amamus: nec ſoli noſtro vitio peccaſſe contenti, affectamus ut amentur.*

V. 72. —— *reſcindit adultum*

*Myrrha uterũ lacrimis lugentibus: inq; paventẽ*
*Gemmea fietiferi jaculatur ſuccina trunci.*

Jamdudum eſt, quod reſcripſeram, *lacrimis lucentibus*; ad myrrham ipſam & gemmea ſuccina reſpiciens. Et nunc animadverto in hunc Auſonii locum verba iſthæc annotaſſe Mariangelum in Diatribis ſuis. Sunt, inquit, codices qui ſervant, *lacrimis uigentibus*, contra ſyllabæ rationem: ſed ſcribendum fortaſſe, *lacrimis lucentibus*. Ecce, conſpirantem habeo eruditiſſimum virum. Nuper verò tentabam ex veſtigiis ſcriptæ lectionis, *lacrimis urgentibus*. Myrrha arbor abundantia & copia myrrhæ & lacrimarum adultum & diſtentum uterum rumpit, ſudatque myrrham. Ovidius Metamorphoſeon lib. x. fab. ix.

*Cùm tandem terrâ requievit feſſa Sabaâ,*
*Vixq; uteri portabat onus.* & poſt aliquot verſus,
*Iamq; gravem creſcens uterũ præcinxerat arbor,*
*Pectoraque obruerat, collumq; operire parabat.*
*Non tulit illa moram, venientiq; obvia ligno*
*Subſedit, merſitque ſuos in cortice vultus.*
*Quæ quamquã amiſit veteres cum corpore ſenſus,*

*Flet*

*Flet tamen, & tepidæ manant ex arbore guttæ.*
*Eſt honor & lacrimis, ſtillataq; cortice myrrha*
*Nomen herile tenet, nulloq; tacebitur ævo.* etc.
*Dat gemitus arbor, lacrimiſq; cadentibus humet.*

Legit apud Auſoninum Cl. Salmaſius, *lacrimis ingentibus.* & in epiſtola ſuæ ad me hoc eruditum ſcholion attexit: Filius medici non potuit ignorare duo eſſe myrræ genera. Unum ἁδρόβωλον, alterum μικρόβωλον. Illud glebis ingentibus, hoc minoribus, cujus meminit Dioſcorides. At Myrra hìc quæ lacrimas ſuas in lapidem congelatas, quæ ſuccina gemmea hîc vocat Auſonius, in Cupidinem erat jaculatura, grandioribus guttis præoptavit ſudare, ut plus mali nempe facerent Cupidini, quàm ſi parvas & μικροβώλους jaculata eſſet. Ideo certe uterum laxavit grandioribus lacrimis, τοῖς ἁδροβώλοις, quia his vice ſaxorum impetere parabat Cupidinem. Hæc ille. Quare tempus eſt ut hujus emendationis, & triſtium ineptiarum deſinamus.

FINIS.

# EPITAPHIVM
# AMORIS,
*Ex*
CASPERII GEVARTII
ELECTORUM LIB. III.

## In interpretationem Ænigmatis AELIÆ LAELIÆ CRISPIS.

*Certatum multis vario certamine doctis*
*Certamen, Griphum ſolvere difficilem;*
*At nemo intortos potuit diſſolvere nodos*
*Hactenus: implicitos implicuere magis.*
*Vnus ab ingenio pariter qui clarus & arte*
*Caſperius ſenſum vidit & explicuit.*
*Muria quin igitur Davis ter-ſalſa bibatur:*
*Caſperio ornetur frondis honore caput.*

PET. VALENS, FRISIVS,
Regius Gr. Litt. Profeſſor.

CAS-

CASPERII GEVARTII

# ELECTORVM

## LIBRO TERTIO,

### CAP. I.

ÆLIA LÆLIA CRISPIS. *Epitaphium vetus Ænigmaticum præter omnium hactenus ſententiam explicatum.*

VT Trachalio ille apud Plautum; ita ego hoc Capite *— promittam capillum, incipiamque hariolari.* Bononiæ extra portam Maſcharellam primo ab urbe lapide, prope villulam Marci Antonii Voltæ Patritii Bononienſis, in pariete templi cum villa conjuncti, exſtat Epitaphium quoddam marmori inciſum, cujus antiquitatem exeſæ jam & fugientes præ ſitu litteræ ſatis indicant. Id ita habet:

D. M.

ÆL. LÆLIA CRISPIS, NEC VIR, NEC MVLIER, NEC ANDROGYNA; NEC PUELLA, NEC JUVENIS, NEC ANUS; NEC CASTA, NEC MERETRIX, NEC PUDICA, SED OMNIA: SUBLATA NEQUE FAME, NEQUE FER-

FERRO, NEQUE VENENO, SED
OMNIBUS:
NEC COELO, NEC AQUIS, NEC
TERRIS, SED VBIQVE JACET.
LUC. AGATHO PRISCIUS, NEC MARITUS, NEC AMATOR, NEC NECESSARIUS;
NEQUE MOERENS, NEQUE GAUDENS, NEQUE FLENS;
HANC NEC MOLEM, NEC PYRAMIDEM, NEC SEPULCHRUM,
SED OMNIA,
SCIT ET NESCIT CUI POSUERIT.

De hoc Ænigmate verè illud Maronis dici poteſt,

*Cui non dictus Hylas?*

Penè omnium namque nationum ingenia in eo enodando deſudarunt. Primus Marius Michaël Angelus, Italus, Philoſophus Patavinus, de AQUA PLVVIA intelligendum dixit. Ioannes vero Turrius Brugenſis, Belga, Iuriſconſultus, de MATERIA PRIMA eſt interpretatus. Hos rejiciens Ricardus Vitus, Anglus, itidem Iuriſconſultus, de NIOBE primùm, tum de ANIMA, mox de IDEA explicandum cenſuit. Poſtremo Nic. Barnaudus, Medicus Gallus, de MERCURIO CHYMICO interpretatus eſt. Alii alia attulerunt, quorum ſententias & rationes in unum volumen

men redactas, ac Patavii olim, nuper vero Dordraci apud Batavos excuſas, qui volet, legat. Verè autem in univerſum illud Comici de illis dici poteſt: *Faciunt næ intelligendo ut nihil intelligant.* Sane illa Marii de *Aqua pluvia* interpretatio nive Gallica (ut eſt in Proverbio) frigidior eſt. Et Barnaudi de *Mercurio Chymico* ſententiam ſi penitius excutias, vereor profecto ne unà cum ſperato ciniflonum auro in fumum & ventos abeat. Paria mihi de *Niobe*, de *Anima* & *Ideis* videntur, quæ omnia huic Ænigmati applicata, nec cœlum nec terram tangunt. Nec illa hìc excutere ac refutare nobis eſt animus. Breviter tantùm ſententiam noſtram proponemus, cujus luce (ut exiſtimo) aliorum hallucinationes ac tenebræ cuivis facile apparebunt. Quid hæremus? Illius ſummi rerum Πανδαμάτορος, qui numine ſuo

*Ætheraque & terras & maria alta domat;*

AMORIS, inquam EPITAPHIUM hìc deſcriptum eſt, ac deſumptum illud potiſſimum ex veterum Platonicorum ſcriptis (ut mox patebit) & imprimis ex Alexide veteri Comico, qui in Phædro ſuo pictores arguebat quòd neſcirent CUPIDINEM rectè exprimere: *eum*, namque, *neque Marem eſſe, neque Fœminam: neque Deum, neque hominem: nec ſtolidum, nec prudentem, ſed compoſitum undecunque, ac figura una multas formas repræſentare.* Exſtant verſus, quos dixi, Alexidis apud Athænæum lib. XIII. Dipnoſophiſt. in hunc modum:

Καὶ

Καί μοι δοκοῦσιν ἀγνοεῖν οἱ ζωγράφοι
Τὸν ἔρωτα, ( συντομώτατόν γ' εἰπεῖν, ) ὅσοι
Τοῦ δαίμονος τούτου ποιοῦσιν εἰκόνας.
Ἐστὶ γὰρ οὔτε θῆλυς, οὔτ' ἄρσην, πάλιν
Οὔτε θεὸς, οὔτ' ἄνθρωπος, οὔτ' ἀβέλτερος,
Οὔτ' αὖθις ἔμφρων, ἀλλὰ συνενηγμένος
Πανταχόθεν ἐν ἑνὶ τύπῳ πολλ' εἴδη φέρων.
Ἡ τόλμα μὲν γὰρ ἀνδρὸς, ἡ δὲ δειλία
Γυναικὸς, ἡ ἄνοια μανίας, ὁ δὲ λόγος
Φρονοῦντος, ἡ σφοδρότης δὲ θηρὸς, δὲ πόνος
Ἀδάμαντος, ἡ φιλοτιμία δὲ δαίμονος.

Id eſt.

*Mihi quidem ignorare videntur pictores*
*Qualis* AMOR *ſit: & (ut paucis abſolvã) quotquot*
*Hujus Dæmonis ſtatuas faciunt.*
*Neque enim Mas ille eſt, nec Fœmina,*
*Nec Deus, nec Homo: nec fatuus,*
*Nec prudens, ſed coagmentatus ex omnibus*
*Sub una forma multas ſpecies ferens.*
*Nam ejus virilis eſt audacia: ignavia verò*
*Muliebris: Amentia furioſa: Ratio*
*Cordata & circũſpecta: ferina vehemẽtia: Labor*
*Indomitus: Ambitio & Contentio Dæmoniaca.*

Pertinet & huc Sophoclis elegans locus de *Venere*:

Ὦ παῖδες, ἤτοι Κύπρις οὐ Κύπρις μόνον,
Ἀλλ' ἐστὶ πάντων ὀνομάτων ἐπώνυμος.
Ἐστὶν μὲν ᾅδης, ἐστὶ δ' ἄφθιτος βία,
Ἐστὶν δὲ λύσσα μαινὰς, ἐστὶ δ' ἵμερος,
Ἄκρατος, ἔστ' οἰμωγμός. ἐν κείνῃ τὸ πᾶν,
Σπουδαῖον, ἡσυχαῖον, εἰς βίαν ἄγον.
Ἐντήκεται γὰρ, πλευμόνων ὅσοις ἔνι ψυχή.

Id eſt:

*O pueri, certe Venus non ſolùm Venus eſt,*
*Sed omnium particeps nominum.*
*Hæc eadem eſt Pluto, & invicta Neceſſitas,*
*Hæc eſt Rabies furioſa, hæc mera Cupiditas;*
*Hæc Luctus eſt: Denique ei inſunt omnia,*
*Serium, Tranquillum, Violentum.*
*Tabeſcit enim illorum anima in quorum pulmonibus ineſt.*

Quin & Plato alibi *Amorem*, Πολυκέφαλον θηρίον, *multorum capitum belluam*, appellat. Plutarchus verò in eo libello quo probat *Amorem* non eſſe Judicium, eum verè *Ænigma* eſſe aſſerit δυσεύρετον καὶ δύσλυτον, *inventu ſolutuque difficile*, cujus verba infra adferemus.

Ex his (ut opinor) prima hujus inſcriptionis pars ſatis clara eſt. Nihilominus tamen breviter ſingulas formarum differentias percurremus. Nam cur ÆL. LÆLIÆ CRISPIS nomen huic monumento inſcriptum ſit, infrà commodius dicemus, re ipsâ priùs excuſsâ ac declaratâ. Legitur itaque:

NEC VIR, NEC MVLIER, NEC ANDROGYNA, &c, SED OMNIA.] Non ideo tantùm utriuſque ſexus appellatio *Amori* convenit, quòd *Virilis* ei ſit *audacia* & *Muliebris timor*, ut ait Alexis, ſed quòd in utroque ſexu æquè vires ſuas exſerat, ac dominetur. Hinc (ut auctor eſt Macrobius) in Cypro erat *Barbatæ Veneris* ſimulachrum. *Signum eius eſt*, inquit, *Cypri barbatum corpore, ſed veſte muliebri, cum ſceptro ac ſtatura virili: & putant*

*tant eandem* MAREM ac FOEMINAM *eſſe*. Mox & Calvi verſum adducit:

*Pollentémque Deum Venerem.*

Et Lævii verba: *Venerem igitur almum adorans ſive* FOEMINA *ſive* MAS *eſt, ita uti alma Noctiluca eſt.* Ariſtophanes apud Platonem in Sympoſio, ſeu Dialogo de *Amore*, ait principiò tria hominum fuiſſe genera, *Marem, Fœminam, & Androgynon.* Sed mox addit tertium illud genus ἀνδρόγυνον, cum faſtu ac ſuperbia elatum Diis ſe æquare vellet, à Jove in duas partes diviſum eſſe ac ſeparatum: Sed vi *Amoris* eas partes iterum conjungi & uniri. Verba Platonis ſunt: Πρῶτον μὲν γὰρ τρία ἦν τὰ γένη τὰ τῶν ἀνθρώπων. οὐχ ὥσπερ νῦν, δύο, ἄρρεν καὶ θῆλυ, ἀλλὰ καὶ τρίτον προσῆν κοινὸν ὂν ἀμφοτέρων τούτων, οὗ νῦν ὄνομα λοιπὸν, αὐτὸ δὲ ἠφάνισται. Ἀνδρόγυνον γὰρ ἓν τότε μὲν ἦν, καὶ εἶδος καὶ ὄνομα ἐξ ἀμφοτέρων κοινὸν τοῦ τε ἄρρενος καὶ θήλυος. νῦν δ' οὐκ ἔστιν, ἀλλ' ἢ ἐν ὀνείδει ὄνομα κείμενον. *Principio tria hominum erant genera, non ſolùm quæ nunc duo, mas & fœmina, verùm tertium quoddam aderat ex utriſque compoſitum, cuius ſolum reſtat nomen, ipſum periit. Androgynum quippe tunc erat & ſpecie & nomine ex maris & fœminæ ſexu commixtum. Ipſum profectò defecit, nomen ſolum infame relictum.* Mox hæc addit: Ἔστι δὴ οὖν ἐκ τόσου ὁ Ἔρως ἔμφυλος ἀλλήλων τοῖς ἀνθρώποις, καὶ τῆς ἀρχαίας φύσεως συναγωγεὺς, καὶ ἐπιχειρῶν ποιῆσαι ἓν ἐκ δυοῖν, ἰάσασθαι τὴν φύσιν τὴν ἀνθρωπίνην. *Hinc utique ex illo tempore mutuus hominibus innatus eſt Amor, priſcæ naturæ conciliator, annitens*

*nitens unum ex duobus efficere, hominumque naturæ mederi.* Sequitur mox:

NEC PVELLA, NEC IVVENIS, NEC ANVS, &c. SED OMNIA.] Phædrus in eodem Sympoſio apud Platonem, *Amorem* omnium Deorum *vetuſtiſſimum* eſſe aſſerit. At verò Agathon (hunc eum eſſe mox probabimus, cujus infrà in hoc monumento fit mentio) ibidem adverſus Phædri ſententiam, *Amorem* Deorum omnium *maximè iuvenem* ait. Phædri verba hæc ſunt: Μέγας θεὸς ὁ Ἔρως, καὶ θαυμαστὸς ἐν ἀνθρώποις τε καὶ θεοῖς, πολλαχῇ μὲν καὶ ἄλλῃ, οὐχ ἥκιστα δὲ κατὰ τὴν γένεσιν. τὸ γὰρ ἐν τοῖς πρεσβυτάτοις εἶναι τῶν θεῶν, τίμιον. τεκμήριον δὲ τούτου. γονεῖς γὰρ Ἔρωτος οὔτ' εἰσὶν, οὔτε λέγονται ὑπ' οὐδενὸς οὔτε ἰδιώτου, οὔτε ποιητοῦ. *Magnus Deus est Amor, & apud Deos homineſque mirandus, cum propter alia multa, tum maxime propter eius originem. Cum enim ex antiquiſſimorum Deorum numero ſit, honore dignus apparet. Id autem ex eo arguimus quod parentes Amoris neque ſunt, neque ab ullo vel poëta vel alio quovis traduntur.* Agathonis verò oratio hæc eſt: Φημὶ οὖν ἐγὼ, πάντων θεῶν εὐδαιμόνων ὄντων, Ἔρωτα (εἰ θέμις καὶ ἀνεμέσητον εἰπεῖν) εὐδαιμονέστατον εἶναι αὐτῶν, κάλλιστον ὄντα καὶ ἄριστον. ἔστι δὲ κάλλιστος ὢν, τοιόσδε. πρῶτον μὲν νεώτατος θεῶν, ὦ Φαῖδρε, μέγα δὲ τεκμήριον τῷ λόγῳ αὐτὸς παρέχεται, φεύγων φυγῇ τὸ γῆρας, ταχὺ ὂν δηλονότι. θᾶττον γοῦν τοῦ δέοντος ἡμῖν προσέρχεται. ὃ δὴ πέφυκεν Ἔρως μισεῖν, καὶ οὐδ' ἐντὸς πολλοῦ πλησιάζειν. μετὰ δὲ νέων ἀεὶ ξύνεστί τε, καὶ ἔστιν. ὁ γὰρ παλαιὸς λόγος εὖ ἔχει, ὡς ὅμοιον ὁμοίῳ ἀεὶ πελάζει. ἐγὼ δὲ Φαίδρῳ πολλὰ ἄλλα ὁμολο-

γῶν, τοῦτο οὐχ ὁμολογῶ, ὡς Ἔρως Κρόνου καὶ Ἰαπετοῦ ἀρχαιότερός ἐστιν. ἀλλὰ φημὶ νεώτατον αὐτὸν εἶναι θεῶν, καὶ ἀεὶ νέον, &c. Id eſt, *Aſſero equidē cùm Dii omnes beati ſint, Amorem ( ſi modo fas eſt & tolerabile dictu) eſſe omnium beatiſſimum, quippe cùm pulcherrimus omnium, optimuſq; exiſtat. Quod verò pulcherrimus ſit ex eo primùm patet, quod Deorum, ô Phædre, omnium maximè* IUVENIS *eſt, cuius ipſe evidens argumentum præbet, cùm ſenectutem fugiat, velocem videlicet, quæ citius quàm oportet, adventat, eamque Amor natura odit, fugitque; iuvenibus verò ſe miſcet. Scitè quidem veteri proverbio fertur, ſimile ſimili ſemper cohærere. Et cùm alia multa Phædro concedo, in hoc minimè aſſentior quòd Amor Saturno & Iapeto ſit antiquior. Imo præ cæteris Diis* IVVENEM *eſſe aio,* SEMPERQVE IVVENEM; *&c.* Hæc ibi Agathon, & plura in hanc ſententiam, quæ uberiora ſunt quàm ut hîc referri poſſint.

NEC CASTA, NEC MERETRIX, NEC PVDICA, SED OMNIA.] *Caſtitatem* & *Impudicitiam* Amori convenire nemo dubitat. Ἔρως per ω ( ut Ammonius, Phurnutus, aliique adnotant) Amorem *impudicum* & *flagitioſum* denotat: Ἔρος verò per, ο, *Pudicum* & *bonum*.

Sequitur mox:

SVBLATA NEQVE FAME, NEQVE FERRO, NEQVE VENENO, SED OMNIBVS.] Recenſet auctor varios infelicium *Amantium* exitus, quorum alii fame, alii gladio, alii veneno,

neno, alii alio mortis genere perierunt. Videtur autem illud Thaletis dictum in mente habuiſſe:

> Ἔρωτα παύει λιμός. εἰ δὲ μή, χρόνος.
> Ἐὰν δὲ μηδὲ ταῦτα τὴν φλόγα σβέσῃ,
> Θεραπεία σοι τὸ λοιπὸν ἠρτήσθω βρόχος.
> *Amorem fames tollit: ſin minus, Tempus:*
> *At ſi neutrum iſtorum flammam exſtinxerit,*
> *Reliqua tibi cura eſt ſuſpendium.*

Auſonius in *Cupidine Crucifixo*, varia infelicis *Amoris* exempla deſcribit, Procridis nimirum, Herûs. Sapphûs, Eryphiles, &c.

> *Vulnera ſiccat adhuc Procris, Cephalique cruentam*
> *Diligit & percuſſa manum: fert fumida teſta*
> *Lumina Seſtiacâ præceps de turre puella.*
> *Et de nimboſo ſaltum Leucate minatur*
> *Maſcula Lesbiacis Sappho peritura ſagittis.*
> *Harmoniæ cultus Eryphile mœſta recuſat,*
> *Infelix nato, nec fortunata marito.*

Et paulo poſt:

> *Parte truces alia ſtrictis mucronibus omnes*
> *Et Thisbe, & Canace, & Sidonis inhorret Eliſſa:*
> *Conjugis hæc, hæc patris, & hæc gerit hoſpitis enſem.*
> *Centũ alia veterũ recolentes vulnera Amorũ,*
> *Dulcibus & mœſtis refovent tormenta querelis.*

Qui plura infelicis *Amoris* exempla deſiderat, is Plutarchi & Parthenii τὰ Ερωτικὰ adeat, & Virgilium VI. Æneid. in herret ubi *Lugentes campos* deſcribit. Sequitur:

NEC COELO, NEC AQVIS, NEC TER-

RIS, SED VBIQVE IACET.] *Amoris* vis & poteſtas per elementa omnia; mundumque univerſum protenditur, & tam in *Cœlo* quàm *Terra* aut *Mari* vires ſuas exſerit. Eryſimachus medicus apud Platonem in Sympoſio, ubi Pauſaniæ orationi reſpondet, qui *Amorem* in *Cœleſtem* ac *Vulgarem* diviſerat: Τὸ μὲν γὰρ διπλοῦν εἶναι τὸν Ἔρωτα δοκεῖ μοι καλῶς διελέσθαι. ὅτι δὲ οὐ μόνον ἐστὶν ἐπὶ ταῖς ψυχαῖς τῶν ἀνθρώπων πρὸς τοὺς καλοὺς, ἀλλὰ καὶ πρὸς ἄλλα πολλὰ, καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις τοῖς τε σώμασι τῶν πάντων ζώων, καὶ τοῖς ἐν τῇ γῇ φυομένοις, καὶ ὡς ἔπος εἰπεῖν, ἐν πᾶσι τοῖς οὖσι, καθεωρακέναι μοὶ δοκῶ ἐκ τῆς ἰατρικῆς, τῆς ἡμετέρας τέχνης. καὶ ὡς μέγας καὶ θαυμαστὸς, καὶ ἐπὶ πᾶν ὁ θεὸς τείνει, καὶ κατ' ἀνθρώπινα καὶ κατὰ θεῖα πράγματα. Id eſt: *Diſtinctionem quidem illam qua in duo diſtributus eſt Amor, approbo. Verum noſtrâ hac Medicina arte comperiſſe mihi videor non ſolùm animis hominum erga pulchros Amorem ineſſe, verùm etiam ad alia multa: atque in aliis tum corporibus animalium omnium, tum his quæ ex terra naſcuntur: ac denique in omnibus, ut ita dixerim, quæ in rerum Natura conſiſtunt. Magnum quoque & admirabilem hunc Deum per omnia tam humana quàm divina latiſſimè ſe porrigere.*

Eleganter Oppianus Cyneget. II.

Ὄμβριμ' Ἔρως πόσος ἐσσὶ, πόση σέθεν ἄπλετος ἀλκή;
Πόσσα νοεῖς; πόσα κοιρανέεις! πόσα δαίμον ἀθύρεις
Γαῖα πέλει στιβαρὴ, βελέεσσι δὲ σοῖσι δονεῖται:
Ἄστατος ἔπλετο πόντος, ἀτὰρ σύ γε καὶ τὸν ἔπηξας:
Ἤλυθες εἰς αἰθήρ'. οἶδεν δέ σε μακρὸς Ὄλυμπος.
Δειμαίνει δέ σε πάντα, καὶ οὐρανὸς εὐρὺς ὕπερθε,

Γαίης ὅσσα τ' ἔνερθε, καὶ ἔθνεα λυγρὰ καμόντων,
Οἱ Λήθης μὲν ἄφυσσαν ὑπὸ στόμα νηπαθὲς ὕδωρ.
*Dure* AMOR, *quantus es! quanta tua infinita potentia!*
*Quanta cogitas! quantum dominaris! quantum, Dive, ludis!*
TERRA *firma eſt, tuis tamen telis cõmovetur,*
*Inſtabile eſt* MARE, *ſed tu illud ſtabiliſti.*
*Veniſti in* COELVM, *vidit te magnus Olympus:*
*Omnia te metuunt, & cœlum latum ſuperbè,*
*Et quæcunque infrà terram ſunt, triſteſque cœtus mortuorum*
*Qui Lethes hauſerunt ore oblivioſam aquam.*

Sophocles de *Venere*:

— τίς οὔπι τῆς Θεοῦ φορός;
Εἰσέρχεται μὲν ἰχθύων πλωτῷ γένει.
Ἔνεστι δ' ἐν χέρσου τετραχελεῖ γονῇ.
Νωμᾷ δ' ἐν οἰωνοῖσι τοὐκείνης πτερὸν,
Ἐν θηρσὶν, ἐν βροτοῖσιν, ἐν Θεοῖς ἄνω.
Τίν' οὐ παλαίουσ' ἐς τρὶς ἐκβάλλει Θεῶν;
Εἴ μοι θέμις, (θέμις δὲ τἀληθῆ λέγειν)
Διὸς τυραννεῖ πλευμόνων. ἄνευ δορὸς,
Ἄνευ σιδήρου πάντα τοι συντέμνεται
Κύπρις τὰ θνητῶν καὶ Θεῶν βουλεύματα.
— *Quis verò hanc Deam non patitur?*
*Piſcium namque genus natatile ſubit,*
*Et inter quadrupedes in terra exiſtit:*
*Moventur & inter volucres ipſius alæ,*
*Interque feras & homines, Deoſque ſuperos.*
*Quem non Deorum colluctando iterum atque iterum proſternit?*
*Quod ſi licet (licet autem) verum dicere;*

*Iovis pulmonum Domina eſt. Abſque haſtâ*
*Et abſque ferro omnia diſcindit*

VENVS *tam Deorum quàm hominum conſilia.* Apud Euripidem Ἔρως θεῶν καὶ ἀνθρώπων τύραννος nuncupatur. Vide Simmiæ Rhodii πτέρυγας Ερωτος, eruditiſſimis Claudii Salmaſii, V. CL. Notis & Animadverſionib. nuper illuſtratas. Sequitur:

LVC. AGATHO PRISCIVS.] Diu anxius quæſivi quiſnam foret ille *Agatho*, qui hîc velut auctor huius Epitaphii deſignatur. Nam quod alii *Agathiam Scholaſticum*, inferioris ævi Poëtam ac Hiſtoricum, hîc intelligunt, ineptiſſimum eſt. Tandem verò deprehendi procul dubio hîc innui illum AGATHONEM, nobilem Athenienſem, juvenem formoſiſſimum, qui *Sympoſium* à Platone deſcriptum celebravit, in quo *de Amoris vi ac Natura* à doctiſſimis Græcorum copiosè diſputatum eſt. Erat *Agathon* ille Poëta Tragicus, qui cùm coram triginta Græcorum millibus palmam in Tragœdia retuliſſet, ſequenti die feſtum victoriæ ſuæ celebravit, in quo (ut dixi) de *Amore* à convivis Diſputatio inſtituta eſt. Interfuêre autem illi convivio amici ejus, *Phædrus, Pauſanias, Eryſimachus, Ariſtophanes, Socrates,* aliique, qui (ut videre eſt apud Platonem) de *Amore* variè diſſerunt.

AGATHON hîc ſua ætate Græcorum deliciæ erat, & certatim ob formam ac ingenium ſingulare à multis amabatur. In eum exſtat elegantiſſimum illud Platonis Epigram-

gramma, quod à Gellio etiam ac Macrobio adfertur:

Τὴν ψυχήν, Ἀγάθωνα φιλῶν, ἐπὶ χείλεσιν εἶχον.
Ἦλθε γὰρ ἡ τλήμων ὡς διαβησομένη.

*Suavia dans* AGATHONI, *animam ipſe in labra tenebam:*
*Ægra etenim properans tanquã abitura fuit.*

Pulchram verò & amœnam de hoc Agathone & ejus amatore Pauſaniâ hiſtoriam narrat Ælianus l.II. Var. Hiſt. c.XXI. in hunc modum: Ἀγάθωνος ἤρα τοῦ ποιητοῦ Παυσανίας ὁ ἐκ Κεραμέων. καὶ τοῦτο μὲν διατεθρύλληται· ὃ δὲ μὴ εἰς πάντας πεφοίτηκεν, ἀλλ' ἐγὼ ἐρῶ. Εἰς Ἀρχελάου ποτὲ ἀφίκοντο, ὅτε ἐραστὴς, καὶ ὁ ἐρώμενος οὗτοι. ἦν δὲ ἄρα ὁ Ἀρχέλαος ἐρωτικὸς, οὐχ ἧττον ἢ καὶ φιλόμουσος. ἐπεὶ τοίνυν ἑώρα διαφερομένους πρὸς ἀλλήλους τόν τε Παυσανίαν, καὶ τὸν Ἀγάθωνα πολλάκις· οἰόμενος τὸν ἐραστὴν ὑπὸ τῶν παιδικῶν περιορᾶσθαι. ἤρετο ἄρα τὸν Ἀγάθωνα ὁ Ἀρχέλαος, τί βουλόμενος οὕτω πυκνὰ ἀπεχθάνεται τῷ πάντων μάλιστα φιλοῦντι αὐτόν. ὁ δὲ ἐγώ σοι ἔφη φράσω βασιλεῦ. οὔτε γάρ εἰμι πρὸς αὐτὸν δύσερις, οὔτε ἀγροικίᾳ πράττω τοῦτο. εἰ δέ τι καὶ ἐγὼ ἠθῶν ἐπαΐω, τῇ τε ἄλλῃ, καὶ ἐκ ποιητικῆς, ἥδιστον εὑρίσκω εἶναι τοῖς ἐρῶσι πρὸς τὰ παιδικὰ ἐκ διαφορᾶς καταλλάττεσθαι· καὶ πεπίστευκα οὐδὲν αὐτοῖς οὕτως ἀπαντᾶν τερπνόν. τούτου γοῦν τοῦ ἡδέος πολλάκις αὐτῷ μεταδίδωμι, ἐρίζων πρὸς αὐτὸν πλεονάκις, εὐφραίνεται γὰρ καταλυομένου μου τὴν πρὸς αὐτὸν ἔριν συνεχῶς. ὁμαλῶς δὲ καὶ συνήθως προσιόντος, οὐκ εἴσεται τὴν διαφορότητα. Id eſt: AGATHONEM *poëtam amabat Pauſanias Ceramenſis. & hoc quidem manifeſtum eſt. quod verò non omnibus notum eſt, id ego exponam. Aliquando venerunt ad Archelaum,*

*ambo tum amator tum amatus: Archelaus enim non minus amoris quàm litterarum erat ſtudioſus. Cùm igitur videret crebras eſſe contentiones inter Pauſaniam &* AGATHONEM, *arbitratus amatorem ab amaſio ſperni, interrogavit Archelaus quid ſibi vellet quod frequenter ſimultates exerceret cum eo à quo ſummopere amaretur? At ille: huius rei, inquit, ô rex, ego rationem tibi reddam. Neque enim comtentioſior ſum aut moroſior adverſus ipſum, neque ruſticitate quadam id facio. At ſi quid ego quoque de moribus intelligo, tum ex aliis, tum ex arte Poëtica jucundiſſimum amantibus eſſe reperio, ſi ex contentione & litibus cum amaſiis in gratiam redeant. Et ſanè mihi videtur nihil illis delectabilius accidere poſſe. Huius ergo voluptatis perſæpe eum participem facio frequenter litigando. Gaudium enim capit, ſi contentionem cum eo ſubinde diſſolvam, & reconciliem. Si verò æqualiter & conſueto more cum eo ſemper agerem, non experiretur diſcrimen.* Hæc Ælianus. Satiſne verò ex hac amicorum contentione clarum eſt, cur AGATHON infrà, *Neque mœrens, neque gaudens, neque flens* dicatur? Sed de hac re ſuo loco. Porrò, etiam Euripides hunc *Agathonem* in deliciis habuit, ut refert idem Ælianus lib. XIII. Cap IV. & Plutarchus in Apophthegmat. Ejus verò Tragœdiarum mentionem faciunt Suidas, & Ariſtoteles in Poëtica, ac Lucianus. Meminit illius & Xenophon in Sympoſio. PRISCIVS verò cognomento hic dicitur quod *Priſcus* jam & vetus foret ratione habita illius temporis

poris quo hoc Epitaphium ab eo ſcriptum eſt, qui ſub ejus nomine latere voluit.

NEC MARITVS, NEC AMATOR, NEC NECESSARIVS, &c. SED OMNIA. Res clara eſt. Potuit enim ille & ſimul *maritus* eſſe uxoris ſuæ, & præterea *amator* alicujus alterius Veneris. Urbanè verò addit *Neceſſarius*, quod multi ſub *Familiaris* ac *Neceſſarii* nomine furtivis amoribus indulgere ſoleant.

NEQVE MOERENS, NEQVE GAVDENS, NEQVE FLENS, &c. SED OMNIA.] Omnes affectus ſunt in *Amantibus*, Gaudium, Dolor, Spes, Metus. Alexander Aphrodiſæus lib. 1. Problemat. LXXXVII. Καὶ διὰ ταύτην τὴν αἰτίαν οἱ ζωγράφοι σωματοποιοῦσι τὸν Ἔρωτα ποτὲ μὲν κατηφῆ καὶ ἡσυχάζοντα· ποτὲ δὲ πετόμενον καὶ μειδιῶντα. *Quamobrem pictores* CVPIDINEM *aliàs triſtem, anxium, jacentemque pingunt: aliàs hilarem, ſubridentem, volitantem.*

Plutarchus multa in hanc ſententiam eo loco cujus ſuprà meminimus, ubi *Amorem* verè *Ænigma* eſſe aſſerit: οὕτω δὴ καὶ ὁ ἔρως ἔχει τὸ χαρίεν καὶ οὐκ ἄμουσον, ἀλλὰ αἱμύλον καὶ ἐπιτερπές. ἁρπάζει δὲ καὶ βίους καὶ οἴκους, οὐκ αἰνίγματα προβάλλων, ἀλλ᾽ αὐτὸς αἴνιγμα δυσεύρετον ὢν, καὶ δύσλυτον. εἰ βούλοιτό τις προτείνειν, τί μισεῖ καὶ φιλεῖ. τί φεύγει καὶ διώκει. τί ἀπειλεῖ καὶ ἱκετεύει τί ὀργίζεται καὶ ἐλεεῖ. βούλεται παύσασθαι καὶ οὐ βούλεται. τί χαίρει τῷ αὐτῷ μάλιστα καὶ ἀνιᾶται. *Sic* AMOR *etiam habet quiddam gratioſum nec inelegans, ſed blandum & iucundum. Rapit autem hominum vitas familiaſque, non* ÆNIGMATA *proponens, ſed ipſemet* ÆNIGMA *inventu*

*ventu ſolutuque difficile exiſteus. Vt ſi quis huiuſmodi* ÆNIGMA *componat: quid ſit quod oderit ſimul & amet, fugiat & perſequatur, minetur & ſupplicet, iraſcatur & miſereatur, deſinere velit ac nolit, eâdem re maximè tum gaudeat tum triſtetur.* Plinius Junior lib. 11. Epiſt. 11. ad Paullinum: *Iraſcor, nec liquet mihi an debeam, ſed iraſcor. Scis quàm ſit* AMOR *iniquus interdum, impotens ſæpe,* μικραίτιος *ſemper.* Hujus rei exemplum elegans jam ſuprà vidimus ex Æliano de hoc ipſo *Agathone & Pauſania.*

Nota ſunt illa *Amoris* epitheta γλυκύπικρος, γλυκύδακρυς &c. Notum etiam veteres olim *Amori* duplicem arcum tribuiſſe, quorum uno ſagittas lætitiæ, altero triſtitiæ effectrices ejacularetur, de quibus Claudianus de Nupt. Honorii:

*Labuntur gemini fontes, hic dulcis, amarus*
*Alter, & infuſis corrumpit mella venenis,*
*Vnde Cupidineas armavit fama ſagittas.*

Varios porrò *Amantium* Affectus eleganter expreſſit Euſtathius lib. VI. de Iſmeniæ & Iſmenes Amoribus, ubi Iſmenias, jam bonæ ſpei plenus ita loquitur: Ἐγὼ δ᾽ ὅλος ἐπὶ τὴν κλίνην ἀνακλιθεὶς, ὅλας εἶχον λογισμῶν θαλάσσας, ἐπικλυζούσας μου τὴν ψυχήν. καὶ ὡς ναῦς ἐν σάλῳ καταχυματουμένην, καὶ κλύδωνι, ἠνιώμην, ἔχαιρον, ἐδεδίων, ἐθάῤῥουν, ὅλος ἤμην ἡδονῆς καὶ φόβου μεστός. τὸ γὰρ ἐπιτυχεῖν σφόδρα μου κατέσειε τὴν ψυχήν. τὸ δ᾽ ἀποτυχεῖν καὶ λίαν κατέσειεν. Quem locum Clariſſimus Gaulminus, ſtupendi vir ingenii ac doctri-

doctrinæ, eleganter ita vertit, in nuperâ ſuâ Euſtathii editione: *His dictis lectulo me commiſi multiplici curarum ſalo anxius: ut enim tempeſtate navis agitatur, ſic diverſæ mentis variis iactabar diſcurſibus; modò Triſtitiâ, Gaudio, Metu, inquies, & modò Voluptate ac Timore plenus.* Sequitur:

HANC NEQVE MOLEM, NEQVE PYRAMIDEM, NEC SEPELCHRVM, SED OMNIA.] Cùm antè in univerſum de variis *Amantium* caſibus locutus ſit auctor, hîc etiã varias tumulorum & Epitaphiorum ſpecies complectitur. Alii enim ut ingentem in defunctos amores ſuos affectum teſtarentur, immenſas ſepulchrorum *moles* exſtruxerunt, ut *Mauſolæum* Artemiſia, quæ & ipſamet hauſtis mariti ſui cineribus in vivum ejus ſepulchrum conceſſit. Aliis PYRAMIDES erectæ ſunt, ut Rhodopidi meretriculæ, cujus Pyramis majori miraculo famaque fuit quàm cæteræ regum Ægyptiorum. Denique auctor eſt Diodorus apud Ægyptios vetuſtiſſima & magnificentiſſima fuiſſe ſepulchra, in quibus Jovis pellices vulgò conditæ dicebantur.

SCIT ET NESCIT CVI POSVERIT.] Acuta eſt concluſio hujus Epitaphii. Nam quod ait *ſcire* ſe & *neſcire cui poſuerit*; SCIT quidem ſe AMORI poſuiſſe, ſed cùm quid ſit *Amor*, ignoret, quod jam ante profeſſus eſt, dum tot ejus nomina & formas recenſet, ſit ut pariter & *ſciat* & *neſciat cui poſuerit*.

Et hactenus quidem rem ipſam excuſſimus. Supe-

Supereſt ut modò inquiramus cur ÆL. LÆLIÆ CRISPIS nomen *Amoris* Epitaphio auctor præſcripſerit. Imprimis verò neminem turbet quod Fœminei generis nomina illi indiderit, quandoquidem mox utrumque ſexum illi tribuat. Ne autem multum de nominibus illis argutemur, exiſtimo auctorem hîc diverſa nomina vulgò obvia ac Romanis uſitata uſurpaſſe: nam quemadmodum diverſas formarum differentias, quæ *Amori* conveniunt, recenſuit, ita etiam diverſa nomina illi attribuit, quaſi dicat *Amorem* eſſe & in *Ælia*, & in *Lælia*, & in *Criſpi*. Solent autem à Poëtis nomina hæc fœminis ac meretriculis vulgò tribui. Hinc Martial. lib. I. Epig. XIX.

*Si memini, fuerant tibi quatuor,* ÆLIA, *dentes,*
*Exſpuit una duos tuſſis & una duos,* &c.

De notione verò hujus nominis ita Feſtus: ÆLIAGENS *appellatur quæ ex multis gentibus conficitur.*

LÆLIÆ verò nomen etiam promiſcuè idem Martialis paſſim uſurpat, ut lib. V. Epig. LXXV.

*Quæ legis cauſa nupſit tibi* LÆLIA, *Quincte,*
*Vxorem potes hanc dicere legitimam*

Et lib. X. Epigr. LVIII.

*Tu licet ediſcas totam referaſque Corinthum,*
*Non tamen omnino* LÆLIA, *Lais eris.*

Et lib. XIII. Epigr. XXII.

*Dentibus atq; comis, nec te pudet, uteris emptis:*
*Quid facies oculo,* LÆLIE? *non emitur.*

CRISPIS ] Nomen hoc Patronymice hic poſitum

ſitum à *Criſpo* deductum. Talia ſunt *Perſis*, *Colchis*, &c. Solet vero *Criſpitudo capillorum* Amori tribui. Vnde Moſchus εὐπλόκαμον illum vocat, Idyll. de *Amore fugitivo* :

Ἔστι δ᾽ ὁ παῖς περίσαμος, ἐν εἴκοσι πᾶσι μάθοις νιν
Χρῶτα μὲν οὐ λευκὸς, πυρὶ δ᾽ εἴκελος. ὄμματα δ᾽ αὐτῷ
Δριμύλα καὶ φλογόεντα. κακαὶ φρένες, ἁδὺ λάλημα.
Οὐ γὰρ ἴσον νοέει καὶ φθέγγεται. ὡς μέλι φωνά·
Ἢν δὲ χολᾷ, νόος ἐστὶν ἀνάμερος, ἠπεροπευτάς.
Οὐδὲν ἀλαθεύων. δόλιον βρέφος, ἄγρια παίσδει.
Εὐπλόκαμον τὸ κάρανον ἔχει, δ᾽ ἰταμὸν τὸ πρόσωπον.
Μικκύλα μὲν τήνῳ τὰ χερύδρια, μακρὰ δὲ βάλλει. &c.

Quæ eleganter ita vertit Politiamus :

*Inſignis puer eſt, ac totam agnoſce figuram:*
*Corpore non niveus, verum ignem imitatur : ocellis*
*Acres, flammeoli: mala mens, ſuaviſſima verba.*
*Quod loquitur non ſentit idem, vox mellea; ſed cum*
*Ira inflammatur, tum mens illi effera, fallax*
*Fraudator, mendax, ludit crudele puellus.*
CRISPVLVS *eſt illi vertex, facieſque proterva,*
*Exiguaq; manus; procul autem ſpicula torquet.*

Quin, homines delicatuli ac molles, Amoribus dediti, *criſpo* capillitio eſſe ferè omnes ſolent. Hinc Martialis lib. v. Epigram. LXI.

CRISPVLVS *iſte quis eſt, uxori ſemper adhæret*
*Qui, Mariane, tuæ?* CRISPVLVS *iſte quis eſt?*
*Nil mihi reſpondes? Vxoris res agit, inquis,*
*Iſte meæ; ſane certus & aſper homo eſt;*
*Procuratorem vultu qui præferat ipſo:*

*Acrior hoc Chius non erat Aufidius.*

*Res uxoris agit? res nullas* CRISPVLVS *iſte,*

*Res non uxoris, res agit ille tuas.*

Solent & CRISPA & CRISPILLA vulgò apud Poëtas eſſe ſcortorum nomina. Hinc apud Auſonium lib. 1. exſtat Epigramma ſubſcriptum picturę *Criſpa* mulieris impudicæ. Et ibidem Epigram. LXX. ad *Criſpam.*

*Deformem quidam te dicunt* CRISPE: *at ego iſtud*

*Neſcio. mî pulchra es. iudice me ſatis eſt.*

*Quin etiam cupio, iunctus quia zelus Amori eſt,*

*Vt videare aliis fœda, decora mihi.*

Et hæc de nomine (ut opinor) ſatis. Litteras autem illas binas ſingularias D.M. ex cōmuni Epitaphiorum more, quo DIIS MANIBUS conſecrabantur, adjecta eſſe, notior res, quàm ut admoneri debeat.

Ita ego de hoc Ænigmate ſentio: utrum autem Delius mihi faverit, Senatum litteratorum judicem capio.

FINIS.

LVGDVNI-BATAVORVM

*Typis Georgii Abrahami vander Marſe.*

cIↄ Iↄ cXXXVIII.